



Andreas à Moskorzow

Fr

# PLVTARCHI CHAERONENSIS VITARVM PARALLELARVM seu Comparatarum,

*GVILIELMO XYlandro, Augustano, Interprete;*

## Tomus II.

Cum Indice triplici (1. Autorum allegatorum. 2. Rerum & verborum in opere memorabilium. 3. Eorum, quæ in Annotationibus cognitu necessaria tractantur.) fidelissimo & locupletissimo.



Petrus Morskowski
à Morskowo.
Bibliotheca Cracovien. S. Marci

*Impressum Francoforti ad Mœn.*

*M. D. LXXXXII.*

# TOMO SECVNDO CONTINENTVR


| | | |
|---|---|---|
| *Pyrrhus* | | Pag. 3 |
| *Marius* | | 42 |
| *Lysander* | | 88 |
| *Sylla* | | 120 |
| | *Comparatio* | 153 |
| *Cimon* | | 163 |
| *Lucullus* | | 183 |
| | *Comparatio* | 222 |
| *Nicias* | | 230 |
| *Crassus* | | 260 |
| | *Comparatio* | 290 |
| *Eumenes* | | 300 |
| *Sertorius* | | 318 |
| | *Comparatio* | 338 |
| *Agesilaus* | | 341 |
| *Pompeius* | | 375 |
| | *Comparatio* | 434 |
| *Alexander* | | 445 |
| *Cæsar* | | 513 |
| *Phocion* | | 262 |
| *Cato Vticensis, seu Minor* | | 592 |
| *Dio* | | 648 |
| *M. Brutus* | | 687 |
| | *Comparatio* | 723 |



BIBLIOTEKA KÓRNICKA PAN 2

14091/2

1798 a 73

# PLVTARCHI PYRRHVS, GVILIELMO XYLANdro, Augustano, interprete.

TRADITVM est memoriæ, secundum diluuium Phaetontem, qui vnus de eorum numero fuerit qui cum Pelasgo in Epirum transiuerunt, primum Thesprotis & Molossis imperasse. Quidam Deucalionem & Pyrrham condito apud Dodonam templo, iuxta illud in Molossis habitasse ferunt. Postea temporis Neoptolemus Achillis F. populo adducto eam regionem tenuit, regumque successionem post se reliquit. Pyrrhidæ regi ges isti vocabantur, nam & ipse Pyrrhi (hoc est rufi) in puericia cognomen nactus fuit, & legitimorum suorum ex Lanassa Cleodei filia, qui Hyllum patrem habuit, filiorum vni nomen id imposuit. Exhinc Achilli honores in Epiro diuini sunt habiti, quē ipsi sua lingua Aspetum (quod est Ingentem) cognominant. Cùm autem reges qui primis istis successere, ad Tharrytam vsque barbari ferè, & cum vita, tum potentia ignobili fuerint: hunc primum perhibent Græcis moribus litterisque, & humanis legibus vrbes composuisse, eaque re nomen sibi parasse. Tharrytæ filius fuit Alcetas, huius Arybas: hoc, & Troiade natus Æacides. Hic in matrimonio habuit Phthiam, filiam Menonis Thessali, illustris viri, & cuius bello Lamiaco inter socios post Leosthenem summa fuit autoritas. Phthia Æacidæ filias duas, Deidamiam & Troiadem, peperit, filiumque Pyrrhum. Sed postquam Molossi eiecto per seditionem Æacida, Neoptolemi liberos in regnum reduxerunt, amicis Æacidæ, quotquot comprehensi fuissent, necatis: Pyrrhum adhuc infantem Androclides & Angelus inimicis inquirentibus suffurati aufugerunt, seruis paucis & mulierculis, quæ infantem nutrirent, necessariò vna abductis. Is comitatus cùm fugam difficilem atque tardiorem efficeret, imminentibus hostibus infantem Androcleoni, Hippiæ, & Neandro, fidis atq; robustis iuuenibus tradiderunt, mandato vt quam possent maximè Megara (oppidum est Macedonicum) contenderent: ipsi verò partim deprecando, partim pugnando insequentes vsque ad vesperam detinuerunt. Vix tan-

1 *Regni Epirotici origo.*

2 *Genus Pyrrhi.*

3 *Megara.*

dem illis digreſſis, eos, qui Pyrrhum geſtabant, curſu aſſecuti ſunt. Iam tum ſol occubuerat, cùm ad fluuium, qui iuxta vrbem labitur, peruenerunt: hoc illis ſubitò impedimentum, cùm propè id quod petebant, aſſecutos ſe eſſe putarent, obiectum eſt. Erat fluuius & adſpectu horribilis, & tranſitum nulla ratione inueniebant: turbidus enim, aquaque plurima tumens fluebat: augebat etiam terrorem nox. Quare diffiſi tranſitum ſuo Marte (quod aiunt) tentare, cùm quidem infans & nutriculæ fluuio eſſent committendi: vbi in altera ripa incolas quoſdam ſtare animaduerterunt, vt ſe in traijciendo amne adiuuarent, ſimul Pyrrhum ijs monſtrantes ſupplici clamore orauerunt. Sed cùm, his clamantibus, illis præ ſonore & ſtrepitu aquæ verba non percipientibus, tempus traheretur; quidam eo animaduerſo librum de quercu detraxit, eique fibula inſcripſit ſuam neceſſitatem, infantiſque fortunam: tum corticem lapidi, vt ad iactum pondus eſſet, circumligans, trans amnem iecit: alij iaculo affixum, itaque tranſmiſſum ferunt. Oppidani lectis literis, & feſtinatione opus eſſe cognito, cæſis arboribus atque colligatis traiecerunt. Forte fortuna ei, qui primus traiecit, atque Pyrrhum accepit, Achillis nomen fuit: reliquos cæteri, vt caſus tulit, tranſportarunt. Sic ſeruati, & inſequentium manibus elapſi, in Illyricum ad Glauciam regem eius gentis peruenerunt: hunc vbi domi cum vxore ſedentem reperiſſent, puerum in medio ad teram depoſuerunt. At Glaucias, quòd Caſandrum Æacidæ inimicum metueret, aliquandiu hæſitauit. Interim Pyrrhus ſponte ſua prorepens veſtem eius apprehendit, eamque tenens ad genua ſe regis erexit: vt riſum primò, inde miſerationem mouerit, ſupplicis inſtar cum lacrymis deprecans. Quidam non Glauciæ ſupplicaſſe, ſed aram Dei manibus complexum adſtitiſſe aiunt: idque diuinitus factum Glauciam putaſſe. Proinde Pyrrhum ſtatim vxori tradidit, interque ſuos liberos educari iuſſit: & paulo pòſt hoſtibus eum expoſcentibus Caſandro etiam ducenta talenta offerente, non dedidit: ſed annos natum duodecim, cum exercitu in Epirum reduxit, & regem conſtituit. Fuit Pyrrhus vultu regio quidem, ſed terribiliore quàm venerabiliore. Non habuit multos dentes, ſed ſuprà erat vnum os continuum, in quo dentium interualla tenuibus veluti ſulculis

deli-

delineabantur. è liene laborantibus salutem adferre crede-
batur, si gallum album mactans, supinatis illis dextro pede
leuiter splenem premeret: neque fuit quisquam ita vel pau-
per, vel vilis, cui rogatus eam medicinam facere dedignare-
tur: gallum ipse Pyrrhus accipiebat, atque immolabat, is-
que ei erat honor gratissimus. Et ferunt pedis eius polli-
cem vim diuinam habuisse, atq; etiam cremato post mor-
tem corpore, hunc illæsum intactumque ab igne fuisse re-
pertum. Cæterùm ratione temporis hæc huc non perti-
nent. Annum agens ætatis decimum & septimum, cum iam *Pyrrhus*
stabilissimè videretur regnum tenere, ad nuptias vnius de fi- *regno suo*
lijs Glauciæ, inter quos fuerat educatus, peregrè est profe- *excidit.*
ctus. eam nacti occasionem Molossi, rursus seditione mo-
ta amicos eius expulerunt, pecunias diripuerunt, seque
Neoptolemo subiecerunt. Sic regno exutus Pyrrhus, & ab *Demetrio*
omnibus destitutus, ad Demetrium Antigoni F. concessit. *se coniun-*
nam Pyrrhi sororem Deidamiam puellam adhuc Alexan- *xit.*
dro Roxanæ F. desponsatam, rebus eorum calamitate euer-
sis, Demetrius iam viro maturam duxerat. In magno illo
ad Ipsum prælio, quo omnes terrarum reges decertauere,
Pyrrhus Demetrio adfuit, iuuenis adhuc, hostemque à sua
parte fudit, illustrisque fuit ea ipsius pugna. Neque ve-
rò Demetrium aduersa vsum fortuna deseruit: sed & vrbes
Græciæ sibi ab eo commissas, custodijt, & Demetrij cum
cum Ptolemæo facta pactione, in Ægyptum obsessuit. Ibi
Ptolemæo in venationibus & gymnasijs robur suum tole-
rantiamque laborum probauit. Berenicen verò inter eius
vxores potentia, virtute, & prudentia primas tenere cer-
nens, impense coluit (vt erat callidus sui commodi causa
in gratiam potentiorum se insinuandi, ac contrà abiectio-
rum contemptor) vitæ autem modestam & elegantem ra-
tionem tenuit. His itaque artibus meruit, vt de multis re-
gijs iuuenibus vnus deligeretur, cui Antigona (hanc Bere-
nice Philippo pepererat, priusquam Ptolemæi vxor fieret)
in matrimonium daretur. Post has nuptias aucta gloria, fi-
deli vsus vxore, effecit, vt, accepta pecunia & copijs, in
Epirum regni sui recuperandi causa mitteretur. Plerique *In Epirum*
odio Neoptolemi, cuius graue erat & violentum regnum, *redit.*
aduentum eius non ingratum habuerunt: veruntamen me-
tuens Pyrrhus, ne is ad regem aliquem alium se adiunge-

ret, communicato regno fœdus cum eo & amicitiam iniit. Non defuerunt deinde, qui eos occultè alterum aduersus alterum iritarent, atque suspiciones aduersas immitterent: sed causa, quæ præcipuè Pyrrhum commouit, hæc fuit. Mos erat, vt in Passarone (Molossiæ locus est) reges Ioui Areo (Martium, seu bellicosum Latini dicerent) sacrificantes, iuramento se populo obstringerent, imperaturos se secundum leges: ac vicissim iuraret populus, ex legum præscripto se regnum conseruaturum. Id tum præsente vtroque cum amicis rege agebatur, donaque multa & accipiebant, & largiebantur. Ibi Gelo Neoptolemo fidus vir Pyrrhum amicè complexus duobus boum aratorum iugis donauit. Hos à Pyrrho donum sibi petijt Myrtilus pocillator, & alij bobus illis dono datis, indignè repulsam tulit. Non fefellit Gelonem: is itaque Myrtilo ad cœnam vocato (quidam inter pocula etiam obscœnam libidinem Gelonis propter pulchritudinem passum aiunt) persuadere aggressus est, vt Neoptolemi partibus accederet, Pyrrhumque veneno necaret. Myrtilus cùm probari sibi consilium simulasset, Pyrrho renunciauit, iussuque eius (volebat enim pluribus testibus flagitij huius inimicum conuincere) Alexicratem pincernarum primum Geloni, tanquam insidiarum socium futurum, commendauit. Hoc pacto Gelone decepto, etiam Neoptolemus vnà falsus, insidiasque processuras ratus, non continuit se, quin rem cum amicis communicaret. Et quodam tempore cum sorore Cadmia conuiuium agitans, idem effutijt, neminem alium audire putans: neque enim aderat quisquam, præter Phænaretam, vxorem Samonis, qui Neoptolemi armentis & gregibus præerat. ea quodam in lectulo iacens, faciemque parieti obuertens, cùm dormire putaretur, insciis ipsis omnia audiuit: ac postridie, quæcumque audisset Neoptolemum sorori referentem, omnia Pyrrhi vxori indicauit. His cognitis Pyrrhus, in præsens re dilata: pòst sacrificio celebrato Neoptolemum ad cœnam vocatum interfecit: primos Epirotarum sibi fauere intelligens, hortariq; vt Neoptolemum tolleret, neque exigua parte regni contentus esset, sed naturam suam secutus maiores res aggrederetur: simulque suspicione insidiarum accedente, eum necare occuparet. Porrò in memoriam Ptolemæi, & Berenicæ filio-

*Neoptolemũ interficit.*

rum

rum sibi ex Antigona natum Ptolemæum nominauit, & vrbi, quam in Epiri peninsula condiderat, Berenicidis nomen imposuit. Post hęc, multa iam & magna animo agitans, maximè autem ac primò omnium vicinis rebus spe intentus, vt se Macedonicis negocijs immiscēret, hanc nactus est ansam. Antipater Casandri filiorum maior, matrem Thessalonicam occiderat, & fratrem suum Alexandrū expulerat. Hic & ad Demetrium auxilij petendi causa misit, & Pyrrhum acciuit. Demetrio igitur propter occupationes cunctāte, Pyrrhus auxilij præmium Nympheam, & Macedoniæ oram maritimam, & ex gentibus bello subactis Ambraciam, Acarnaniam, atque Amphilochiam popōscit: hæcq; tradente Alexandro præsidijs tenuit, reliqua illi recuperans Antipatri opes accidit. Cæterùm Lysimachus rex Antipatro opitulari cupiens, cùm & ipse occupationibus detineretur, Pyrrhum verò nosset nulla in re ingratum esse Ptolemæo velle, aut quicquam ei denegare: fictas Ptolemæi nomine litteras ad Pyrrhum misit, quibus eum hic acceptis ab Antipatro trecentis talentis bellum deponere iuberet. Epistola aperta Pyrrhus statim fraudem Lysimachi deprehendit: non enim vsitata illa salutatio, Pater filio salutem: sed ita scriptum erat, Rex Ptolemæus regi Pyrrho. Id etsi exprobrauit Lysimacho, tamen pax facta, & conuentum est in vnum locum, vt hostijs cæsis fœdus sanciretur. Porco, tauro, & ariete adductis, aries fortuitò mortuus est: id alijs ridentibus, Theodotus aruspex Pyrrhum, ne iuraret, prohibuit; dicens diuinitus vni ex regibus mortem portendi. Hoc modo à pace componenda Pyrrhus destitit. Demetrius autem rebus Alexandri iam constitutis aduenit: & statim metum ei obijciebat, quòd eo tempore venisset, quo præsentia ipsius non desiderabatur. Paucis diebus cùm vnà fuissent, & alteri alter diffidens insidias tenderet: Demetrius capta occasione præuertit Alexandrum, eoque adolescente necato rex Macedoniæ est dictus. Iam Pyrrho Demetrius & alia quædam obijciebat, & incursiones etiam ab eo in Thessaliam factas: & auaricia, potentiæ innatum malum, vicinitatem suspectam ipsis atque infidam reddebat: auctæ erant etiam offensæ, postquam Deidamia è viuis excesserat. Itaque vt Macedoniæ partem vterque tenentes mutuò commissi sunt, maioresque dissidium occasiones reperit:

*Hostia ostentum.*

Demetrius contra Ætolos profectus, ijs superatis, & Pantaucho duce cum magno exercitu ibi relicto, ipse contra Pyrrhum, Pyrrhusque, vt se peti sensit, contra Demetrium duxit. Verùm in itinere errore factum est, vt mutuò non occurrerent. Demetrius in Epirum facta impressione prædatus est: Pyrrhus in Pantauchum incidit, ac cum eo prœlium commisit. Et militum, & ipsorum multo magis imperatorum acre fuit illud certamen. Etenim Pantauchus, qui inter Demetrij duces extra controuersiam virtute, manu, ac viribus corporis esset præstantissimus, audax, elatique vir animi Pyrrhum ad pugnam prouocârat: & Pyrrhus, qui nemini regum fortitudinis gloriæq; palmam concederet, Achillisque nomen virtute magis quàm natalibus sibi vindicare vellet, per primam aciem Pantaucho obuiam prodierat. Primùm hastis res, inde comminus gladijs peritè acriterq; gesta est. Pyrrhus vno vulnere accepto, impositis duobus vno in femur, altero in collum deiecit Pantauchum: sed is ab amicis cædi ereptus est. At Epirotæ victoria regis sui elati, miratique eius virtutem, Macedonicam phalangem vi dissiparunt, instantesque fugientibus multos trucidarunt, quinque millia viuos ceperunt. Certamen hoc non tantum apud victos iræ, odijque contra Pyrrhum, quantum eius glorjam, virtutisque admirationem & prædicationem apud eos excitauit, qui facinora eius coram in pugna viderant. Nam & vultu, & celeritate, & motu eum similem esse Alexandro arbitrabantur: eiusque in prœlio impetus atq; violentiæ in hoc vmbram atq; imitationem cerni: reliquos reges purpuris, satellitibus, ceruicis flexu, & altiore voce, Pyrrhum armis & manu Alexandrum repręsentare. De eius in acie ordinanda, ducendoque exercitu peritia indicia sumere licet ex scriptis, quæ ea de re reliquit. Fertur & Antigonum interrogatum quisnam optimus dux esset, respondisse: Pyrrhus, siquidem senuerit. Is sanè de suæ tantùm ætatis ducibus iudicauit. Sed Annibal omnium imperatorum peritia atq; calliditate præstantissimum Pyrrhum, Scipionem secundum, se tertium pronunciauit: veluti in vita Scipionis scripsimus. Et verò hoc vnum semper meditatus, huicque soli rei studuisse videtur Pyrrhus: cùm eam disciplinarum omnium maximè regiam censeret, reliquas illas ad ornatū & oblectationem facientes nullo in precio haberet.

*Pyrrhi victoria & virtus.*

*Pyrrhus Alexãdro Magno similis.*

haberet. Traditum enim est eum inter pocula aliquando interrogatum, Pythonémne an Caphisiam meliorem tibicinem existimaret: Polysperchōtem bonum esse ducem respondisse. quasi de his tantùm regem quærere & cognoscere deceret. Benignus erat aduersus familiares suos, & iræ temperans, inque gratia referenda promptus & diligens. Æropi sanè mortem haud mediocriter tulit, fassus quidem humanitus ei accidisse, se verò incusans, quòd subinde moras nectendo gratiam ei non retulisset. Quippe æs alienum etiam hæredibus creditorum reddi potest: compensationes beneficiorum nisi sentiente benefactore fiant, bonis iustisque sunt molestæ. Cùm Ambraciæ quidam Pyrrhum conuiciis proscinderet, eumque alii relegandum putarent: Hîc, inquit, potiùs apud paucos, quàm oberrans apud omnes homines malè nobis dicat. Eos qui inter potandum ipsi obtrectasset, ac delati deinde essent, interrogauit, itáne de se fuissent locuti: & cùm quidam ex illis adolescentibus respondisset, Ita ô rex: sed & plura his dixissem, si plus vini habuissemus. risit, & missos eos fecit. Post mortem Antigonæ, negociorum & potentię causa plures duxit vxores: Autoleontis Pannoniæ, & Bircennam Bardyllii Illyriorum, & Lanassam Agathoclis Syracusarum regis filias: quarum postrema dotis nomine Corcyreorum vrbem à patre captam ei attulit. Ex Antigona Ptolemæum filium habuit, ex Lanassa Alexandrum, ex Bircenna nouissimum Helenum: hos omnes statim à prima ætate ad bellum acuens armis præclaros, & feroces reddidit. Dicitur enim vni filiorum suorum adhuc puero interroganti cuinam ex ipsis esset regnum relicturus, respondisse: ei, qui acutissimum habuerit gladium. quod profectò nihil differt ab execratione ista tragica:

*Pyrrhi bonitas.*

*Vxores Pyrrhi plures.*

*Filij.*

*Fratres acuto diuidant ferro domum.*

Adeò aliena concordiæ, & fera est cupiditatis materia. Cæterùm à pugna Pyrrhus domum reuersus, gloria & animo elatus exultauit, Epirotisque Aquilæ cognomen ipsi tribuentibus, Vobis, inquit, hoc debeo: quî enim non sim aquila, vestris armis pennarum instar subleuatus? Paulo post cùm audiuisset, Demetriũ periculosè ægrotare: subitò in Macedoniam irrupit, populandi nimirum & prædæ auertendæ causa: sed parum abfuit, quin omnibus simul potire-

*Pyrrhi in Macedoniam impreßio.*

potiretur, ipsumque citra vllam pugnam regnum occupa-
ret, quippe vsq; ad Edessam progressus est, nemine prohi-
bente, multis se dedentib. & castris eius adiungentib. Ipsum
quidem Demetriũ tametsi virib. destitutũ, illud periculum
excitauit: amiciq; eius & legati exiguo tẽpore magna mul-
titudine contracta, Pyrrho animosè obuiam contenderũt.
Verùm is, quia ad latrocinium magis quàm ad prœlium
instructus venisset, fugam fecit: inq; ea fuga partem sui ex-
ercitus aliquam à Macedonibus interceptam amisit. Neq;
verò Demetrius quia facilè & celeriter Pyrrhum Macedo
*Demetrij apparatus.* nia expulisset, ideò ocio sese dedidit. Verũ magnas res ag-
gressus, collectóq; cẽties mille hominum exercitu, & quin-
gentarum nauium classe paterni regni recipiendi causa, ne-
que bello contra Pyrrhum vires suas atterere, neque eum
Macedonibus difficilem & inquietum vicinum relinquen-
dum iudicauit: sed quia bello persequi non vacaret, at pa-
ce cum eo facta, ita demum in reliquos reges arma conuer-
tendum. Cùm esset hac de causa conuentum, simulque &
institutum Demetrii, & apparatus bellici magnitudo ap-
*Litteræ regum ad Pyrrhum.* pareret, territi reges nuncios, atque litteras in hãc senten-
tiam scriptas ad Pyrrhum miserunt. Mirari se, quòd sua oc-
casione dimissa exspectare velit, dum tempore Demetrio
apto bellum gerere cogatur: accùm eum variis negociis
" distractum atque perturbatum in præsentia eiicere Mace-
" donia possit, præstolari malit dum sibi cum ocioso, & viri
" bus aucto de fanis & sepulcris Molossiæ dimicandum sit:
" præsertim verò cùm & Corcyra nuper, & vxore sit à De-
" metrio spoliatus. Etenim Lanassa Pyrrhum incusans, quòd
barbaris vxoribus, quàm sibi, esset addictior, in Corcyram
secessérat, & regii coniugii cupida, Demetrium (quem præ
reliquis regibus facilè ad nuptias allici intelligebat) accì-
uerat: isque eò nauigarat, cum Lanassa rem habuerat, præ-
sidiumque Corcyræ reliquerat. Hæc ad Pyrrhum illi scri-
bentes, simul & ipsi bellum, Demetrio cunctante & se pa-
rante, mouebant. Ptolemæus enim magna aduectus classe,
vrbes Græcas ad defectionem solicitabat: Lysimachus in
superiorem Macedoniam ex Thracia irrumpens, eam va-
stabat. Simul etiam Pyrrhus insurgens ad Berœam duce-
bat, id, quod euenit, futurum censens: nimirum vt De-
metrio contra Lysimachum profecto, inferiorem regio-

nem

nem vacuam defensoribus offenderet. Ea nocte per so- *Pyrrhus*
mnum imaginatus est se ab Alexandro Magno vocari: *Demetrio*
cumque accessisset, ab eo in lectulo decumbente amicè *electo Ma-*
atque benignè compellari, auxilium se ei gnauiter laturum *cedonia*
promittēte: interrogare deinde regem auso quinam ægro *potitur re-*
tans ipsum adiuuare posset? ipso nomine id se præstiturum *gno.*
respondisse: simulque eum Nisæo equo conscenso, præiuis- 9
se. Hoc insomnio animum confirmauit, celeriterque spa-
cio medio confecto, Berœam occupauit: ibi maxima exer-
citus parte imposita, reliquas vrbes opera legatorū in po-
testatē suam redegit. Demetrius autem, his perceptis, cum
simul in castris suis tumultū Macedonū animaduerteret,
veritus est progredi, ne sui ad regem Macedonē illustremq;
gloria propiùs adducti, ad eum deficerēt. Itaq; retrò versus
cōtra Pyrrhum, vt peregrinum & Macedonib. inuisum, du-
xit, castraq; eius castris opposuit. Tum verò multi à Berœa
in castra Demetrii venire, Pyrrhumque prædicare, vt armis
inuictum atq; præclarum, clementer autem & humaniter
victis vsum. Fuerunt etiam quidam à Pyrrho submissi, qui
se Macedonas esse fingerent, ac nunc tempus esse, Demetrii
importunitatem effugiendi, & ad popularem militibusq;
beneuolum Pyrrhū transeundi, dicerent. His dictis pleriq;
militum excitati, Pyrrhū circumspiciebant nam quia fortè
tum cassidem deposuerat, non est agnitus, nisi postquam re
intellecta imposita capiti casside cristis insignibus & corni- 10
bus hircinis agnoscendum se dedit. Ibi verò Macedones ac-
currere, & tesseram petere: alii frondibus quernis contortis
sese redimire, cùm Pyrrhi etiam milites serta gerentes vi-
derent: & iam ipsi Demetrio dicere non verebantur, bene
eum sibi consulturum, si Pyrrho cederet, & à proposito
desisteret. Quibus ille sermonibus cum similem esse in ex-
ercitu motum sentiret, territus, occultè castris exiit, causia
& vili palliolo amictus. Pyrrhus autem in castra eius pro-
fectus, à militibus absque vllo certamine acceptus, & rex
Macedonum est nominatus. Superuenit Lysimachus, eie-
ctumque Demetrium tam sua quàm Pyrrhi opera iactans,
diuidi regnum secum postulauit. Pyrrhus, quia nondū satis
firmam in Macedonibus haberet fiduciam, Lysimachi peti-
tionem admisit, atq; hi regionem tum, vrbesq; inter se sunt
partiti. Profuit hoc in præsentia, bellumque composuit:

sed

sed paulo pòst sensērūt, partitionē istā non inimicitiarum finem, sed querelarum & discordiarum principium fuisse.

*Cupiditas regni.*

"Quorum enim cupiditatem neq; mare, neq; mōs, neq; vasta solitudo, non qui Europam ab Asia diuidunt limites definiūt, iine vicinia se attingentes à maleficiis mutuò vt abstinerent? Imò autem insidiandi studium, inuidiamq; innatam gerentes, perpetuò inuicem infensi sunt: belli autem & pacis nominibus veluti nomismate aliquo, promiscuè non iuris sed vtilitatis ratione vtuntur: quandoquidem etiam meliores sunt cùm apertè bellum gerūt, quàm cùm vacantem & ociosam iniustitiam iustitiæ & amicitiæ nomine afficiunt. Id Pyrrhus demōstrauit. Rursus enim Demetrio se erigenti, viresq; suas veluti graui ex morbo colligenti obstans, auxilium Græcis tulit, & iccirco Athenas venit. Ibi cum in arcem adscendisset, Mineruæque rem sacram fecisset, eadem adhuc die descēdit. & contentum quidem se populi fauore & fide dixit: ipsi verò, si saperent, nullum in posterum regem in vrbem intromitterent, neq; portas vlli aperirent. Secundum hæc & cum Demetrio pacem contraxit: & rursus eo in Asiā profecto, instinctu Lysimachi Thessaliam ad defectionem ab eo pertraxit: melioribus in bello quàm in ocio Macedonib. vtens, & omnino ipse natura ab ocio alienus. Tandem Demetrio in Syria debellato, Lysimachus metu liberatus & occupationibus statim contra Pyrrhum sese vertit: ac primùm in eius ad Edessam castrametati cōmeatum, qui tum aduehebatur, incidit, eóq; capto ad penuriam Pyrrhum redegit: deinde litteris & colloquiis corrupit primores Macedonum, exprobrās iis, quod peregrinum hominem, cuius maiores Macedonibus semper seruiuissent, dominum sibi constituissent, & Macedonia Alexādri amicos & familiares extruderēt. Multis ita cōmotis metuens sibi Pyrrhus, cum Epirotico & sociorū exercitu abiit, Macedonia eodē modo, quo potitus fuerat, amissa.

*Lysimachus Pyrrhum Macedonia eijcit.*

"Itaq; reges immerito populum culpant, si is vtilitatis causa modò huic, modò alteri pareat: ipsos enim imitatur, infidelitatisq; ipsos & proditionis habet magistros, qui plurimū lucrari existimant eum, qui q̄ minimè ius sequatur. Tunc autem Pyrrho in Epirum reiecto, Macedoniaq; exuto reb. suis quietè vti, regnumq; in suos pacatū tenere per fortunam licuit. At ille quietem fastidiēs, nauseāq; plenā socordiam

*Pyrrhus quietis impatiens.*

diam ducẽs, si neq; vexaret alios, neq; ab aliis infestaretur, exemplo Achillis ocium non poterat perferre:

*Verùm inuisa quies cor consumebat: & vnum*
*Pugnandi desiderium, belliq; tenebat.* 12

Nouas igitur res expetenti, hæc est materia oblata. Romani Tarentinos bello vrgebant. Hi cùm neq; sustinere bellum, neq; propter audaciam & improbitatem oratorum deponere possent, Pyrrhum, vt cui omnium regum maximè vacaret, summusque esset imperator, vocandum, ducemque belli faciendum statuerunt. Qui inter ciues ætate præstabāt & prudentia, aut palàm ei sententiæ repugnantes propter clamorem & vim vulgi nihil agebant, aut horum exemplo moti concionib. abstinebant. Vnus quidam haud malus vir Meto, cũ dies instaret, qua die lex de vocando Pyrrho erat perferēda, populo in foro sedente, serto iam emarcescente capiti imposito, & facula sumpta ebriorũ more præcedente tibicina in concionem per ludicrum prodiit: eum (vt in turba hominum, vbi populare imperiũ non est ordinatum) quidam risu, quidam plausu exceperunt, prohibuit nemo, sed & mulierculam inflare tibiam, & illũ canere in medium progressos iusserunt: atq; is ita se facturum simulauit. Inde orto silentio. Viri, inquit, Tarentini, bene facitis, quod ludere & iocari qui volũt, eius rei facultatem, dum licet, non inuidetis: quòd si saperetis, omnes in præsentia hac vtere-mini licentia, alias res, aliam vitam atque vitæ degendæ rationem habituri, vt primùm in vrbem Pyrrhus venerit. Hæc verba plerique Tarentinorum approbarunt, & rectè eum locutum rumor per concionem spargebatur. At qui metuebant ne facta pace Romanis dederentur, populum criminati, quòd per ebrietatẽ & lasciuiam se ludificari tam æquo animo pateretur, coitione facta Metonem eiecerunt. Ita demum lex perlata, missiq; in Epirum legati non à Tarentinis modò, sed & aliis Italiæ conuentibus quibusdam, Pyrrho munera ferentes, & dicentes: Ducem sibi bello prudentem & glorioſum opus esse: copias quidem suppetere magnas à Lucanis, Messapiis, Samnitibus, & Tarentinis contractas, nempe equitum ad viginti millia, peditum millia CCCL. Hæc non Pyrrhi modò animum erexerunt, sed & Epirotis cupiditatem eius expeditionis iniecerũt. Erat Cineas quidam Thessalus, prudentia, vt existimabatur, magna,

*Tarentini Pyrrhum ducẽ belli contra Romanos vocant.*

gna, & qui, magis quàm eo tempore quisquã, Demosthenis, cuius auditor fuerat, in dicendo vim quasi in imagine quadam auditoribus repręsentare credebatur: & cum Pyrrho agens, ab eóq; ad ciuitates dimissus, re confirmauit illud, quod est ab Euripide dictum,

13 *Orationem conficere omnia si sua,*
*Quæcunq; ferrum hostile possit consequi.*

Cineas. quando Pyrrhus etiam fassus est, plures Cineam vrbes dicendo, quam se armis cepisse: ideóq; plurimum eo vtębatur, summoq; in honore habebat. Is cum Cineas Pyrrhum expeditioni in Italiã intentũ cernęs, fortè ocioſum nactus, ita compellauit: Bellicosi, ô Pyrrhe, Romani esse feruntur, multisq; fortib. imperare gentib. quod si Deus nobis de iis victoriã concesserit, ecquis eius erit vsus? Ad hæc Pyrrhus: De re manifesta quæris Cinea. Victis Romanis, nulla neque barbara neq; Græca vrbs istis est, quæ resistere nobis possit: itaq; statim vniuersam obtinebimus Italiam, cuius magnitudinem, bona, & potẽtiam quemuis potiùs quàm te ignorare consentaneũ est. Tum Cineas paululum moratus: Italia verò, inquit, occupata, quid agemus? Et Pyrrhus nondũ, quid sibi is vellet, intelligens: Sicilia, ait, proxima est, insula diuitiis & hominibus abundans, manusq; nobis protendit: ibi enim nunc defuncto Agathocle omnia seditionibus plena, confusioneq; magistratuum, & oratorum certamibus. Probabilia dicis, respondit Cineas: sed eritne is nobis finis expeditionis, vt Siciliam capiamus? Deus, inquit Pyrrhus, victoriam nobis hanc si concesserit, ad magnas res
14 ea, quasi exordio, vtemur. Quis enim Africa abstineat se & Carthagine, cùm & hæc capi possit? quam Agathocles furtim Syracusis elapsus, paucis cum nauibus traiecto mari minimũ abfuit quin caperet. Quid verò attinet dicere, eorum, qui nunc nobis insultant, hostium his victis nullum nobis resistere posse? Nihil, ait Cineas: & verò perspicuum est, tanta te auctum potentia & Macedoniam recepturum, & imperium in Græcos stabile habiturum. verùm his omnibus confectis, quid tum agemus? Ibi sublato Pyrrhus risu: Multo, ait, ocio fruemur, ac quotidiano potu & colloquiis inuicem exhilarabimur. Huc vsq; regem Cineas cùm sermone deduxisset: Quid ergo obstat, inquit, quin iam cõuiuemur, & in ocio nos inuicem oblectemus: cùm iam in

promtu

promtu id nobis sit, possimusque eo sine vllo labore frui, "
quod multo sanguine multisq; ærumnis quæsitum imus, "
multa aliis mala illaturi, multa ipsi passuri? Hac oratione "
Cineas Pyrrhum magis perturbauit, quàm vt à proposito *Pyrrhi expeditio in Italiam.*
auerteret: intelligentem sanè, quantam in præsens felicitatem dimitteret; sed eorum, quæ cupiebat, spem deponere non valentem. Primùm itaque Cineam ad Tarentinos misit cum tribus millibus militum. Inde multis hippagogis, tectisque nauibus & lembis Tarento allatis, viginti elephantos, equitum tria, peditum viginti, sagittariorum duo millia, & funditores quingentos imposuit. Omnibus paratis soluit, & medium iam Ionii maris tenens, Boreæ præter anni tempus erumpentis flatu abreptus, ipse virtute & alacritate remigum atque gubernatorum non sine magno labore & periculo ad terram contendit: sed classe turbata, nauibusque dissipatis, quædam ab Italia aberrantes in Africam & Siculum mare eiectæ sunt. quasdam, cùm Iapygiam promontorium superare non potuissent, nox obruit, ac mare tumidum & sæuiens in loca importuosa & occultas sub aqua rupes habentia impulit, omnesque perdidit, sola regia naui excepta. Hæc, dum adhuc ab alto irruerunt fluctus, mole sua & robore maris impetũ sustinuit: postquam mutato loco à terra etiam incubuit ventus, periculumque fuit ne nauis proram ingenti procellæ obuertens subuerteretur, neq; verò inter præsentia mala quicquã terribilius videbatur, quàm sæuienti mari & vento omnes in partes se conuertenti nauim credere: Pyrrhus in aquã desiluit. Summo studio & alacritate illicò amici & stipatores in rege seruando certatim laborauerunt: nox & vnda ingenti fremitu asperaq; collisione auxilium difficilius reddiderunt: itaque vt illuxit, & ventus elanguit, ægrè demum terram attigit, corporis viribus omnino collapsis, audacia tamen & animi robore cõtra hunc casum obfirmatus. Simul & Messapii, apud quos eiectus fuerat, promtè ad auxilium ei ferendum accurrerunt, quasdamq; naues quæ vim tempestatis superauerant, adduxerunt. in quib. erant perpauci equites, peditum non duo integra millia, duoq; elephanti. His tum receptis Pyrrhus ad Tarentum accessit, Cineaq;, vt de eius aduentu resciuit, milites obuiam ei ducente, ingressus vrbẽ, dũ ex mari seruatæ naues appellerent, atq; copiarum maxima

*Naufragiũ eius.*

*Pyrrhus à Tarẽtinis receptus quæ egerit.*

maxima pars cõueniret, nihil inuitis Tarentinis egit. Tum verò intelligens, multitudinem eam sine magna vi neq; per sese seruari neq; per alios posse, sed quòd eũ pro ipsis propugnare sentirent, domi desidere, ac balneis, & congressib. vacare: gymnasia & ambulationes clausit, in quibus oberrantes verbis de bello rectè administrando nugabantur, potationes quoque, comessationes, & conuiuia intempestiua sustulit: ad arma populum vocans, acerrimum & ita molestum vulgo delectum habuit, vt ex vrbe multi discederent, quibus adeò insolens erat imperata facere, vt non ex libidine sua viuere, seruitutem esse putarent. Postquam 17 Læuinum Romanorum consulem Lucaniam populari, & multo cum exercitu contra ipsum ducere renunciatum est: Pyrrhus, etsi nondum sociorum auxilia conuenissent, tamen indignum ratus, si hostes propiùs accedere pateretur, castra aduersus eum mouit: præmisso caduceatore qui Romanis indicaret, se libenter arbitrum fore, si loco belli vellent ipso iudice & arbitro cum Italis disceptare. Respondit Læuinus, neque Pyrrhum Romanos arbitrum delegisse, neque eum hostem timere. Itaque progressus, in campo inter Pandosiam & Heracleam castra fecit. Inde cùm Romanos propè adesse, & trans fluuium Sirin castra habere audiuisset, speculandi causa ad fluuium obequitauit: ordinibusq;, excubiis, ornatu & castrorum figura inspectis admiratus ea, Megacli, qui tunc amicorum proximus ei stabat, dixit, militiæ hanc institutionem neque barbaricam, neque barbarorum esse sibi videri: sed facto se cogniturum. Exinde de futuro solicitus, sociorum auxilia expectare statuit: Romanis, siquidè priores fluuium transire essent tentaturi, stationem ad ripam obiecit. Romani verò ea, quæ Pyrrhus operiebatur, præuertere properantes transgredi fluuium ausi sunt, missis per vadũ peditibus, equitatu autem variis fluuii partibus traiiciente: ita vt Græci, ne circumuenirentur, stationem deseruerint. Hoc vt sensit Pyrrhus, perturbatus animo, ducibus peditum mandauit vti acie statim instruerent, militesq; in armis tenerent: ipse cum trib. equitũ millib. præiuit, sperans adhuc in transitu amnis diuulsos, incompositosq; Romanos se deprehensurũ. Verùm vbi scuta supra fluuium plurima obiecta, equites ordine incedere vidit, in aduersum se hostem primus intulit,

cùm

cùm armatorum pulcritudine, ornamentorumq; eximio splendore conspicuus, tum gloriæ suæ facta paria ostentans: eoq; inprimis, quòd manibus & corpore in prœlio laborans, fortiterq; in obuios hostes pugnans, consilio tamẽ sibi, prudentiaq; constitit: &, quasi extra aleam prœlii positus omnia cõsideraret, bellum temperauit, subinde accurrens, & iis qui pelli videbantur auxilium ferens. Ibi Leonnatus Macedo cùm Italum quendam Pyrrho intentum, equoq; in eum conuersum omnes eius motus obseruare & sequi conspexisset: Cernísne, inquit, ô rex, barbarum illum equo albis pedibus, cætera nigro, insidentem? magnum aliquid meditari & arduum videtur: in te enim vnum reliquis neglectis intuetur, & aduersum te cõsistit ferociæ plenus: proinde ab eo tibi caue. Huic ita Pyrrhus respõdit: Fatũ quidẽ, Leonnate, euitari non potest: sed neq; iste, neq; quisquam alius Italorum se mihi manum contulisse lætabitur. Hæc illis adhuc colloquentibus, Italus ille equo conuerso, infensaq; hasta contra Pyrrhum impetum fecit, simulq; & regis equum feriit, & ipsius equus est à Leonnato confossus: vtriusq; autem lapso equo, Pyrrhum amici eripuerũt, Italus pugnans interfectus est. Fuit is Frentanus natione, turmæque eius dux, Oplacus nomine. Pyrrhum hoc in posterum cautiorem reddidit: & cùm equitatum suum inclinari videret, phalangem accersiit atq; instruxit: ipse socio- rum suorũ cuidam, Megacli nomine, arma sua & chlamydem tradidit, eiusq; vicissim se habitu texit, atque ita aciem contra Romanos mouit. Commisso prœlio diu incerta fuit victoria, septenisq; vicibus fugisse eosdem & hostem insecutos aiunt. Et armorum mutatio cùm suo tempore regi saluti fuisset, parum abfuit quin res eius euerteret, victoriamq; perderet. Nam multis Megaclẽ petentibus, primus eum Dexous percussit atq; strauit, & cassidem chlamydémque abripiens, ad Læuinum attulit, ostentans clamansque, Pyrrhum se interfeciſſe. His exuuiis per aciem circumlatis atq; monstratis, apud Romanos gaudiũ & vociferatio læta, apud Græcos mœsticia & terror ortus est: donec Pyrrhus re percepta nuda facie accurrit, manusq; intendens, voce se pugnantibus agnoscendum præbuit. Ad extremum cùm *Pyrrhi victoria.* elephanti maximè Romanos pellerent, equis eorum, antè quàm ad hostem veniſſent, belluas non sustinentibus, ses-

soresq; in diuersum efferentibus, turbatis Thessalicum equitatum immisit, eosque multa cum cæde fudit. Dionysius refert paulo minores quindecim millibus Romanos cecidisse: Hieronymus tantùm septem millia. à Pyrrhi parte ille tredecim, hic non prorsus quatuor millia: fuerunt autem præstantissimi amicorũ & sociorũ, quibus maximè antè vsus Pyrrhus, & tunc potissimum fretus fuerat. Porrò & castra Romanorum ab illis relicta cepit, & vrbes ad societatem belli pertraxit, multaq; regione vastata eò vsque processit, vt trecentis tantum ab vrbe abesset stadiis. Post pugnam multi ad eum ex Lucanis & Samnitibus venerũt: quorum etsi moram culpauit, tamen haud obscurè lætitiam & animi elationem tulit, quòd ipse solus cum Tarentinis magnam Romanorum potentiam superasset. Romani autem Læuino magistratum non abrogauerũt: tametsi C. ferunt Fabricium dixisse, non ab Epirotis Romanos, sed à Pyrrho Læuinum victum fuisse: quippe non copiarum, sed imperatorum culpa cladem acceptam. Enimuerò refectis ordinibus, cùm de bello multa intrepidè & ferociter dicerent, stupefecerunt Pyrrhum. Itaq; priùs experiendum ratus, an ad pacificationem inclinarent, cùm & vrbem non facilè, neque istis, quas habebat, copiis capi penitusq; Romanos vinci posse, & fœdus pacemq; post hanc victoriam gloriæ sibi summæ futuram iudicaret. Missus itaque Romam Cineas, cum proceribus collocutus est, iisque omnibus & eorum vxoribus regis nomine munera obtulit: accepta sunt à nemine, sed ab omnibus & viris & mulieribus responsum, publicè contracto fœdere, se quoq; libenter & promtè regi gratificaturos. Ad senatum à Cinea multa humaniter, & ad pelliciẽdum appositè dicta cùm essent, quamuis & captos in pugna sine precio se dimissurum Pyrrhus, & in Italia subigenda iis auxilio futurum polliceretur, nihilque eo nomine nisi societatem secum fieri, & Tarentinis impunitatem dari peteret: nihil tamen promtè acceptum est. haud obscurè quidem ad pacem inclinabant plerique, quòd & victi essent magno prœlio, & aliud maius, auctis Italorum accessione Pyrrhi viribus, expectarẽt: Eo tempore Appius Claudius vir illustris, cùm propter senectutẽ & cæcitatem in republ. versari iam ante desiisset, renunciatis ipsi regis postulatis, obtinenteque simul rumore,

*Cineas Romam missus de pace agit.*

more,

more, fore vt pacem senatus decerneret faciendam, non se continuit, quin à famulis lectica per forum in Curiam gestari se iuberet. Apud fores filii eum & generi exceptum in senatum introduxerunt. senatus reuerentia tam honorati viri silentium tenuit: Appius autem assurgens, hanc habuit orationem. Hactenus quidem, P. C. visus mei calamitatem grauiter tuli: nunc autem hoc mihi molestum præterea est, quòd non surditas mihi ad cæcitatem « acceſſit: sed turpia vestra audio consilia & decreta, quibus « gloriam Romanam euertitis. vbi nunc vestra illa, quæ per « omnium hominum ora est vagata, oratio? Si Alexander, « dicebatis, Magnus in Italiam veniſſet, ac cum nobis iuuenibus, aut patribus nostris ætate florentibus rem habuisset, « non inuictus hodie cantaretur: sed aut fuga, aut morte « sua Romæ gloriam auxiſſet. Nunc ea inani futilitate & vana iactantia à vobis dicta fuiſſe ostenditis, Chaonas & Molossos, qui semper Macedonum præda fuerunt, timentes, & Pyrrhum metuentes, qui vni satellitum Alexandri « perpetuò se affeclam præbuit. Atque is nunc non auxilium Græcis, qui in Italia sunt, ferens, sed quos in Græcia « habet hostes fugiens hîc oberrat: hisque copiis imperium « Italiæ se nobis paraturum promittit, quibus exiguam Macedoniæ partem seruare sibi non valuit. Nolite igitur exiſtimare, amicitiæ pactione vos ab eo liberatum iri: quin « imò illos alteros contra vos excietis: arbitrabuntur enim, « facillimè vos à quouis posse subigi, cùm Pyrrhus ex Italia recedat non modò impunè suas in vos iniurias, sed & « mercedis loco id secum auferens, quòd Romanos Samnitibus atque Tarentinis deridendos propinauerit. Hæc oratio Appii animos suorum ad bellum excitauit. Itaque Cineas dimiſſus est, iussusque Pyrrho renunciare, vt ex Italia discederet, atque tum si videretur, de amicitia cum Romanis ageret: quamdiu verò in armis esset futurus, Romanos totis viribus bellum contra eum gesturos, etiam si plures adhuc Læuinos pugna vinceret. Ferunt, Cineam, interim dum legationem obiret, operæprecium duxiſſe, vti in vitas Romanorum inspiceret, & reipublicæ virtutes cognoscceret, habitis cum præstantiſſimis Romanorum sermonibus: eumque inter alia Pyrrho dixiſſe, Romanum senatum sibi regum multorum con-

*Appij Caeci oratio.*

*Cineæ de Romanis iudicium.*

cilium visum fuisse. & de populi multitudine, vereri se, ne contra Lernæam aliquam hydram sit pugnandum. nam & duplum eorum qui in acie priùs stetissent, iam à consule collectum haberi, multotiesque totidem adhuc Romæ esse ferēdis armis habiles. Sub hæc cum C. Fabricio de redimēdis captiuis legati ad Pyrrhum venerunt: quem apud Romanos plurimum fieri retulerat Cineas, virum quippe bonum, & bellica virtute nobilem, iuxtaque pauperrimum. Hunc Pyrrhus priuatim amicè compellatum, vt abs se aurum acciperet, nullius rei turpis causa, sed in amicitiæ saltem hospitiiq; argumentum, hortatus est. Cùm Fabricius donum repudiasset, destitit: & postridiè eum, quòd nunquam elephantum vidisset, terrere volens, iussit vt ipsis iterum congressis maximus elephantorum à tergo post aulæum constitueretur. Factum est ita: & dato signo, aulæo sublato, bellua subitò proboscidem supra caput Fabricii protulit, terribilemque & asperam vocem edidit. At Fabricius placidè conuersus, atque subridens: Neque heri, inquit, aurum, neq; hodie bellua me mouit. In cœnam omnis generis sermonibus inductis, ac plurimis de Græcia & philosophis, fortè Cineas Epicuri mentionem fecit, atque exposuit; quemadmodum qui ab ea sunt secta, summum bonum in voluptate ponetēs, rempublicam, veluti detrimentum & confusionem beatitatis, fugerēt: Deum autem longissimè ab ira & gratia, curaq; rerum humanarum in ociosa & voluptatum plena vita collocaret. Nondum finierat sermonem, cùm Fabricius alta voce exclamauit: Vtinam, ô superi, Pyrrho & Samnitibus, tantisper dum cōtra nos bellum gerunt, placita istorum hæc philosophorum cordi sint. Pyrrhus animi magnitudinem, moresque Fabricii admiratus, pacem omisso bello ea cum ciuitate facere cupiit: & priuatim ei promisit, siquidem effecisset vt pax coiret, secum si vellet futurū, seq; eum primo inter amicos & duces suos loco habiturum. Ad hęc Fabricius, nihil à suo ingenio recedens submissa voce: Atqui, inquit, id ex re tua futurum non est: qui enim te nunc colunt & admirantur, vbi, qualis ego sim, experti fuerint, à me potiùs quàm à te regi volent. Hunc sermonem Pyrrhus non irato aut tyrannico animo accepit: sed & amicis suis de Fabricii magnanimitate retulit, & ei soli captiuos permisit, vt si senatus pacem non decre-

*Fabricij legati ad Pyrrhum missi magnanimitas.*

decreuisset, ij salutatis amicis, & Saturnalibus celebratis, ad se remitterentur. Et verò sunt à senatu remissi, mortisq; supplicium iis, qui non rediissent, constitutum. Post hæc ad Fabricium delato imperio, quidam in castra eius venit, epistolam ferens à regis medico scriptam, pollicente, Pyrrhum se veneno necaturum, si Romani gratiã se ipsi, quòd bellum citra periculum eorum dissoluisset, habituros reciperet. Sed Fabricius indignè facinus hoc ferens, collega in eandem adducto sentẽtiam, missis celeriter ad Pyrrhum litteris, cauere sibi ab istis insidiis iussit. Exemplum litterarum hoc fuit. C. Fabricius, Q. Æmilius coss. Pyrrho regi S. videris neque in amicis neque in hostibus iudicandis fœlix: etenim lectis nostris ad te litteris cognosces, bonis te & iustis viris bellũ facere, malis & iniustis credere. Neq; verò hæc in tuã gratiã tibi indicamus, sed ne tuus casus calumniã aduersus nos excitet; & videamur bellũ, cũ virtute nõ potuissemus, fraude confecisse. Lectis litteris, deprehensisque insidiis Pyrrhus medicum supplicio affecit, Romanis referendæ gratiæ causa captiuos dono dedit, simulque Cineam iterum misit, vt is de pace ageret. Romani captiuos neque beneficii loco, neque mercedis nomine ab hoste accipiendos rati, totidem ei de Samnitibus & Tarentinis captos sine precio reddiderunt: de amicitia & pace nullum admissuros sermonem responderunt, nisi antè armis & milite ex Italia amoto in Epirum rediisset. Pyrrhus altero prœlio agendum cum hostibus intelligens, cum exercitu ad Asculum profectus est. Ibi Romanos obuios habuit, & collatis signis, cum vi per loca equitatui iniqua, apud amnem rapidum & cuius ripæ essent arbustis obsitæ, eniteretur, cùm elephantis aditus in Romanam aciem non pateret, multis vtrinque vulneratis & cæsis, nox tandem prœlium diremit. Postridie vt æquali loco pugnam committeret, elephantique in Romanos irruere possent, iniquiora loca præsidio occupauit, multisque velitibus & sagittariis inter elephantos admixtis; densis ordinibus exercitum ingentem multa cum vi in hostem duxit. Romani cùm flectere, & ab altero latere irrumpere, vt superiori pugna, non possent, sed in obiectos à fronte in planicie esset pugnandum, vt ante elephantorum impetum phalangem funderent, intenderunt: itaque vehemens fuit eorum pu-

*Insidias cõtra Pyrrhum factas Fabricius ipsi indicat.*

*Captiui liberati vtrinq;.*

gna, gladiis contra sariſſas contendentium, neque vitæ parcentium ſuæ, ſed vt ſauciarent aut deiicerent hoſtem, nihil ſolicitorum quid ipſis fieret. Cùm diu eſſet pugnatum, pelli tãdem cœperunt (vt fertur) ab ea parte, qua Pyrrhus ipſe hoſtibus repugnabat. Maximè autem elephantorum robore & impetu ſunt pulſi, cùm propter eos virtute ſua vti non poſſent, ſed veluti fluctu aut terræ motu ingruente, cedendum ſibi intelligerent, neque nulla re geſta occumbendũ, nulloq; fructu atrociſſima quæuis ſuſtinenda. Fuga non longa fuit, caſtris in vicinia poſitis. Millia Romanorũ ſex cecidiſſe Hieronymus ait: à parte Pyrrhi millia tria, quingẽtos quinq; occubuiſſe, ita eſſe in regiis annotatum commentariis. Dionyſius neque duas ad Aſculum pugnas, neque certam de Romanis victoriam refert: ſemel vſque ad occaſum ſolis pugnatum, Pyrrho ad extremum pilo brachium ictum, eo vulnere, ſimulque Samnitibus impedimenta eius diripientibus, pugnam finitam: ab vtraque parte ſeorſim ſupra quindecim millia deſiderata fuiſſe. Sanè Pyrrhum poſt hanc pugnam cuidam gratulanti reſpondiſſe ferunt: Si vnõ adhuc prœlio Romanos vincemus, funditus periimus. Etenim magnam eorum, quos ſecum adduxerat, militum copiam, amicos & duces propè omnes amiſerat: alios quos euocaret, non habebat: ſocios Italicos remiſſiùs agere videbat. contrà Romanis tanquam ex fonte domeſtico affluere milites, quibus quàm primùm repararent exercitum, & explerent legiones: aduerſo prœlio facto, fiduciam eorum non imminui, ſed & vires & cupiditatem belli augeri. His in difficultatibus cõſtitutus, in ſpes iterum vanas ingreſſus eſt, iis obiectis negociis, quæ ancipitem cogitandi curam adferebant. Simul enim ex Sicilia aderant, qui Agrigentum, Syracuſas, Leontinosq; ipſi dederent, orarentque vt eos in Carthaginienſibus eijciendis, inſulaque tyrannis liberanda adiuuaret: & ex Græcia nunciabatur, Ptolemæum Ceraunũ in prœlio cum exercitu à Gallis cæſum, nuncq; ipſum in Macedoniam regẽ carentem commodiſſimè poſſe venire. Multa itaq; fortunam incuſans, quæ in vanum tempus ita magnarum rerum occaſiones coniecisſet, ita vt alteram earum omittendam haberet: poſt longam deliberationem ad res Sicilienſes animum adiecit, quas maiores Macedonicis cenſebat

propter

propter Africam in proximo sitam. Itaque Cinea statim in Siciliam præmisso, vt cum ciuitatibus more suo de rebus instantibus communicaret, ipse Tarentinis præsidium imposuit: & indignè hoc ferentibus, postulantibusque vt vel bellum, qua de causa veniisset, contra Romanos prosequeretur, vel Tarentina regione missa facta vrbem ipsis suam, qualem accepisset, restitueret: nihil humaniùs responso, sed imperato vti quiescerent, suamque ipsius occasionem præstolarentur, inde soluit. Cùm Siciliam attigisset, statim quæ sperauerat firma omnia inuenit, ciuitatibus se illi studiosè adiungentibus. Quæ etiam certamen & vim requirebant negocia, initiò succesſerũt: triginta enim millibus peditum, bis mille quingentis equitibus, ducentisque nauibus Pœnos adortus profligauit, eorumque ditionem subegit. Erycem oppidum & natura loci munitissimum, & multis propugnatoribus armatum, vi expugnare statuit: exercituque alacrem se exhibente, armatura sua indutus, & ad mœnia accedens, Herculi ludos & sacrificium solenne vouit, si eius ope dignum se genere & fortuna sua bellatorem Siciliam incolentibus Græcis demonstrasset. Dato inde tuba signo, iaculis barbaros eminus à propugnaculis depulit, scalisque admotis primus in murum euasit: & contra multorum vim se defendens nonnullos ab vtraq; parte muro deturbauit, plures gladio interfecit, cumulumque circa se cadauerum strauit, illæsus ipse, & aspectu hostibus terribilis. ostenditque, Homerum rectè & peritè pronunciasse, solam virtutum fortitudinem sæpe impetu furioso ferri. Barbari eo tempore Messanam tenentes Græcis multum molestiæ exhibebant, stipendiarios etiam eorum quosdam habebant, erantque & multi numero, & bellicosi: vnde Latina lingua Mamertini, quod est Martii seu bellatores, dicebantur. Horum Pyrrhus exactores deprehensos interemit. reliquos pugna vicit, & castella multa eorum euertit. Carthaginiensibus ad pacem propendentibus, ac, si fœdus coiret, pecuniam se daturos & naues promittentibus, plura adhuc cupiens, respondit vnam esse pacis & amicitiæ cum iis iungendæ rationem, vt tota Sicilia relicta, Africum mare Carthaginiensium & Græcorum limitem faciant. Inde successu & viribus suis elatus, spesque eas, quibus inductus ab initio in Siciliam venerat, secutus,

*Pyrrhi in Siciliam profectio, & res ibi gestæ.*

Africę primùm appetens, cùm haberet naues, classiariis autem egeret, in his exigendis ciuitates non benignè, vt antè, sed imperiosè, & vi cogens recusantes, plectensque tracta uit. Initio enim non talem se exhibuerat, sed orationibus in vulgus gratis, omnia credendo, nullamque molestiam exhibendo animos ad se, vt haud quisquam magis, allexerat. Pòst ex oratore populari tyrannus factus, inhumanitate sua ingratitudinis de se & perfidiæ opinionem excitauit. Cæterùm ciuitates etsi inuitæ, classem eius instruxerunt: necessarium hoc esse ratæ. At postquam Thœnonem & Sostratum (viri hi inter Syracusanos erant principes, qui & primùm Pyrrho in Siciliam veniendi autores fuerant, & venienti vrbem statim tradiderant) suspectos habere cœpit, ac secúmne abduceret an in Sicilia relinqueret incertus, cùm Sostratus sibi metuens ab eo defecisset, Thœnonem idem sentire criminatus ipse necasset: non paulatim, neq; singulatim res ipsius in Sicilia mutari cœperunt: sed graui aduersus eum per ciuitates odio exorto, aliæ Carthaginiensib. se adiunxerunt, aliæ Mamertinos acciuerunt. Cùm nihil in Sicilia præter defectiones, nouarum rerum consilia, & validam contra se conspirationem cerneret, à Samnitibus & Tarentinis litteras accepit, qui vix vrbibus ipsis hostem arcebant, agris vndique expulsi, auxiliumque Pyrrhi inuocabant. Hoc ille vsus honesto prætextu, ne desperatis rebus ex Sicilia videretur aufugere, cùm quidem re vera eam veluti nauim concussam regere non posset, sed egredi cuperet, rursus in Italiam se coniecit. Ferturiam recedens ad insulam respexisse, suisq; dixisse: Qualem nos, ô amici, Carthaginiensibus & Romanis palæstram relinquimus: idq; vt is coniecerat, haud diu pòst ita euenit. Cæterùm barbari coitionem cõtra eum iam abeuntem ex Sicilia fecerunt. Et in ipso quidem freto cum Carthaginiensibus nauali prœlio contendens, multis nauibus amissis, cum reliquis in Italiam effugit. Mamertini autem haud pauciores decem millibus cùm priores ad Italiã appulissent, & acie concurrere non auderẽt, insessis locorũ angustiis, atque inde adorti totum exercitum conturbauerunt, duos elephantos, & multos eorum, qui agmini claudendo præerant, occiderunt. Ipse Pyrrhus à fronte congressus cum hoste feroci & pugnæ adsueto, ictus gladio caput

*Pyrrhus tyrannus factus Siciliæ excidit.*

22

*Pyrrhi de Sicelia vaticinium.*

*Pugna cũ barbaris.*

put cùm aliquantulum prœlio exceſſiſſet, fiduciam auxit: quidamque corporis magnitudine, & armorum ſplendore præcipuus longè ante alios procurrens, voce minaci Pyrrhum, ſi viueret, progredi iuſſit. Pyrrhus ira accenſus cum ſtipatoribus ſe conuertit, vtque erat ſanguine conſperſus, & terribili vultu, per medios ſe proripiens, barbarum anteuertit, eique gladio caput ita percuſſit, vt ictus ille robore manus & ferri tinctura adiutus ad infimum vſque corpus pertinuerit, vnoq; momento corporis per medium diſſecti vtrinque partes deciderint. Id barbaros inhibuit, ne procederent ampliùs: Pyrrhum enim tanquam humana ſorte præſtantiorem aliquem admirabantur atq; ſtupebant. Itaque reliquo itinere tutò confecto, cum viginti peditum, tribus equitum millibus Tarentum peruenit: Tarentinorumque delectu habito, rectà contra Romanos in Samnio tunc caſtra habentes duxit. Samnites rebus perditis, animis fracti ob multas à Romanis acceptas clades, etiam Pyrrho ob profectionem Sicilienſem nonnihil irati, pauci ſe ei addiderunt. Diuiſis in duas partes copijs, alteraque miſſa in Lucaniam, quæ conſulem detineret, ne collegæ ſuo auxilium ferre poſſet: ipſe aduerſus M. Curium alterum conſulem iuit. Is ad Beneuẽtum caſtra habebat, tuto loco, & ſubſidium ex Lucania operiebatur: aliquoties etiam monitu augurum & aruſpicum re gerenda ſuperſederat. Hunc Pyrrhus, antequam ſubſidium accederet, adoriri properans, cum lectiſſimis militum & quibuſdam elephantis noctu ad eius caſtra contendit. Sed per longam & denſis cinctam ſyluis viam proficiſcentem lumina defecerunt, & aberrauerunt milites: id cùm moram iniecisſet, albente cœlo viſus eſt ab hoſtibus per ſummitates montium accedere, motumque ea res & tumultum in caſtris Romanis excitauit. Curius ſacris operatus, cùm neceſſitas ita poſceret, caſtris egreſſus in primos impetum fecit, hisque fugatis totum exercitum hoſtilem terruit, itaque & multos necauit, & quoſdam elephantos cepit. Hac victoria cõfirmatus in campum deſcendit, collatisque palam ſignis quâ hoſtes fudit, quâ vi belluarum preſſus & ad caſtra repulſus cuſtodes inuocauit, qui in vallo adſtabant permulti, & viribus integris. Hi de ſublimi elephantos iaculis impetentes, auerterunt: auerſi retrò per ſocios fugerũt, tumultuq; edito & confuſis aciei ordinibus

*Pyrrhus in Italiam reuerſus à Curio ſuperatur.*

victoriam Romanis parauerunt. Hanc victoriam imperij Romani confirmatio secuta est: istis enim ex certaminibus animos, potentiamque nacti, & pro inuictis habiti statim totā Italiam, mox etiam Siciliam occupauerunt. Hoc modo Pyrrhus Italicarum & Sicilienſium rerum ſpe excidit, ſexennio toto illis bellis impenſo: ac quamuis ſuccubuiſſet, tamen animum adhuc inter iſtas clades inuictum ſeruauit. Creditum eſt, peritia eum rei bellicæ, manu, & audacia longè omnium eius tempeſtatis regum primum fuiſſe: ſed quæ agendo eſſet adeptus, ea propter ſpem eum amiſiſſe, cū præ abſentium cupiditate nihil eorum, quæ conſecutus iam eſſet, retinere, eoque vt par erat, vti poſſet. Itaque Antigonus eum luſori comparauit, qui, cùm optimè caderent teſſeræ, arte vtendi ijs, quæ iecisſet, deſtitueretur. Enimuerò cum in Epirum peditum octo millia, equites quingentos retuliſſet Pyrrhus, neq; pecuniam haberet: bellum, quo aleret exercitum, quærens, ſtatuit in Macedoniam, quā tum Antigonus Demetrij filius regno obtinebat, prædę cauſa proficiſci. Verùm cum & vrbes multas cepiſſet, & duo millia militum ad ipſum defeciſſent, maius aliquid animo concipiens, contra ipſum Antigonum profectus eſt, & apud fauces (quæ Stena Græcis ſunt) eum aſſecutus, totum exercitum in aciem deduxit. Galli in extremo Antigoni agmine erant, ingenti numero: hi fortiter ſubſtiterunt hoſtem, acriq; commiſſo prælio pleriq; occiſi ſunt: elephantorum duces deprehenſi, ſe & belluas Pyrrho dediderunt. Pyrrhus tanta acceſſione rebus ſuis auctis, fortunam magis quàm conſilium ſecutus contra phalangē Macedoniam duxit, tumultus plenam & terroris ob cladem acceptam: itaq; etiam pugna abſtinuerunt: Pyrrhus dextram intendens, omnes ex æquo duces & centuriones inuocans, peditatum ab Antigono ad ſe traduxit. Antigonus in fuga, maritimas quaſdā vrbes obtinuit. Pyrrhus autem in hoc rerum ſucceſſu maximè ad gloriam ſibi facere victoriam de Gallis iudicans, ſpolia de illis pulcerrima & ſplendidiſſima legit, inque templo Mineruæ Itonidis ſuſpendit, hac inſcriptione:

*Pyrrhus Italia pulſus Antigonū Macedonia pellit.*

*Hos clypeos donum tibi, Pallas, Itoni, Moloſſus*
*Suſpendit Pyrrhus de trucibus Galatis,*
*De victo Antigono. Res non ita mira: fuerunt,*
*Nunc bellatores Aeacidæq; manent.*

Poſt

Post pugnam statim vrbes recepit. Ægeas autem cùm occupasset, non modò malè tractauit ciues, sed & præsidium Gallicum in vrbe reliquit ex ijs qui castra ipsius sequebantur. Est autem nulla gens, quæ insatiabili pecuniæ cupiditate Gallos æquet. Itaque monumenta regum ibi sepultorum effodere aggressi, pecuniam diripuerunt, ossa per libidinem disiecerunt. Leuiter hoc tulisse, & neglexisse visus est Pyrrhus, siue dilata propter occupationes vindicta, siue barbarorum metu omissa: malè quidem apud Macedones propterea audiuit. Rebus ad hunc modum stabilitis & confirmatis, rursus ad alias spes animum applicuit: & Antigono quidem insultans, impudentem vocabat eum, quod nondum priuatam togam purpura regia deposita sumeret: ipse Cleonymo ad se profecto, & contra Lacedæmonios auxilium imploranti, prompte assensus est. Is Cleonymus regio apud Spartanos genere natus, cum violentus videretur atque impatiens collegæ, neque fauorem apud suos neque fidem habebat: sed Areus eius loco regnum tenebat: hoc ei & publicum, & antiquum crimen, quod ciuibus intenderet erat. Præterea autē Chelidonidem Leotychidæ filiam, pulchram, ipsamque etiam regio genere editam, vxorem Cleonymus iam ætate prouectior duxerat: hæc cùm Acrotatum Arei filium, adolescentulum ætate & forma florentem, deperiret, coniugium Cleonymo amanti eam triste simul & ignominiosum faciebat: neque enim quisquam ciuium eum ab vxore ludibrio haberi ignorabat. Itaque vt ad ciuilem iniuriam dedecus etiam domesticum accessit, ita & mœrore percitus Pyrrhum cum XXV. peditum, duobus equitū millibus, & XXIIII. elephantis contra Spartanos adduxit: vt facilè ex magnitudine apparatus bellici appareret, hunc non Cleonymo Spartam, sed sibi Peloponnesum quærere. Et sanè illud alterū inficiatus fuerat Megalopoli coram Lacedæmoniorum legatis, seq; venisse, vt ab Antigoni dominatione vrbes liberaret, affirmarat: imò autem profectò statuisse minores natu filios suos Spartā, nisi quid obstaret, mittere, vt Laconicis morib. institutis, eo iam ipso alios reges præstarent. Hæc fingens, atque ita eos, qui obuiam facti fuissent, decipiens, vt primum Laconicum agrum attigit, prædationes & direptiones exercuit. Incusantibus inde legatis, quod bellum non indictum antè ipsis intulisset;

*Gallorum auaritia.*

*Cleonymus Spartanus patriæ bellū facit.*

*Pyrrhi in Spartanos expeditio.*

tuliſſet: Atqui, inquit, notum eſt, ne vos quidem, Spartani, alijs prædicere quid acturi ſitis. Vnus ergo ex illis, nomine Mandricidas, dixit: At tu ſi Deus es, nihil nobis mali eueniet: nulla enim te affecimus iniuria. ſin homo es, fortaſſe aliquis te ſuperior exſiſtet. Poſt hæc Pyrrhus ad Lacedæmonem progreſſus, cùm Cleonymus ſtatim ex itinere iuberet vrbem oppugnare, veritus, ipſe (vt aiunt) ne noctu irruentes milites vrbem diriperent, diſtulit, & idem ſe de die facturum dixit: erant enim in vrbe pauci, ijque ad ſubitam obſidionem imparati: aberat & Areus, Gortynijs in Creta bello implicatis opem ferens. Id maximè vrbi ſalutem attulit, quòd ob paucitatem ciuium & imbecillitatem contemnebatur. Itaque Pyrrhus neminem ſecum pugnaturum exiſtimans, ſub noctem caſtra fecit: & amici ſeruique Cleonymi domum eius ita adornabant atque apparabant omnia, vt qui Pyrrhum ibi cœnaturum putarēt. Facta nocte, primum de exponendis in Cretam mulieribus conſultauerunt Spartani: at mulieres repugnarunt, & earum vna Archidiamia gladio ſumpto in ſenatum venit, nomine mulierum viros obiurgans, quòd eas, Sparta pereunte, viuere voluiſſent. Inde foſſam æqualiter vtrinq; diſtantē ab hoſtium caſtris ſtatuerunt ducere, atq; ſuper hac carros collocare, aggere vſq; ad medias rotas facto: vt carri eo contra impetū obfirmati elephantis impedimento eſſent. Cū opus id incoharēt, virgines & mulieres partim ſuccinctæ togulis tunicas, partim tunicatæ tantū præſtò adfuerunt, & ſeſe cū ſenioribus viris id opus facturas receperunt, eosq;, quibus pugnandum foret, quieſcere iuſſerunt: atque ita menſura illis aſſignata, tertiam totius operis partem perfecerunt: cuius latitudo ſex, altitudo quatuor cubitorum, longitudo octo iugerum Phylarcho autore (Hieronymus minorem tradit) fuit. Sub auroram hoſtibus ſe commouentibus, arma iuuenibus porrigentes, vallumque tradentes, propugnare iuſſerunt: etenim & iucundam fore in conſpectu patriæ partam victoriam, & glorioſum, mortem Sparta dignam oppetendo inter matrum & vxorum manus exſpirare. Chelidonis autem ſeorſim ab alijs laqueum ſibi aptauerat, quo Sparta capta mortem ſibi conſciſceret, ne in manus Cleonymi peruenirēt. Ipſe primùm Pyrrhus recto phalangitarum agmine aduerſus ſcutaLacedæmoniorum magno numero contrà collocata

*Mulierum Spartanarum fortitudo.*

locata

locata enitebatur, perque aggerem transitu difficilem, & qui ob raritatem materiæ non pateretur pugnantes vestigia figere. Filius autem Ptolemæus cum duobus Gallorum millibus & delectis Chaonibus ambita fossa iuxta carros ad hostē perrumpere conabatur: illi verò & altè infixi, & densi iuxta sese positi non illis modò irruptionem, sed & Lacedæmonijs propugnationem difficilem reddebant. Gallis autem rotas reuellentibus, atque carros in fluuium detrahentibus, periculum imminere cernens adolescens Acrotatus, cum trecentis per vrbem discurrens circumuenit Ptolemæum, non conspectus ab eo propter quasdam conualles, donec extremos adortus coegit vt se obuerterent inuicem sese trudentes, inq; fossam & carros incidentes, & tandem magna cæde suorum repulsos. Spectauerunt & seniores & multitudo Acrotatum egregiè pugnantem: & cùm sanguine oppletus, victoriaq; exsultans per vrbem in suam rediret stationem, maior quam antè pulcriorque Lacænis visus est, inuideruntque hunc Chelidonidi amorem. Quidam autem seniorum eum subsecuti, Vade, aiebant, Acrotate, & Chelidonidem habe: tantùm bonos Spartæ liberos gigne. Circa ipsum verò Pyrrhum cùm esset acre prœlium, & aliorum nobilis fuit pugna, & Phyllij præcipuè: qui cùm diu admodum restitisset, plurimosque hostium irrumpentium strauisset, vt præ vulnerum multitudine se deficere sentiret, quendā iuxta se collocatorum in locum suum recepit, atque intra armatos suos concidit, ne corpore hostes potirentur. Nox prœlium diremit. Ea nocte per quietem Pyrrhus vidit se fulminibus Lacedæmonem ferire: totamq; ardere eam, se gaudente. Hoc gaudio expergefactus, duces in armis habere exercitum iussit, amicisque insomnium exposuit; cōijciens, se Spartam expugnaturum. Cùm id reliquis mirificè probaretur, soli Lysimacho secus visum est: dixitq; is, vereri se, ne quemadmodum de cœlo tacta loca inaccessa manent, ita Lacedæmonem quoq; non intraturum Pyrrhum Deus præmonstrauerit. Pyrrhus autem respondit, nugas esse has ociosorum & ad garriendum cōuenientium hominum, & multum habere stulticiæ: ipsi potiùs arma manibus tenentes, hoc secum cogitarent,

*Optimum id augurium esse, armis defendere Pyrrhum:*

his dictis surrexit, & sub diluculum copias in hostem duxit.

*Acrotati fortitudo.*

*Phyllij virtus.*

*Insomnium Pyrrhi.*

*Lysimachus.*

Lace-

Lacedæmonij alacritate & virtute etiam viribus ſuis ſuperiore pro patria propugnabant: adſtabant mulieres, tela, cibum, & potum ijs, qui opus habebant, porrigentes, ſaucios ad ſe recipiebant. Iam & foſſam omnis generis materia ſuper arma & cadauera mortuorum ingeſta implere Macedones conabantur: & eò Lacedæmonijs adcurrentibus, præter foſſam & carros Pyrrhus equo admiſſo in vrbē contendens cernebatur. Edito ab ijs, qui eò erant collocati, clamore, factoq; cōcurſu, & mulierū clamore ſublato, Pyrrhū iam perrumpere conantē, & obiectis à fronte inſtātem, equus Cretico ictus ſub ventrē telo exiliens, & morte imminente calcitrans excuſſit, inq; locum lubricum & decliuem abiecit. Turbatis circa eum ſocijs, Lacedæmonij accurrunt, telisq; omnes repellūt. Propterea Pyrrhus reliquos etiam à prœlio reuocauit; Lacedæmonios, quorū pleriq; ſaucij erant, multi ceciderāt, remiſſuros aliquid ſperās. Sed bona vrbis Spartanæ fortuna, ſeu Lacedæmoniorum omni auxilio deſtitutorum virtutem ſatis experta, ſeu oſtenſura quantam rebus aduerſiſſimis vim haberet, Aminiam Phocenſem Antigoni legatum cum mercenarijs militibus auxilio Lacedæmonijs iam prope deſperationem conſtitutis adduxit: atque his vix dum receptis, Areus rex cum duobus millibus militum ex Creta ſuperuenit. Itaque mulieres domum quæque ſuam confeſtim diſceſſerunt, nihil iam de hoſte ſolicitæ: & qui præter ætatem neceſſitate vrgente arma ſumpſerant, dimiſſi, eorumque in locum alij ſuffecti ſunt. At verò Pyrrhum, quo erat animi robore, & magnarum rerum cupiditate præditus, tāto maior inceſſerat vrbem, acceſſione facta iam cōfirmatam, capiendi ardor: ſed fruſtra eo tentato plagisq; acceptis à propoſito depulſus, miſſa obſidione agrum vaſtauit, ibique hyberna habere conſtituit. Sed enim ineuitabile eſt fatum. Argis Ariſteæ & Ariſtippo factiones erant contrariæ. Cùm ergo Ariſtippus amico videretur vti Antigono, prior Ariſteas Pyrrhum Argos acciuit. Pyrrhus ex vna ſubinde ſpe in aliam delabens, proſperosque ſucceſſus, tanquam aliarum rerum occaſiones, accipiens, aduerſas res alijs actionibus ſarcire ſtudens, neque in clade neque in victoria acquieſcebat. Statim itaque Argos verſum caſtra mouit. Areus inſidijs multis conſtitutis, anguſtijsque viæ occupatis, Gallos & Moloſſos agmen claudentes carpebat.

*Pyrrhus à Sparta reiectus.*

*Pyrrhus Argos euocatur.*

Præ-

Prædixerat Pyrrho vates ex hostiarum iecinoribus mutilis, 29
fore vt aliquem suorum necessariorum amitteret. Verùm is
tunc interfestinationem & tumultum cogitationibus per-
turbatis, Ptolemæum filium cum socijs subsidium suis fer-
reiussit: ipse celeriter angustijs exercitum eduxit. Orto acri
circa Ptolemęum prœlio, delectisque Lacedæmonijs, quo-
rum dux erat Eualcus, cum hoste decertantibus, Cretensis
quidam Orœsus ex vrbe Aptera, manu promptus, cursuque
celer, ex obliquo accurrit, Ptolemæumque acriter pugnan-
tem percussit atque deiecit. Vt is cecidit, reliquos fugam *Ptolemæi mors.*
dantes Lacedæmonij persequentes atq; cædentes, in cam-
pum imprudentes deuenerunt, à grauis armaturæ militi-
bus auulsi. In hos Pyrrhus, recèns audito filij interitu, præ
dolore sæuiens, equitatum Molossorum vertit, primusque
inuectus, cæde Lacedæmoniorum se expleuit. Semper qui-
dem in armis inuictus terribilisque apparuit: tum verò ma-
iori, quam prioribus vnquam pugnis, audacia & vi vsus est.
Equum inde in Eualcum immisit: ille verò ex obliquo ad-
stans parum abfuit quin manum, qua Pyrrhus frænum te-
nebat, gladio amputasset, habenam quidem præcidit. Pyr-
rhus simul & hasta eum transfixit, & ab equo ipse defluxit:
pedestrique exinde prœlio totam delectorum manum su-
per Eualcum strauit. Hoc & magnum, &, quod vitari om-
nino potuisset bello iam finito, damnum Spartanis ducum
suorum nimia cupiditas addidit. Porrò Pyrrhus cum hoc
modo quasi parẽtasset filio, certamenq; in funere eius præ-
clarum celebrasset, magnamq; etiam luctus partem cum ira
in hostes effudisset, ad Argos processit: & cognito Antigo-
num iam in verticibus montium supra campos consedisse,
ad Naupliam castra posuit. Postridie præcone ad Antigonũ
misso, pestem eum appellauit, vt in campũ degressus de re-
gno secum dimicaret, prouocauit. Respondit Antigonus:
suas nõ armis magis, quã occasione, constare militiæ ratio-
nes: Pyrrho, si non vacaret viuere, multas mortis patere vias.
Venerunt deinde ad vtrunq; legati Argiuorum orantes vti
discederent, Argosque paterentur neutri subditam, vtrique
amicam esse ciuitatem. Antigonus assensit, filiumque suum
Argiuis obsidẽ dedit. Pyrrhus idem pollicitus, quia tamen
fidem nullo testimonio confirmaret, suspectus habebatur.
Ostentum præterea ingens ipsi oblatum est. Bobus enim

maciatis,

mactatis, capita eorum iam abscissa linguis exertis lambere cruorem suum visa sunt. Et Argis vates. Lycij Apollinis femina, foràs se proripuit cursu, clamauitque videre se cadaueribus & cæde oppletam vrbem: aquilamque ad certamen hoc aduentãtem, mox euanuisse. Densatis iam tenebris Pyrrhus ad muros venit, portamque, quæ Diamperes (quasi recta pertranseuntẽ voces) dicitur, ab Aristea sibi apertam inuenit, & Gallos, quos secum habebat, induxit, & forum occupauit, nemine ciuium hoc animaduertente. Cùm verò elephantos porta ob angustiam cum turribus non admitteret, hisque deponendis & rursus in tenebris imponendis moræ aliquantum fieret; senserunt rem Argiui, concursuq; ad Aspidem & alia munita vrbis loca facto, Antigonũ missis nuncijs vocauerunt. Ille immissis in vrbem filio & ducibus cum magno auxilio, prope vrbem in subsidio constitit. Venit & Areus cum mille Cretensibus & expeditissimis Spartanorum. Hi vniuersi cum Gallis congressi, magnam inter eos trepidationem fecerunt. Pyrrhus autem magno cũ clamore iuxta Cylarabin in vrbem ingressus, vt Galli clamorem reddiderunt: non ferocem eum, neque audacium, sed turbatorum & laborantium ratus, celeriùs equitatum, qui ante ipsum ibat, impulit, difficulter admodũ se ex cloacis, quarum vrbs plena est, expedientem, periclitantemq;. Hac in nocturna pugna magna erat & eorum quæ agerentur, & quæ duces suis mandarent, incertitudo: circumq; angiporta vagabantur passim atque errabant: neque istis in tenebris, confuso clamore, & angustia loci quicquam opera ducum præstare poterat. itaque vtrinque ocioſi diem exspectabant. Vt illuxit, Pyrrhum & Aspis armorum plena hostilium perturbauit: & inter multa, quæ in foro suspensa sunt, monumenta lupum æneum taurumque ita fictos, vt imitarentur pugnam inituros, conspiciens, perterritus est. Recordabatur enim secum antiqui oraculi, quòd eò in loco mortem ipsi fato destinatam prædixerat, vbi lupum vidisset cũ tauro certantem. Id verò monumentum casus perantiquia apud se exstare Argiui dicunt. Danao enim cum primùm Argolicam regionem attingeret, ac iuxta Pyramia Thyreatici agri ad Argos iret, lupum cũ tauro congressum visum fuisse: cumq; is lupi omen ad se (quia more lupi peregrinos adoriretur) pertinere ratus finem certaminis exspectasset, lupusque victor

*Pyrrhus Argos intrat, ibiq; perit.*

ctor discessisset: tum votis Apollini Lycio (lycum Græci lucum dicunt) factis aggressum ad rem propositam, & Gelanore, qui tunc Argis regnabat, per factionem expulso regnũ obtinuisse. Enimuerò hoc adspectu, & sinistro omniũ, quæ sperauerat, successu consternatus, recedere decreuit: & quia portæ angustiam sibi incommodam metuebat, misit ad Helenum filium, quem cum magna exercitus parte extra vrbem reliquerat, mandauitq; ei vt muri partẽ subrueret, perq; ruinam suos fugientes reciperet, & si hostes vrgerent, tueretur. Eo autem, qui missus erat, prę festinatione & tumultu nihil perspicue renunciante, & errore insuper accidente, Helenus cum reliquis elephantis & militũ optimo quoq; per portam ad ferendum patri auxilium contendit. Iam retrò cedere Pyrrhus cœperat: & quãdiu forum ei abeundi simul & pugnandi spaciũ præbebat, cõuersus in persequentes se defendebat. Postquã verò è foro in angiportũ, quod ad portam pertinet, cõpulsus, suos auxilio venientes cõtra se venire vidit, in eosq; incidit; clamantẽ, vt retrò cederent, partim nõ exaudierunt, partim ppter eos, qui à tergo apud portam instabant, non potuerunt gradum referre. Nam & maximus Elephantorum in porta ipsa in latus collapsus: atqũe infrendens dentibus exercitum prohibebat: & alius eorum qui antè fuerant ingressi, Nico nomine, delapsum propter vulnera rectorem requirens, ac per aduersos sese inferens, hostes pariter & amicos proruebat: donec inuentum cadauer proboscide sustulit, dentibusque 32
impositum, atq; ita furenti similis reuertens obuios quosque euertit atq; necauit. Sic itaq; coactis in vnum locum atque stipatis, nemini cuiquam sese mouendi facultas erat: sed tota multitudo, veluti vnum aliquod corpus compactum, varie in vtranque partem mouebatur, varie inclinabatur. Paucis admodum cum hoste à fronte aut à tergo ingruente pugnandi copia fiebat, ipsi sese multis modis lædebãt: nam qui semel strinxisset gladium aut intentasset hastam, recõdere aut ad se recipere nullo modo poterat, sed per proximum quenque exigebat: itaque mutuis cædibus peribant. Ibi Pyrrhus præsentem tempestatem cernens, apicem, qua galea ipsius insigniebatur, detractum amicorum cuidam tradidit: & equo suo fidens in persequentes hostes impetum dedit: vbi per thoracẽ hasta ictus, vulnere neq; lethali

*Apollo Lycius.*

*Helenus Pyrrhi filius.*

neq; magno, in eum qui sauciauerat sese cõuertit. Erat is Argiuus haud nobili genere ortus, sed mulierculæ pauperis & iam vetulæ filius. Ea de tecto, sicut & reliquæ mulieres, pugnam spectans, cùm filium Pyrrho cõgressum cerneret, periculi magnitudine territa, vtraq; manu arreptam tegulam in Pyrrhum coniecit: quæ infra galeam capiti illapsa, vertebras ceruicis imæ cõminuit: itaq; Pyrrhus, oborta ante oculos caligine, manib. habenas dimisit, ipseq; ad Licymnij sacrarium decidit, plerisq; ignotus. Zopyrus verò quidam, vnus de iis, qui sub Antigono militauerant, cumq, eo duo vel tres alij accurrentes, cùm quis esset agnouissent, ad fores quasdam attraxerunt, iam ab ictu vires colligentem. Et Zopyrus gladio Illyrico stricto caput ei præcisurus, Pyrrho terribilem ei vultum obuertente, ita cõsternatus est, vt trepidans totus, manibusq; tremens, nõ recta ceruicem ipsam amputârit, sed iuxta os & mentũ collo secato, tarde & ægre caput auellerit. Iam & ad plures id factũ emanauerat: & Alcyoneus citato equo accurrens, caput sibi cognoscendæ rei causa præberi postulabat. Acceptum ad patrem Antigonũ statim detulit, & apud eum cum amicis tum sedentẽ proiecit. Antigonus vt vidit, filiũ sceptro percussum abegit, barbarum & scelere contaminatum dicens: ipse Demetrij patris, auiq; Antigoni (quæ domestica habebat cõmutatę fortunæ exempla) recordatus, chlamyde oculis obducta fleuit. Caput ẽt & corpus Pyrrhi honeste ornatũ cremauit. Postea cum Alcyoneus in Helenum incidisset abiectum, & vili palliolo amictum, eumq; humaniter cõpellatum ad patrẽ adduceret: Hoc, inquit Antigonus, quàm prius tuum factum, fili, melius habet: quanquam id quoq; non satis recte actum est, q; vestitum ei hunc non detraxisti, qui nobis, qui vicisse iudicamur, maiori est dedecori, quã ei qui fert. Porrò aũt Helenum amicè acceptum, ornatumq; in Epirum remisit: atq; castris Pyrrhi, omnibusq; copiis in suam redactis potestatem, eius amicis humanũ se benignumq; præbuit.

*Pyrrhi interitus.*

*Antigoni humanitas.*

## IN PYRRHVM ANNOTATIONES.

*PYrrhus rex Epiri bello maximè contra Romanos gesto nobilitatus est: quod anno ab* V. C. CCCCLXXII. *incœ-*

incœpisse, rationes annalium produnt. Aequalis fuit Antigoni, & eius filij Demetrij Poliorcetæ, regum Macedoniæ. Vide Gellium lib.17.cap.vlt. Eius nos genealogiam ex optimis scriptoribus collectam in gratiam lectoris proponendam duximus.

## PYRRHI GENEALOGIA, ET REgum Epiri successio.




## EXPLICATIO.

Tharrytam Plutarchus quem vocat, is Pausaniæ in Atticis legitur Tharypus: fuitq; (vt ibidē traditur) à Pyrrho Achillis filio decimusquintus. Genus deduxit à filio Pyrrhi & Andromaches Pielo, (qui apud Iustin. lib.17. Piales dicitur) qui medio natu inter duos fratres fuit. Arybas Æacidæ pater, alijs Arybbas, Pausaniæ & Diodoro Siculo Ἀρύμβας, Arymbas dicitur. Filius eius Alcetas post patris Æacidæ mortem rex ab Epirotis delectus cùm crudeliter regnaret, ab ijs vnà cū liberis est occisus. Pausan. Phthia mater Pyrrhi filia fuit Menonis Thessali, de quo Plutarchus in Phocione bellū Lamiacum describens. Alexander Olympiadis frater, rex

*Molossorum, in Bruttijs bellum gerẽs perijt. Liu. lib. 8. Strabo lib. 5. Iustinus, Orosius, alij.*

*Pyrrhus multas habuit vxores: vt Antigonam Philippi & Berenices filiam, ex qua Ptolemæum genuit, de cuius interitu Plutarchus meminit. Ex Lanassa Alexandrum sustulit, Agathoclis Siculi filia: ex Bircenna Illyrici regis filia Helenum.*

1 Condito apud Dodonam templo.] ἱσταμένης. *Aretinus in ipso, quod aiunt, limine impegit, ad id templum profectos vertens. Meam versionem confirmarem autoritate, si dubia res videretur. Cæterùm παιδικὸν ἐπωνύμον, forte erat ἐπώνυμον: nisi diminutiuo & voce παιδικὰ ludicrum intelligas cognomen, videlicet à crinium colore per iocum inditum: vti & hodie solet fieri. Deucalionis porrò diluuium Eusebius & alij fere cum Exitu Israelitarum ex Aegypto coniungunt. vide & Iustinum lib. 2. ne de poetarũ fabulis te moneam. & Augustin. lib. 18. de ciuitate Dei, cap. 10. ac quæ ibi annotauit Viues.*

2 Ex Anassa.] *Iustinus ex Trogo lib. 17. sic eam vocat, hanc ipsam rẽ perstringens: eum secutus non sum, cùm Lanassa sit in Græco, tametsi Lanassa alia infrà refertur, Agathoclis filia: & non semel ita legitur, sed cognomines fuisse duas eo tempore & statu fœminas, mirum non est.*

3 Bello Lamiaco.] *Describit hoc Diodor. lib. 18. & quidem equitum ducem fuisse Menonem hunc scribit: quod & apud Plutarchum est in Phocione, in eadem historia.*

4 Casandrum Æacidę inimicum.] *Quod Olympiadem in bello cõtra Aridæum & Macedonas adiuuisset Aeacides. Pausan. Atticis.*

5 Vultu regio quidem.] *In maiestate vultus, qualis in rege requiritur, & dignitas venerabilis, & terribilis grauitas cõsideratur: hoc posterius priore plenius habuisse Pyrrhũ ait Plutarch. Nam interpres inscite moderati principis memi-*

meminit. De dentibus eius miror Plinium, cùm simile de Prusia Bithyno cõmemoret, non meminisse, cùm duobus locis de pollice pedis referat, lib. 7. cap. 2. & cap. 4. lib. 28.

6 Ad Ipsum prœlio.] Aretinus Hypsum scripsit, imperitè. Est enim etiam apud Appianum in Syriaco ἴψος, Ipsus: & Phrygiæ vrbs indicatur. Loquuntur autem de nobili illa pugna, in qua Antigonus Demetrij pater succubuit: de qua & Plutarchus in Demetrio, & Iustinus sub exitum lib. 15. & Appianus, eo quem dixi loco. *Pugna ad Ipsum.*

7 Polysperchontem.] Πολυσπέρχων nobilis fuit inter amicos & duces, qui Alexandrum Magnum secuti sunt. Vulgò Latinè ferè Polypercon scribitur, etiam apud Curtiũ: quàm rectè, non video. Polysperchontem quidẽ omnes Græci dicunt, nisi vbi librarij scripturam mutarunt: sicut etiam in apophthegmatis Plutarchi cùm idem refertur, mẽdosum est Πολυπέρχης.

8 Fratres acuto.] Imprecatio est Oedipi in filios sibi ex matre natos: exstat apud Euripidem initio ferè Phœnissarum.

9 Nisæo equo.] Aretinus equi epitheton omisit, vt & alia quædam hinc inde, quæ (opinor) non intelligens, quærendi maluit labore supersedere. Nisæa regio est Parthyenes, haud procul Caspijs mõtibus: ea equos præstantissimos, maximosq; aluit, quibus reges ipsi vtcrẽtur. Patet hoc ex Strabonis lib. 11. Plin. 6. 25. Explicauit etiam in suo Lexico Varinus ex Eustathij in Bœotiam Homeri commentarijs. Cæterùm Berocam vnico ϱ scribo: & Stephanus, & alij, atq; etiam noui Testamenti codices plerique boni habent, Actorum 17. demto Complutensi. Sed hæc alibi: vt & de Nisæi equi varia scriptura. *Nisæi equi.*

10 Thesseram petere.) σύνθημα παρεγγέλλοντας αὐτεῖν. hoc quid sit, nõ planè intelligo. Equidem nihil minus quam pugnam tum milites Demetrij postulabant. Videturq; esse men-

mendum ac legendū, σωθήκας: aut certe σύνθημα hic idem significare. vt sit sensus: Milites ad Demetrium accurrētes, poposcerunt, vt cum Pyrrho pacem fœdusq; iungeret.

11 Ad Edessam castra metati.] *Aretinus eum ab Lysimacho ibi superatum vertit sed Græca aliter sonāt. Et quidem citra prælium erat potitus Macedonia Pyrrhus: eodem autem modo, nimirum nulla commissa pugna, amisisse Plutarchus docet.*

12 Exemplo Achillis.] *lib. a. Iliad. 491. cum iratus ob ereptam Chryseidem bello & armis abstineret, otiosusq; in tentorio suo desideret. Mox:*

Improbitatem oratorum.] δημαγωγῶν. *Sic ij dicūtur, qui in repub. versantur & orationibus suis populū mouent, qui quasi regnum in populo orando & suadendo dissuadendove obtinent. Et hoc esse* δημαγωγεῖν *cum aliàs, tum ex Plut. Thesei patet, vbi de Mnestheo loquitur autor. Sed de hoc vocabulo satis apud Themistoclem.*

δημαγωγεῖν.

13 Orationem conficere omnia.] *Locus Euripidis est in Phœnissis. Cineas autem scribo, Græcos sequēs, vt Plutarchum, Strabonem (apud quem ipsum etiam κίνεας in fine septimi nominatur) & Suidam. Vulgo enim fere per y scribunt hodie.*

14 Quam Agathocles.] *Apud Iustinum hæc historia est libr. 22. & apud Diodorum disertius descripta, libr. 20. Mox:*

Quotidiano potu.] κώθωνα, *festiuitatem Aretinus vertit, non admodum festiue. quid esset κώθων, vel ex Lycurgo Plutarchi intellexisset, & dicto Dionysii tyranni in Philippum, apud eundem in Timoleonte.*

15 Multis hippagogis.] *Alij hippagines vocant, Liuius lib. 44. hippagogas Græco vocabulo, eas naues quæ transfretandis equis præcipue seruiunt.*

16 Ab alto irruerent.) πλαγία *est in Græco, idq; secutus*

tus est interpres. Sed πελαγίν esse legendum, ex sequentibus non est obscurum.

17 Postquam Læuinum.) In Græco est mendum vbiq; ἀλβῖν@ pro λαβῖν@: oscitantia librarij, cui multas id genus corruptelas debemus. Inde:

Trans fluuium Sirim.) Lyrim apud Florum legitur, in huius belli descriptione l.18. vitio librarij. Sirim autẽ Plinius etiam fluuium apud Heracleam agnoscit, 3.11. esseq; eũ fluuium nauigabilem, Strabo addit lib.6. Diodorus Siculus lib.12. eiusdem fluuij meminit, de condita à Tarentinis Heraclea referens. meminit etiam Stephanus. *Flori loc.*

18 Frentanus natione.) Ferentaneæ turmæ præfectus dicitur Floro. & quidem haud scio, eosdémne dixerint Frentanos & Ferentanos. Paulò pòst vbi est Dexous, Aretinus δέξι@ legit, Dextrum vertit.

19 Et cæcitatem.] Iste Appius Claudius luminibus captus traditur propter dimotam statu suo Herculis colẽdi & Potitiorum institutionem: Liuius libr. 9. Simulatam ab eo cæcitatem vitandæ curiæ causa, Diodor. lib. 20. scribit. Orationis eius, qua pacem cum Pyrrho dissuasit, Cicero etiam de Senectute meminit, & alij.

20 Ptolemęum Ceraunum.] Is occiso Seleuco Magno, Antiochi patre, qui Lysimacho victo Macedoniam occuparat, regno Macedoniæ potitus est. Filius fuit Ptolemæi Soteris & Eurydices Antipatro natæ. Inde cum Gallis pugna congredi ausus, ab ijs est cum exercitu cæsus. Appian. ad finẽ Syriaci. Paus. in Atticis. de bello Gallico hoc, vide omnino Iustinum lib.24.

21 Mamertini.] Hi qui fuerint, vtq; Messana potiti, leges apud Polybium, post præfationem statim lib. primi. Mamers lingua Oscorum fuit Mars. Inde nomẽ ijs factum, qui oraculi tussu ex Samnio patria sua expulsi, cũ circa Taurominiũ Siciliæ consedissent, Messanensibus auxilio profecti,

*vnà cum ijs vrbem occuparunt: & à Marte, qui sorte ex reliquis dijs obtigerat eis, Mamertinorũ nomen sibi fecerunt. Sex. Pompeius lib. 11. ex Alphij lib. 1. de bello Carthag. Videndus & Strabo lib. 7.*

22 Thenonem & Sostratum.) *Suidas nescio quo autore,* Θώνωνα φρούραρχον, & Σωσίστρατον κρατοῦντα τῆς πόλεως *appellat, Thononẽ præsidij vel excubiarum præfectũ, & Sosistratum vrbis principem.*

23 Et apud fauces, quæ Græcis Stena.) *Omisit hoc Aretinus: videtur fauces, quæ sunt ad Antigoneam in Epiri ingressu, dicere: quæ Stena Græcis vocabantur. vide Liuium sub initium lib. 32. Porrò hanc eandem historiam eleganter persequitur in Atticis, haud longe ab initio, Pausanias: atq; ibidem de morte Pyrrhi refert.*

24 Itonidis Mineruæ.) *Meminerunt huius cum alij, tũ Apollonius* ά. ἀργον. *& Scholiastes ibi docet, ab Itonia seu Itone Thessalica vrbe dictam, cultã etiam Coroneæ in Bœotia fuisse, Mineruam* ἰτωνίαν, *Itoniam vocat Polybius lib. 4. quo item ex loco apparet, in Bœotia eius tẽplum fuisse: quod idem est in Agesilao Plutarchi, eius fanum haud procul Coronea abfuisse. De Aegis dixi apud Stephanum.*

25 Rebus ad hunc modum stabilitis.] οὕτω δὲ τῶν πραγμάτων, *&c. Aretinus* οὔπω *videtur legisse: Nondum satis firmis rebus, &c. idq; vero est propius.*

26 Fortasse aliquis te superior existet.] *Hanc totam periodum omisit haud scio an propter obscuritatem. Certè diuinaui, cùm quid sit* πεὶ καρπῶν, *non satis assequar. suspicari liceat* πεὶ *pro* πυ *Doricè positum, & scriptum fuisse,* ἔσεται καὶ πεὶ κάῤῥων ἄλλος, *aut fortè pro* σεὶ *est à librario substitutum* πεὶ. κάῤῥων *Doricum est pro* κρείττων, *etiã in Lycurgi choris. Mox:*

Gorthyniis in Creta.] *Noster Corcyræis: quod si* κυρῆσι *fuisset, scio potuisse ad Corcyræos aliqua ratione torque-*

*torqueri, quod alias ostendam. Sed tamen neq; κορκυραίοις legitur sed γορτυνίοις, & ἐν κρήτῃ perspicue est additum, vt negligentiam mirer. Inde:*

Longitudo octo iugerum.] *Sesquistadium Aretinus vertit: quod locũ habere potuit, si nouem iugera scripsisset Plutarchus. iugerum enim hic non quale in agricultura, sed Geometricum intelligo, quod est sextans stadij. Vide quæ in Paulum ea de re annotauimus. Stadia autem receptis minora videtur Plutarchus interdum ponere, vt in Mario de Cimbrica acie, quod obseruandum duco. Paulo post raritatem materiæ, χαυνότητα, recentiam operis vertit.*

27 Nugas has esse.] πυλαϊκῆς ὀχλαγωγίας. *Quid sit πυλαϊκὸν, fateor mihi non satis constare. Apud portas ociosos homines conuenire nugandi & garriendi causa cõsueuisse, notum, & adhuc vsitatum est. Inde πυλαϊκὴν ὀχλαγωγίαν arbitror dici inanes & vulgares fabulas,* tantarlin, *quibus rudes & inepti homines ocioq; abutentes delectentur atq; teneantur. Statim:*

Optimum id augurium.] *Versus est, quo Hector Polydamantem auguria occinentem reiicit apud Homerum Iliad. μ. 243. Eodem vsus est simili etiam ratione Epaminondas, prœlium Leuctricum dissuadentibus ob auguria nonnullis initurus. Diodorus Siculus libr. 15. Pyrrhus suum nomen pro patriæ nomine posuit.*

28 Alij suffecti sunt.] αὐτὸς ἐπὶ τὴν μάχην. *Pro αὐτὸς, nisi ἄλλους legas, non constabit locus. aut αὐτὸς legendum, vt ad eos, qui recens venerant, referatur.*

29 Iecinoribus mutilis.] ἀλόβων. *Contrarium Plutarcho dixit Aretinus, sacris rite peractis cum notißimum sit, α esse στερητικὸν μόριον, λόβους autem iecinoris quasi auriculas aut appendices prominentes. Mox:*

Ex vrbe Aptera.] *Et hoc omisit. Aptera fœm. gener. vrbs est Cretæ, apud Strabonem lib. 10. Stephanumq;. Apud*

*Plinium 4.12. Apteron legitur.*

30 Naupliam.] *Antiquum Argolicæ regionis versus Laconicam oppidum. Vide Pausan. ad finem secundi. Paulo post:*

Lambere cruorem suum.] *προειλιχμώμεναι τὸ ἑαυτῶν φόνον. Aretinus omisit. φόνος, præter cædem, etiam cruorem in cæde effusum & aliquando locum cædis significat. Græci Grammatici. Hic cruorem, vt apud Homerum:*

ἄκρον ἐρεύγόμενος φόνον αἵματος.----

*Et apud Sophoclem Trachiniis, de veneno suo Deianira:*

Νέσσου φθίνοντος ἐκ φόνων ἀνειλόμην.

*Cæterum vbi est, λυκείᾳ προφῆτις ἀπολλωνὶς: legi ego λυκίᾳ ἀπόλλωνος. Causa ex mox sequentibus patet. Nisi quis contendat, vati nomen Apollonidis fuisse: & per Lycium nomẽ Apollinis innui: quod non puto esse necessarium.*

31 Cylarabin.] *Gymnasium est, minus trecentos ab vrbe Argis passus. Liuius lib. 34. Meminit & Pausan. in Argolicis, vt & Apollinis Lycij & fabulæ istius, reliquorumq; hîc nominatorum locorum.*

32 Hostes pariter & amicos.] *In Græco locus est mãcus, sed sententia non valde impedita.*

## PLVTARCHI MARIVS, GVILIELMO XYLANDRO, AVGVSTANO, INTERPRETE.

*De nominibus Romanorum.*

CAII Marij tertium nomen non exstat: sicuti neq; Q. Sertorij, eius qui Hispaniam obtinuit, neque L. Mummij, à quo Corinthus deleta est. Quodenim hic Achaicus dicitur, id à re gesta cognomentum ei est factum, sicut Africani Scipioni, & Macedonici Metello. Hoc argumento Posidonius potissimum refutari eos censet, qui tertium nomen Romanis proprium esse putant, Camillum verbi causa, Marcellum, Catonem: nempe

nempe eâ ratione effici ait, vt quibus duo tantum nomina essent, ij nomine vero carerent. Atqui id non sensit, hac ratione simul & illud astrui, nullam mulierē habere nomen: quandoquidem inter genera ista nominum primum, quod Posidonius proprie nomen Romanis esse arbitratur, nulli mulieri imponitur. De reliquis duobus nominum generibus, alterum commune est, à familia ductum, vt Pompeij, Málij, Cornelij, sicuti Heraclidarum apud Græcos & Pelopidarum, id est Herculis vel Pelopis posterorum. Alterum cognomentum, à natura, aut actione aliqua, aut corporis figura seu vitio ductum, vt Macrini, Torquati, Sullæ: qualia Græcis sunt, Mnemon à memoria, Grypus a naso adunco, Callinicus à victoria. Hac quidem de re disputandi multa argumenta inæqualitas consuetudinis suppeditat. Vultum autem Marij in marmorea effigie Rauennæ in Gallia expressum vidimus omnino austeritati & sæuiciæ, quæ de eo prædicantur, conuenientem. quippe fortis natura & bellicosus, magisque ad bellum quam ciuilem vitam eruditus, potentiam adeptus immodica ira ferebatur. Fertur neque didicisse litteras Græcas, neque sermone Græco vlla in re seria vsus: ridiculum ratus ea discere, quorum magistri aliis seruirent. Post secundum etiam triumphum, cum in templi cuiusdam dedicatione Græca spectacula exhiberet, ingressum in theatrum, tantum consedisse, statimque rursus abiisse perhibent. Quare vt Plato Xenocrati philosopho moribus austerioribus prædito sæpenumero solebat dicere, Rem diuinam, optime Xenocrates, fac Gratiis: ita si Marius persuaderi sibi passus fuisset, vti Græcis Musis & Gratiis sacrificaret, haud profecto turpissimam pulcerrimis rebus bello paceque à se gestis coronidem imposuisset, per iram, intempestiuamque ambitionem, cupiditatesque immedicabiles in crudelissimam & sæuissimam prouectus senectutem: quod in ipsis eius actis perspicietur. Natus perobscuris pauperibusque, & qui opere faciundo se alerent parentibus, patre C. Mario, matre Fulcinia, sero vrbem & vrbana studia vidit: ante in villa agri Arpinatis Cirræatone vitam ciuili quidem ista & eleganti rudiorem, frugalem tamen, & antiquæ Romanorum educationi similem exegerat. Prima eius militia fuit contra Celtiberos, quo tempore Scipio Africanus Numantiam

*Facies Marii.*

*Marius Græcarū litterarū contēptor.*

*Genus Marii & patria.*

*Militia prima.*

Numantiam obsedit: neque latuit imperatorem, fortitudine eum aliis iuuenibus præstare, victusq; rationem, quam luxu corruptis militibus instituerat Scipio, facillime eum ferre: dicitur etiam hostem, inspiciente imperatore cõgressus, strauisse. Itaque & aliis honoribus eum Scipio sibi deuinxit, & in cœna aliquando de ducibus sermone oborto, cuidam seu quod reuera dubitaret, seu blandiendi causa interroganti, quemnam ipso defuncto similem esset ducem populus Romanus habiturus: Marij humerum leuiter manu percutiens, Hunc fortassis, respondit. Ea in vtroque vis erat naturæ, vt hic statim in adolescentia sua magnus videri, ille ex initio finem cognoscere posset. Sane Marium hac voce potissimum, tãquam diuino aliquo oraculo, erectum in amplam spem ferunt, ad rempublicam se contulisse, opeque vsum Cæcilij Metelli, cuius à maioribus tradita iam inde à puero vsus fuerat clientela, Tribunum plebis creatum fuisse. Rogationem in tribunatu suo tulit deferendis suffragiis, quæ videbatur potentium in iudiciis vires imminuere: itaque Cotta consul senatui persuasit, vti legem impugnarent, Mariumque ad rogationis eius rationem reddendam vocarent. Facto decreto, Marius in senatum venit: neque vero id ei, quod iuueni qui recens nulla splẽdida occasione adiutus in rempublicam venisset, euenire consentaneum erat, accidit: sed eos sibi sumens tum spiritus, qui rebus deinde ab ipso gestis digni essent, Cottæ nisi decretum abrogaret, carcerem minatus est. Cum is ad Metellum conuersus, sententiam rogasset, & Metellus consuli patrocinaretur, Marius viatorem intro vocauit, ipsumq; Metellum in carcerem abduci iussit: hoc reliquos tribb. pl. inuocante, neq; vllo auxilium ferente, senatus decretum rescidit: Marius magna cum gloria ad populum egressus legem pertulit. Videbatur itaq; is esse, qui neque metu flecti, neq; reuerentia cuiusquam teneri se pateretur: sed in gratiam populi acriter contra senatum insurgeret: quam tamen de sese opinionem mox alio facto exstinxit. Legi enim promulgatæ de distribuendo inter ciues frumento cum se acerrime opposuisset, atq; vicissim, æqualem sibi apud patres & plebem honorem paranit, creditusq; est neutri parti quicquam, nisi è republica esset, gratificari. Post tribunatum, ædilitatem curulem ambiit. Duę enim sunt ædilitates, vna curulis, quę & magi-

*Scipionis de Mario testimonium.*

*Marij tribunatus plebis.*

*Ædilitatis petitio.*

& magistratus nomen gerit, à sella curuli sic dicta: plebis altera, & inferior dignitate. Et curulibus ædilibus creatis, ita demum de plebeiis suffragia ineuntur. Itaque Marius cum curulem se non obtinere palam cerneret, statim alteram petiit: visusque audax esse, & contumax, hac quoque excidit. Duas vero eodem die passus repulsas, quod nemini accidit alteri, nihil plane de animi sui elatione remisit. quin etiam paulo post præturam ambiuit, ac propemodum repulsus, postremo omniũ loco prætor creatus, ambitus reus est factus. Maxime suspicionẽ mouit Cassij Sabaconis (qui sociorum Marij præcipuus erat) seruus intra cancellos conspectus, permixtus iis qui suffragia ferebant. Cassius à iudicibus vocatus, se contracta ob æstum siti frigidam popos-
*Prætura eius, & ambitus iudicium.*
cisse, famulumq; cum poculo septa intrasse, & aqua allata euestigio abiisse dixit: sed tamen à censoribus postea senatu motus est, siue ob falsi testimonij dictionem, siue ob intemperantiam mereri id creditus. C. quoque Herennius testis aduersus Marium adductus, patronum dicendi contra clientem testimonij necessitate antiquitus recepta Romanorum lege liberari respondit: Marij parentes, ipsumque ab ineunte ætate Marium Herenniæ domus clientes fuisse. Accipientibus hanc excusationem iudicib. ipse Marius contradixit: se, cum primum magistratum occœpisset, clientelam exiuisse prætendens. Non erat hoc omnino verum: neque enim nisi curulis magistratus ius patronatus in eos qui & ipsi & maiores ipsorum clientes fuerunt, tollit. Enimuero primis diebus in iudicio cum male stetisset, expertusque esset difficiles iudices Marius, vltima inopinato absolutus est suffragiis æqualib. inuentis. In prætura mediocri laude parta, post hanc exteriorem Hispaniã pro prætore sortitus obtinuit. Fertur eam prouinciam, cum adhuc inhumanis viuẽtem moribus atq; belluinis accepisset, Hispanis etiamnum prædationes pulcerrimam omnium rem ducentib. à latrociniis expurgasse. In republica autem versanti, cũ neq; diuitiæ neq; facundia essent, quibus ea tempestate maxime populi studium, honores q; inde parabantur: ipsam tamen elationem animi in eo, laborum assiduitatem, vitamque popularem ciuibus amplectentibus, ad honores & potentiam euadebat. Quomodo vxorem etiam ex illustri Cæsarum familia Iuliam nactus est: cuius fratre Cæsaris, qui
*Vxor Ma rij.*
postea

postea summus Romanorum exstitit, natus est, Marium ipse quoque ob propinquitatem nonnihil imitans: vt in eius vita ostensum est. Mario præterea & temperantiæ & tolerantiæ testimonia perhibentur: & huius quidem indicium exstat Varicibus enim magnis cum vtrunq; eius crus laboraret, deformitatem ægre ferens, medicum accersiuit, eique non ligatus crus alterum præbuit, ac nihil ipse motus, nullo edito gemitu, constanti vultu tacitus incredibiles secturæ dolores pertulit: ad alterum vero transeunte medico, non sustinuit: Remedium hoc non dignum esse inquiens, cuius causa tanti cruciatus tolerarentur. A Cæcilio inde Metello, cui consuli bellum in Africa contra Iugurthã mandatum fuerat, legatus abductus, magnas ibi res, & præclara certamina aggressus, Metelli gloriæ, id quod reliqui faciebant, augendæ, fauoriq; eius auxiliando studendum sibi nequaquam existimauit: neque à Metello se legatum, sed a fortuna in commodissimam occasionem, maximorũque facinorum theatrum introductum iudicans, omnia "virtutis opera exercuit: cumque bellum multa difficilia secum ferat, neq; magnum vllum subterfugiendo laborem, neque paruum se indignum ducendo, & æquales quidem consilio, vtiliumque rerum prouidentia superando, cũ militibus frugalitate & laborum tolerantia certãdo, multam sibi ciuium beneuolentiam conciliauit. Omnino enim la- "boris hoc solatium homines habent, si quem alium sponte eundem perferre laborem conspiciant: ita enim necessitas videtur sublata Romanis vero iucundissimum est spectaculum dux in oculis militum eodem pane vescens, aut in vili toro quiescens, aut in fossa vel aggere faciendo operam communem præstans. non enim eos perinde duces in oculis ferunt, qui honorem aut pecuniam largiuntur, atque hos, qui laboris periculorumque in se partem recipiunt; magisque amant laborum societatem eos ineuntes, quam ocio indulgentes. His omnibus Marius milites sibi deuinciens, nomine suo & gloria celeriter Africam impleuit, & Romam: scribebant enim suis domum milites, nullum belli contra Iugurtham finem futurum, nisi C. Marius consul crearetur. Hæc Metellum haud obscure molestia afficiebant: præsertim vero Turpilij casus. Erat is Turpilius paternus Metelli hospes, & sub eo tum dux sociorum militabat.

*Gesta Marii bello Iugurthino.*

*Ducis exemplum.*

bello

bello Iugurthino Vaccam vrbem magnam præfidio tenẽs, dum oppidanis, quos nullo maleficio vexabat, ſed humaniter iis ac benigne vtebatur, incautus fidit, in manus hoſtium peruenit: ab oppidanis tamen Iugurtha recepto deprecantibus pro eo, ſaluus dimiſſus fuit. Huic proditionis accuſato Marius in iudicio præſens grauem ſe præbuit, multisque contra eum irritatis effecit, vt damnare eum & capitali ſupplicio afficere coactus fuerit Metellus. paulo poſt falſo crimine oppreſſum Turpilium apparuit: cumque alij Metello rem grauiter ferenti ſocios ſe doloris pręberẽt, Marius præ gaudio ſibi hoc facinus vindicare, ac vbique iactare non erubuit, diras ſe vltrices cõtra Metellum propter cædem hoſpitis excitauiſſe. Apertæ poſt hæc fuerunt inimicitiæ: feruntque præſenti aliquando Mario Metellum veluti per contumeliam dixiſſe: Tu ergo, bone vir, relinquis nos, domumque ad petitionem conſulatus contendis: non enim ſatis tibi erit collega hoc meo filio (erat is adhuc adoleſcentulus) conſulatum gerere. Proinde Marium commeatum petentem diu remoratus, tãdem reſiduis adhuc ante comitia conſularia duodecim diebus dimiſit. Marius à caſtris ad mare Vticam duobus diebus, vnaque nocte confecto ingenti itinere perrexit, ibiq; antequã ſolueret ſacris operatus eſt. Ferunt ei aruſpicẽ dixiſſe, incredibiles omnique ſpe meliores ei ſucceſſus portendi. His fretus ſoluit, & quatriduo ſuperato mari ſecũdi venti auxilio, Romã venit. Hic & exſpectatus eius populo fuit cõſpectus, & ad multitudinẽ à tribuno plebis quodã productus, multa Metellũ calumniatus, conſulatum petiit, promittens ſe aut viuum Iugurthã, aut mortuũ in poteſtatẽ P. R. redacturum. Magno consenſu conſul creatus, confeſtim delectũ contra leges & conſuetudinem inſtituit: multis pauperib. atque ſeruis ſcriptis: cum priores duces hos non admiſiſſent, ſed arma, vt rem iuxtà aliis præclaram, eo honore dignis tantum dediſſent, bona eorum pignoris loco eſſe arbitrati. Non tamen hoc caput fuit reprehenſionum, in quas incurrit Marius: ſed ferocia eius dicta, quæ ſuperbe & contumeliose fundebat, nobilib. dolorem adferebant. Conſulatum ſuum ſpolia de mollicie nobilium & diuitum ſe habere: ſe vulneribus ſuis, non mortuorum monumentis, aut alienis imaginibus ſeſe ad populum iactare: ſæpe etiã duces, qui eo bello in Africa

*Turpilius falſo proditionis damnatus.*

*Marii in Metellum iniuria.*

*Vt Romã profectus, conſularũ obtinuerit*

rem

rem infeliciter gesserant, Bestiam & Albinum, nobiles viros, sed imbelles, & ob imperitiam rei bellicæ cladem passos, nominatim perstringens, ex adstantibus quærebat, Nõne existimarent horum maiores optaturos Marij potius similes, quam quales reliquissent, posteros? cum ne ipsi quidem nobilitate generis, sed virtute & præclaris facinorib. gloriam essent adepti. Hæc ille neque vana iactabat, neque arrogantia, aut inani exercendi odia contra potentiores studio impulsus: sed populus senatus ignominia, orationisque fastu gaudens, subinde animum eius elatum iam ante immodice augebat, incitabatq;, vt sibi gratificans optimatibus non parceret. Postquam in Africam traiecit, Metellus inuidiæ cedens, impenseque dolens quod bello iam à se confecto, eoque tantum restante, vt corpore Iugurthæ potiretur, Marius malam ipsi gratiam referendo auctus adesset ad præripiendam rei gestæ coronam atque intercipiendum triumphum: congredi cum ipso non sustinuit, sed aliò concessit: Rutilius Metelli legatus Mario exercitum tradit. Et quidem in fine Marium vltio diuinitus consecuta est: nam Sylla ei gloriam rei gestæ, perinde atque ipse Metello, eripuit: quo modo id sit actum, paucis narrabo, cum singula sim in historia Syllæ persecutus. Bocchus rex Mauritaniæ socer erat Iugurthæ. Huic bellum gerenti nihil admodum opitulatus erat, infidelitatem eius causatus, & incrementa timens: fugientem, ac vagantem necessitateque eo compulsum, vt in socero vltimam spem reponeret, ideoque ad se profectum, magis verecundia supplicis, quam fauore motus recepit, secumq; habuit. Palam inde Mario se excusare, & Iugurtham se non dediturum ei libere scribere: occulte proditionem contra hunc componere, & ad se vocare L. Syllam, Marij tum quæstorem, vt à quo isto in bello beneficiorum aliquid accepisset. Vbi Sylla fidem habens promisso venit, Bocchus sententiam mutare, mutare institutum, multosq; dies ancipiti deliberatione teneri, tradereine Iugurtham, an Syllam quoque detineret. tãdem proditionem primo cogitatam, ratam habuit, Syllæque Iugurtham viuum tradidit. Hoc primum fuit grauis istius & implacabilis inter Syllam & Marium dissidij initium, quod parũ abfuit quin Romam euerteret. Multi enim inuidia Marij adducti, Syllæ Iugurtham captum adscribebant: & ipse Syllatra-

*Sylla Iugurtha capto, Marij gloriæ officit.*

la traditum sibi à Boccho Iugurtham in annulum suum insculpsit, eoq; sigillo semper est vsus: ambitiosum hominem, & socij gloriæ impatientem, contentiosumq; iritans Marium, eius inimicorum præcipue instinctu: qui vt populi ad mirationem studiaq; in Marium tollerent, Metello primas maximasque belli eius laudes, Syllæ finem adscribebant. Hanc inuidiam, odiaq; in Marium & calumnias statim deleuit periculum ab occidente Italiæ imminens. Nam vbi primum magno duce opus esse constitit, & aliquē vrbs cir- 6
cumspexit, quo veluti rectore vsa belli hanc tempestatem effugeret: nemo quisquam eorum qui generis freti nobilitate, aut diuitiis consulatum petebant, habuit rationem, sed Marium absentem vno ore omnes consulē designarunt. Etenim simul & Iugurtham captum esse, renūciatum fuit. & de Teutonis atque Cimbris rumores allati tanta multitudine tantoq; robore aduentantibus, vt fidem primo non inuenerint, post rei grauitate minores apparuerint. Quippe hominum armatorum & bellicosorum C C C. millia erant: mulierum & liberorum eos numerus longe amplior comitari ferebatur. Agrum qui eam multitudinem aleret, vrbesq, quas habitarent petebant, sicuti antè Gallos audierant optimam Italiæ regionem Etruscis adem tam obtinuisse. Ipsi quidem quia & nulla cum aliis cōmercia habebant, & lōgissimo itinere adueniebant, quinam homines essent, aut vnde terrarum profecti nubium instar in Italiam & Galliam decubuissent, ignorabatur. Maxime tamen cōiectura erat, Germanorum esse nationes eorum qui ad septentrionalem Oceanum pertinent: sumta ex magnitudine corporum, vultu terribili, & quia latrones Germani Cimbros dicunt, coniectura. Alij Germaniam, nimirum regionem amplissimam, ab exteriori mari & partibus ad septentrionem vergentibus ad ortum solis iuxta Mæotidem paludem reflecti, atq; ibi Scythiam Ponticam contingere dicunt: inde gentes eas inter se permisceri. Hos non vno omnes impetu neque continenter, sed quotannis verno tempore sedibus suis exire, atq; semper ad vlteriora progredi: hoc modo per multum tempus illos per continentem armis vagatos: itaque etsi multa sint peculiaria adepti nomina, tamen Germanoscythas eum exercitum vocari. Quidam Cimmerios, primum à priscis Græcis cognitos, non magnam mortaliū

*Syllæ sigillum.*

*Bellum Cimbricū & Teutonicum.*

*De Cimbris & Cimmeriis.*

portionem, sed exsules quosdam aut factionem Scythicam vi domo pulsam in Asiam à Mœotide transiuisse autumant, duce Lygdamide. Horum maximam & bellicosissimam partem in extremis ad mare exterius partibus sedes posuisse loco vmbroso & syluestri, solisq; radiis plane inaccesso propter denſitatem nemorum, quæ vsque ad Hercyniam syluam introrsum pertingant: polum porro septentrionalem haud multum ab eo cœli puncto, quod directe eorum vertici imminet, abesse: itaq; diem integrã anni medietatem, reliquum noctem occupare: inde occasionem Homericæ in Necyia de Cimmeriis fabulæ præbitã. Hos ergo affirmãt Cimmerios ab initio, tunc Cimbros (neq; hoc a vitæ instituto) dictos, tũ in Italiam irrupisse. Verũ hæc quidem coniectura magis quam certo narrantur. Multitudinẽ sane nõ inferiorem, sed ampliorem rumore fuisse traditum est. Ferociam eorum & audaciam sustinere poterat nemo, inque pugnis manuum vi & celeritate equis similes erant: neque quisquam eorum impetum subsistere valebat. Ad quos veniebant in itinere, eorum bona agebant atque ferebant. Romanos autem multos duces cum magnis exercitibus Galliæ transalpinæ præfectos deleuerant: quorum turpibus maxime prœliis incitati, cum obuios quosq; vicissent, & magnam vim bonorum parassent, statuerunt non nisi Roma euersa, Italiaq; vastata sedes sibi locare. Hæc cum ad Romanos afferrentur, Marium crebro ad gerendum bellum vocabant: & consulem iterum crearunt; quamtumuis lex prohiberet, ne vel absens quisquam, vel iterũ consul nõ interiecto eo, quod erat legib. definitum, temporis spacio fieret. Verum ea tempestate populus eos, qui legem obtenderent, comitiis expulit: non tunc primum legem eam vtilitati cedere sentiens, neque causam præsentem illa minus idoneam, ob quam Scipio contra leges consul erat factus. non metu amittendæ patriæ, sed Carthaginis cupiditate potiundæ impellente. Hoc facto decreto, Marius ex Africa cum exercitu transuectus, ipsis Kalendis Ianuariis (quod initium anni Romanis est) & consulatum occœpit, & triũphum duxit, Iugurtham captiuum incredibile Romanis spectaculum exhibens, quo viuo victoriam de hostibus nemo ne speraſſet quidem: adeo ad omnem fortunam se accõmodare callidus, astutiæ magnæ admixtam ferociam habebat.

*Marius legibus solutus.*

*Marij de Iugurtha triũphus.*

bat. Verum in triumpho inductus Iugurtha, de potestate ra 8
tionis exiit: ac post in carcerem coniectus, cum quidam vi
ei tunicam eriperent, quidam auream inaurem reuellere cõ
tendentes, simul auriculam auellissent, nudus in barathrũ
detrusus est: ibi perturbatus plane, vultu in risum verso, Her
cules, inquit, quam frigidum nobis est balneũ: sex totos in-
de dies cum fame colluctatus, & vsq; ad extremã horam cu-
piditate vitæ suspensus, dignas tandem flagitiis suis pœnas
dedit. In triumpho præterea illata narrant auri ter mille, ac
septem pondo, argenti non signati pondo quinquies mil-
lia, IↃCCLXXV. signati CCLXXXVII. millia denariûm. A
triumpho senatum in Capitolium vocauit: & siue impru-
dens, siue fortuna inciuilius vtens, triumphali habitu in se-
natum ipse venit: mox vero senatum id ægre ferre sentiens
discessit, prætextamq; indutus rediit. Proficiscens autem ad
bellum, milites magnis laboribus exercuit, cursibus variis
& longis itineribus fatigans, cogensq́; ipsos impedimenta
sua ferre, & sine lixis atque calonibus ad victum necessaria
parare. Inde tractum, vt laboriosi, & qui taciti imperata
prompte facerent, muli Mariani dicerentur. Quidam ada-
gij eius aliam rationem afferunt. Scipioni Numantiam
obsidenti cupiditatem incessisse non arma modo & equos,
sed mulos etiam & carros suorũ inspiciendi, quomodo sin-
guli ea omnia parassent atque adornassent. adductum fuis-
se à Mario equum ab ipso optime nutritum, & mulũ cæte-
ris & habitiorẽ multo, & cicuritate atq; robore præstantẽ.
imperatorem Marij iumentis oblectatum, sæpe eorum me-
minisse: inde ortum vt qui per cauillum ob laborũ adsidui-
tatem & tolerantiam laudaretur, Marianus mulus apella-
retur. Marij autem magna fortuna factum videtur, quod
barbaris impetu eorum æstus marini in morem reciprocãte
prius in Hispaniam conuersis, spacium ipse nactus est inte-
rim & exercendi milites & animos eorum confirmandi, &
(quod erat summum) se, qualis esset, ipsis ad cognoscendum
proponendi. Nam austeritatẽ eius in imperio, inq; suppli-
ciis imponendis inexorabilẽ seueritatẽ, ad nihil peccandũ,
neq; mandata detrectandũ adsuefactis, & iustã, & salutarẽ
apparuit esse: animiq́; vehemẽtia, vocis duricies, sæuicia vul
tus paulatim familiaris militib. ita facta est, vt non sibi ea,
sed hostibus terrori esse censerent. Præcipue autem iudi-

*Marius vt milites laboribus durauerit.*

ciorum rectitudo militibus placuit : cuius hoc exemplum recitatur. C. Lusius, Marij sorore natus, tribunus militum
9 sub ipso erat: vir cætera non malus, nisi amore adolescentulorum formosorum vinci se passus fuisset. Amabat quendã eorum, quos sub se habebat, adolescentum, nomine Trebonium, & sæpe pudicitiam eius tentarat. quod cum frustra esset, tandem noctu misso apparitore ad se vocauit: venienti (neque enim vocato non venire licebat) in tentoriumq; ad se adducto vim facere conatus, gladio est ab eo cæsus. Actũ est hoc Mario absente: reuersus Trebonium causam dicere iussit. Multis accusantibus: nemine patrocinante, audacter ipse Trebonius rem exposuit, testesq; habuit, qui eum sæpe à Lusio tentatum, magnis etiam donis oblatis, nulla re, vt corpus prostitueret, adduci potuisse affirmarent. Miratus id factum, oblectatusque Marius, coronam, quæ rebus præclare gestis more maiorum dari solet, afferri iussit, eaque Trebonium ornauit: vt qui pulcerrimum facinus exẽpla egregia tempore postulante edidisset. Hæc res Romam renunciata, haud parum Mario ad tertium consulatum momenti attulit adipiscendum: simul etiam cum barbarorum aduentus vere appetente exspectaretur, nulli alij duci bellum contra eos committendum videbatur. Barbari exspectatione multo tardius venerunt: atque rursus re contra eos nulla gesta Mario tempus consulatus sui exiuit. Comitiis ergo instantibus, collega suo vita defuncto, castris M. Aquillio præfecto, Romam se contulit. Multis, iisque egregiis viris, consulatum ambientib. L. Saturninus tribunus plebis, qui omnium suorum collegarum maxime populum orationibus trahebat, & quem Marius demerẽdo suum fecerat, cõcione habita Marium creari consulem suasit: Mariumque nugantem, & recusare se cõsulatum, quo nihil opus sibi esset, simulantem, patriæ proditorem appellauit, qui tãto impendente periculo imperij administrationem subterfugeret. Haud erat obscurum, frigide Saturninũ fabulæ, quam agebat Marius, subseruire: sed pleriq; tẽpus præsens virtutem huius fortunamq; requirere videntes, consulem eum quartum cõstituerunt, collega addito Lutatio Catulo, qui & in honore apud optimates, neq; plebi molestus erat. Marius cognito prope adesse hostem, celeriter Alpibus superatis castra ad flumen Rhodanum muniuit: inq; ea magnam

*Iusticia eius.*

*Consulatus eius tertius.*

*Marius IV. consul.*

vim

vim commeatus conuexit, ne vtilitatis ratione aliter postulante, penuria necessariarum rerum in aciem descendere cogeretur. Cum autem subuectio commeatus & longa ante & sumtuosa fuisset, breuem ipse atque expeditam effecit. Etenim in ostiis Rhodani recursus maris limum multũ congerebat, profundoq; cœno à fluctibus eò compacto tumulus excitatus, laboriosam & tardam per ea ostia nauibus frumentariis subuectionem reddebat. Marius autem ocio suorum militum in eam necessitatem abutens, à Rhodano magnam fossam ad maris litus commodius perduxit, eoq; auersa magna fluminis parte, alueum profundum & magnis nauigiis habilẽ, cuiusq; ostia ad mare læuia essent, neque alluuie obstruerentur, perfecit. Vocatur etiamnum fossa Mariana. Barbari autem copias suas in duas partes distribuerunt, ita vt Cimbri per Noricum superne contra Catulum irent, viaque transitum eum aperirent; Teutones & Ambrones per Liguriam secũdum mare ad Marium pergerent. Cimbri aliquanto segnius iter suum cõfecerunt. Teutones autem & Ambrones, confestim peragrato quod in medio erat regionis, ingenti multitudine, horrendo aspectu, voce & tumultuatione aliis gentibus dissimiles, Romanis se ostenderunt, magnaq; planicie castris occupata Marium ad pugnã prouocauerunt. At Marius nihil eorum prouocatione motus, milites suos castris continere, qui ferocius se gererent, acerbe obiurgare, tribunos militũ & præfectos barbarorum minis irritatos, atq; pugnam committi postulantes, proditores patriæ appellare: non enim triumphi trophæiue statuendi causa laborari in præsentia, sed vt nimbo hoc & quasi fulmine belli profligato, Italia seruetur. Milites vero alios subinde atque alios super vallo constituere, & spectare hostes iubens, ad ferendum eorum aspectũ, vocemq; plane barbaram & belluinam sustinẽdam, nec nõ armaturam eorum motusq; in armis perspiciendum adsuefecit: paulatim ea, quæ terribilia ante videbantur, quotidiano aspectu quasi familiaria reddens. Existimabat enim, terrorem absentium rerum ipsa nouitate falso augeri: consuetudine autem effici, vt ea etiam quæ horrenda sint natura, terrendi vim amittant. Et vero nõ terrorem modo apud milites quotidianus ille aspectus exstinxerat, sed minæ barbarorum, fastusque intolerabilis animos eorum excitauerat, i-

*Fossa Mariana.*

*Martis stra tegema.*

rat,iraq; inflammauerat : cum non modo omnia circum barbari diriperent,sed & ad castra ipsa hostium petulanter atque ferociter accederent. Itaque ad Marium huiusmodi voces militum,indignationesque perferebantur: Quid ita tandem Marius ignauos nos iudicans, veluti mulieres seris & ianitoribus à prœlio arcet? agedum faciamus, quod liberos decet viros,percontemur, aliosne exspectet pro libertate pugnaturos,nobis vero semper ad fodiẽdas fossas,cœnum expurgandum,& auertenda flumina sit vsurus operariis?nimirum in hunc finem multis nos istis laboribus exercuit,his suorum consulatuum egregiis factis ad ciues redibit?Nisi si Carbo eũ,& Cæpio terrent,ab hostib.victi,longe ipsi & gloria Mario inferiores , & copiis instructi deterioribus:& quidem aliquid agendo,sicuti illi,perire,quam depopulationes sociorum ociose spectare pulcrius est. Hæc audienti Mario voluptati fuerunt:militesque verbis leniit, non se illis diffidere,sed oraculis quibusdam motum,victoriæ & locum & tempus exspectare opportunum indicans. Etenim Syriam quandam mulierculam,nomine Martham fatidicam(vt ferebatur) in lectica secum honorifice circũuehebat,iussuque eius sacra faciebat. Hanc senatus vaticinari de bello præsenti volentem repulerat. Postquam vero ad matronas ingressa diuinationis documenta dedit,& maxime ad pedes vxoris Marij adsidens, congressis forte duobus gladiatoribus,vter victurus esset, ei prædixit: ab hac ad maritum missa in admiratione fuit. Plerunque lectita ferebatur,ad sacrificia descendebat duplici punicea veste induta,hastamq; fasciis & sertis redimitam gestans. Multis id spectaculum disputandi ansam præbuit:cum alij fidem vati Marium vere habere,alij simulantem,fabulamque agentem eam ostentare vulgo putarent.Id mirum est,quod Alexander Myndius refert , duos vultures semper ante victoriam exercitum Marij visos fuisse sequi : cognitos eos esse æreis torquibus quos iis captis milites imposuissent,atque sic dimisissent:eos proinde milites solitos salutare, ipsisque in expeditione apparere , fœliciterque gerendæ rei omen obiicere. Cum multa alia ostenta exstitissent , vnius fere omnia generis,renunciatum etiam hoc est ab Ameria & Tuderto,Italiæ vrbibus noctu in cœlo visas fuisse hastas ignitas,clypeosque : primum in diuersas partes se commouisse,

inde

inde concurrisse, formamque & motum pugnãtium virorum exhibuisse: denique parte altera fugiente, altera insequente, omnes versus occidentem se proripuisse. Sub idem tempus Batabaces matris deûm sacerdos Pessinunte Romam venit, nuncians deam è delubro sibi locutam, magna victoria Romanos potituros. Senatu adsentiente, deæque ea parta ædem vouente, Batabacen ad populum, vt eadem diceret, progressum A. Pompeius tribunus plebis prohibuit, circulatorem appellans, ac per contumeliam de fugitio pellens. Id vero maxime fidem verbis Batabacæ conciliauit. Vix enim domum à concione rediit Pompeius, cũ tanta subito eum febris inuasit, vt intra septimum diem morte obierit, omnib. casu eius cognito. Teutones, Mario castris sese cõtinente, ipsa castra oppugnare adorti, multis à vallo iaculis petiti, amissisq; suorum nonnullis, statuerunt vlterius progredi, nullam fore in transeundis Alpibus difficultatem opinati. Itaque conuasatis omnibus præter castra Romanorum abiuerunt. Atque ibi demum eorum esse immensum numerum ex longitudine & mora profectionis apparuit. Sex enim diebus continenti itinere præter castra Marij transierunt, proxime apud vallum, simulque per ludibrium Romanos interrogabant, Ecquid mulieribus mãdarent: se enim propediem apud eas futuros. Postquã præterierunt barbari, ipse etiam Marius motis castris sensim eos insecutus est, castra semper prope eos in locis tutis ponens, muniensq; contra nocturnas incursiones. Postquam ad Aquas Sextias peruentum est, vnde haud lõge iam Alpes aberant, ad prælium committẽdum se Marius composuit. Castra loco satis munito, sed aquæ inope fecit, hoc ipso volens (vt aiunt) animos militum iritare. multis enim indignantibus, & siti laborandum dicentibus manu amnem prope barbarorum castra fluentem monstrans, inde posse sanguine aquam redimi respondit. Quærentibus inde, cur non continuo eos, dum sanguinem adhuc humidum haberent, in hostem duceret: submissa voce, prius castra esse munienda dixit: eiq; mandato milites, quantumuis molesto, obtemperarunt: Lixarum vero & calonum turba cũ neque ipsi, neq; iumenta haberent vnde biberent, confertim ad fluuium descenderunt, cum vrnis vna secures, bipennes, gladios etiam & hastas, quidam ferentes, aquam vel pugna,

*Batabaces*

*Spreta re-*
*ligio.*

II

si ita vsus esset, quæsituri. Cum his primum pauci hostium congressi sunt: (nam plerique aut lauabantur, aut à balneo iam prandebant. Sunt enim iis in locis calidarum aquarum fontes: iisque sese delectantes & securius ob voluptatem & amœnitatem loci agentes barbaros Romani assecuti erant) pluribus ad clamorem accurrentibus, neque Marius facile iam milites famulis suis metuentes retinere poterat, & Ambrones (totius hostilis exercitus erant hi bellicosissimi, priusq; Malliũ & Cæpionem cum legionibus fuderant) numero supra triginta millia seorsim ad arma concurrebant. Erant horum corpora cibo atque potu distenta, animi feroces vinoque in exsultationem soluti, cursus non incompositus aut qualis est furiosorum, clamor quoque non confusus: sed in numerum arma pulsantes, salientesque, suum subinde nomen Ambronas inclamabant, seu mutuo se ita cohortantes, seu vt hostibus nominis sui mentione terrorem iniicerent. Primi Italorum contra eos descendentes Ligures, cum eorum vociferationem percepissent, ipsi quoque Ambronas mutuo conclamarunt: id enim nomen sibi originis suæ & gentis ratione Ligures vindicant. Creber ergo alternis, antequam manus consererentur, reddebatur clamor: & ducibus vtrinque suis acclamantibus, aduersamque partem magnitudine vociferationis superare contendentibus, irritati sunt accensique ea re militum animi. Ambronas amnis diuellebat, quem transgressi priusquam aciem instruere possent, Liguribus primos inuadentibus pugnam commiserunt: itaque vt Romani Liguribus auxilium ferentes ab edito loco in barbaros irruerunt, pulsi sunt Ambrones, inque fuga plerique se mutuo trudentes ceciderunt, suisque cadaueribus amnem repleuerunt. Qui vero transgressi amnem, terga dare non audebant, eos cædendo Romani vsque ad castra hostium & carros insecuti sunt. Ibi mulieres gladiis securibusque armatæ occurrerunt, terribili & feroci cum fremitu, & tam fugientibus quam persequentibus repugnarunt, illos proditorum loco, hos hostes habentes: permixtæque pugnantibus nudisque manibus scuta Romanorum reuellentes, & gladios comprehendentes, sauciari se, & corpora diffindi sustinebant, pertinaci vsque in mortem ira. Hoc modo ad fluuium fortunæ magis

*Ambrones*

*Ligures.*

12

quam

quam imperatoris opera rem gestam perhibent. Postquam multis Ambronum interfectis Romani in castra rediere, & nox appetiit: non ad pæanes pro tam prospero successu canendos, non ad compotationes, neque cœnas & læta conuiuia, ac ne ad mollem quidem somnum (quo nihil dulcius viris fœliciter prœlio defunctis est) se conuerterunt milites: sed eam noctem tanto cum terrore & trepidatione, quanto vix aliam vllam, exegerunt. Quippe neque munita aggere & vallo castra erant: & permulta adhuc barbarorum millia inuicta supererant, ad quos cum Ambrones, quotquot fuga cædem euitauerant, sese recepissent, lamenta per noctem exaudita sunt non eiulatibus aut gemitibus hominum cõuenientia, sed belluino cuidam vlulatui, fremituique minis & questibus permixto ab ingenti multitudine edito: sonum montes circum positi, & ripæ fluminis reddebant, horribilisq; per totam planiciem repercutiebatur vox: Romanos metus, ipsumq; consternatio Marium incesserat, nocturnum aliquod incompositum & tumultuarium prœlium timentem. Verùm neq; hac nocte, neq; quæ eam est insecuta, die barbari eos aggressi sunt: idque tempus apparando & instruendo extraxerunt. Interim Marius supra hostium capita deuexos quosdam saltus, conualleisq; nemoribus tectas conspicatus, eò Claudium Marcellum cum tribus grauis armaturæ peditum millibus mittit, vt clàm locis iis insessis, à tergo in hostes pugnantes inde erumperet. Reliquos tempestiue curatis corporibus somnũ capere iussit: eosq; sub auroram extra castra in aciem produxit, præmissis in campũ equitibus. Quod vbi viderunt Teutones, ne continuere quidem sese, dum cum Romanis in planiciem degressis æquo loco pugnandi facultas fieret: sed celeriter sumtis per iram armis, aduersum tumulũ subiuerũt. Marius in omnes partes dimissis ducibus, stare loco suos iussit: atq; expectare, dum intra teli iactum barbari accederent: tum verò pila eiacularentur, gladiis vterentur, scutisque oppositis eos propulsarent: etenim barbarorum loco iniquo succedentium, neq; ictus validos futuros, neq; vim vllam testudinis actæ, singulis inæquali loco habentibus atque nutantibus. Simul hæc aliis mandabat, & ipse omnium primus exsequi conspiciebatur: vt neq; deterius vllo exercitatus ad militiam, & longe omnibus audacia superior.

rior. Quo factum est vt barbari Romanis resistentibus, ac
sursum contendentes reprimentibus, pulsi paulatim in pla-
niciem retrocederent. Vix primi eorum ordines ibi expli-
cuerant, cum apud postremos clamor, & ob hostium im-
pressionem trepidatio exstitit. Nam Marcellus occasionē
attente operiens, vt primum vociferatio sursum per colles
elata est, cum suis ex insidiis cum cursu atq; clamore in ter-
ga hostium inuasit, extremosq; cæcidit. Contra eum se iis,
qui in postrema acie locati erant, obuertentibus totus bar-
barorum exercitus perturbatus est: & vtrinq; cum cęderen-
tur, mox ordinibus relictis fugerunt. Romani in terga in-
stantes, supra centum millia hominum occidere aut cepe-
re: tentoriis etiam, & curribus, & pecunia sunt potiti. Totā
eam prædam (nisi quæ furtim subtracta sunt) Mario decre-
uerunt: idq; splendidissimum donum ob periculi tamē ma-
gnitudinem non respondere meritis eius in eo bello admi-
nistrando visum est. Sunt qui neq; in prædæ istam donatio-
nem, neq; numerū cæsorum consentiant. Massilienses qui-
dem feruntur ossibus in ea pugna cęsorū vineta sepiisse. tel-
lurē verò cōsumtis in ea cadaueribus, ac per hyemē imbri-
bus delapsis, ita pinguē redditam, quippe putredine in pro-
fundum penetrante repletā, vt legitimo tempore abunde
fructuū protulerit: & quod Archilochus dixit, hoc modo a-
gros pingueścere, id tum fuisse cōfirmatum. Neq; ab re est,
quod post magna prœlia immodicæ pluuiæ decidant: siue
Deus aliquis terram puris & cœlestibus aquis lustrat atque
proluit: siue cadaueribus & putredine humidam, grauemq;
emittentibus exhalationem, ita aer coit, alioquin facile et-
iam leuissimis de causis mutationi obnoxius. Secundū pu-
gnā Marius de armis & spoliis barbaricis pulcerrima quęq;
& integra legit, quæ ad exornandum triumphum conduce
rent: reliqua omnia magnum super rogum congerens, ma-
gnifico apparatu sacrificium adornauit. Et militibus arma-
tis omnibus coronatisq; circū adstantibus, præcinctus ipse
(vt est moris) prætexataq; veste indutus, facem accensam v-
traq; manu ad cœlum tendebat: iamq; rogum incensurus
erat, cū amici admissis equis ad ipsum contendere visi sunt.
Omnibus silentium tenentibus, & quidnam rei esset exspe-
ctantibus, vt ad Marium illi peruenerunt, ab equis desiliē-
tes, Mario dextras iungebant, quintum ei consulatum de-
cretum

*V. Consula us Marij.*

eretum nunciabant, literasq; ea de re exhibebant. Accessit ingens illico lætitiæ de victoria conceptæ gaudium, quod milites plausu armorum percussorum testati sunt: Marius à tribunis militum statim laureo serto redimitus, rogum incendit, sacrificiumq; perpetrauit. Verùm enimuerò quæ nullam magnam hominum prosperitatem integram molestiæq; expertem esse patitur, sed vitam humanam lętis aduersa miscendo tempetat siue fortuna, siue rerum vicissitudo, siue necessitas, ea paucis pòst diebus Mario nuncium de collega Catulo attulit: perinde ac si sereno cœlo & trāquillo, alias rursus Romæ procellas tempestatesq; immitteret. Catulus enim Cimbris oppositus, cum de iugis Alpium tenendis desperasset, ne diuidere in multas partes exercitum coactus vires ipse suas debilitaret, in Italiam statim descenderat, fluuiumq; Athesim propugnaculi loco sumserat, traiectum vtrinque validis munitionibus occupauerat, ponte vtraque ripa iuncta: vt si barbari per fauces ad castella oppugnanda vi contenderent, iis qui trans flumen erant opitulari posset. Verùm tanta illis ferocia, tantus hostium contemtus aderat, vt robur potius audaciamque ostentantes, quam necessariæ quicquam rei agentes, niuem nudis corporibus incidentem pertulerint, perq; glaciem & altam niuem ad summitates montium euaserint: inde scuta corporibus lata supponentes, per præcipitia sese dimiserint, cùm & lapsus periculosi & in immensam profunditatem abeuntes deiectus ante oculos essent. Postquam iidem prope hostem castrametati, fluuiique transitu inspecto cepere aggerem iniicere, proximosque tumulos Gigantum in morem, & arbores radicitus euulsas, & scopulorum fragmenta, tumulosque terrestres in flumen immittere, vti aqua elisa extra alueum dimanaret: simulque secundo amne magna pondera demiserunt, quæ fulcra pontis, ipsumque pontem illisa concuterent. ibi verò plerique militum timore perculsi, ex maioribus castris discesserunt. Eo rerum statu Catulus demonstrans (quod est boni & omnibus numeris absoluti ducis officium) suam se gloriam post ciuium famam ponere, cum militibus vti manerent persuadere nequisset, sed magno cum metu discedere videret, aquilam tolli iussit, interque abeuntium primos accurrit, ac ducem se præbuit: turpitudinem rei non patriæ, sed sibi imputari

*Cimbrorū ferocia.*

volens,

volens, idq; agens, vt non fugisse, sed ducem secuti viderentur milites. Barbari propugnaculum, quod erat trans Athesim, aggressi ceperunt: Romanorumq; virtutem, qui se optimos viros præstiterant, vtque patria dignum fuerat pugnauerant, admirati, data fide dimiserunt, iurato ęneo tauro, quem postea captum in Catuli domum veluti spoliorū primitias deductum ferunt. Porrò autem regionem præsidio carentem effuse populati sunt. Interim Marius reuocatus in vrbem rediit: cumq; omnes eum triumphaturum putarent, idq; Senatus lubens decreuisset, ipse renuit: siue ne militum suorum animos ad bellum remissiores redderet, siue vt animos ciuium præsenti periculo territos in spem bonam erigeret: cum ipse apud fortunam populi priorum suorum facinorum gloriam deponeret, re iterum bene gesta ampliorem eam se recepturum fidens. Collocutus inde ea quæ instantis essent temporis, ad Catulum contendit, eum confirmauit, suosq; è Gallia milites acciuit: his receptis, transgressus Padum, barbaros ab interiori Italia arcere statuit. At Cimbri exspectare se Teutonum aduentū, mirariq; eorum moram ferebant, siue omnino cladē illorum ignorantes, siue nō habere se pro vera simulantes: (nam & nuncios eius rei grauibus afficiebant suppliciis) itaq; & pugnam differebant, & missis ad Marium legatis petebant, vt sibi fratribusq; suis regionem & vrbes, quantum habitationi eorum satis esset, concederet. Mario sciscitante, ecquos nam fratres suos dicerent, iisq; Teutonas respondentibus, risum omnes sustulerunt: & Marius salse, Omittite, inquit, fratres istos, obtinent enim obtinebuntq; in perpetuū terram à nobis datam. Legati subsannari se intelligentes, Mario cōuicium facere, minitariq;, eum statim Cimbris, pòst etiā Teutonibus, vt primum hi rediissent, pœnas daturum. Atqui adsunt, inquit Marius: & vos discedere hinc, nisi salutatis prius fratribus, nō cōuenit. Simulq; reges Teutonum, qui fugiētes in Alpibus erant à Sequanis capti, vinctos produci iussit. Quæ postquam Cimbris sunt renunciata, extemplo aduersus Marium, quiete tum castra sua seruantem, duxerunt. Cum ad id vsque tempus pila ita essent vsurpata, vt cuspis hastili duabus ferreis fibulis affigeretur, ad eam primum pugnam Marius fertur alteram ferreā retinuisse, loco alterius clauum ligneum fragilem suppositisse: id enim machina-

*Pila Marius mutat.*

chinabatur, vt pilum in scutum hostis delatum, nõ rectum staret, sed fracto ligneo clauo cuspide fixa hastile per obliquum traheretur. Boiorix autẽ Cimbrorum rex cum paucis suorum ad castra Romanorum adequitans, euocauit Marium, vt loco & die definito secum acie de ea regione decertaret: Marius, nunquam Romanos solitos in cõsilium de faciendo prœlio hostem adhibere, sed tñ se hoc Cimbris daturum, respondit: ita dies certamini ab eo tertius dictus est: locus pugnę, campus ad Vercellas, & equitatui Romano, & explicandæ barbarorum multitudini cõmodus. Vt dictus dies appetiit, vtriq; suos in aciẽ eduxerunt. A Romanis Catulus viginti millia, trecentos milites habebat: Marius millia XXXII. hos eum in vtrunq; cornu distribuisse oẽs, ita vt mediam aciem Catulus teneret, Sylla qui ei prœlio interfuit, scriptum reliquit. Feruntq; Marium, cum à cornib. maxime se in hostẽ pugnaturum speraret, vt sibi suisq; militibus totam victoriam vindicaret, neq; Catulus cum hoste cõgredi, & in partem certaminis subire posset, sinum recessumq; mediæ aciei (vt moris est fieri, cum longa fronte acies instruitur) effeciſſe: & idipsum tradunt Catulum sui purgãdi causa attulisse, Marioq; multam contra se maleuolentiam obiecisse. At Cimbrorum peditatus ex castris progressus quadrato agmine incedebat, triginta in lõgum latumq; stadia occupans. Equites autem, XV. millia numero, splendidis in armis prouehebantur: galeas ferebant rictibus terribilium ferarum, rostrisq; rari aspectus adsimilatas, quas alatis cristis in altum attollentes, eo maiores videbantur: thoraces ferrei, alba ac coruscantia scuta, telum singulis bidens, comminus magnis grauibusq; pugnabant gladiis. Ij tum non à fronte Romanos inuadebant, sed ad dextram flectentes, sensim in eum locum qui inter ipsos & peditatum ad læuam in acie stantem erat medius, hostem subducebant. Non fefellit Romanos duces ea fraus: sed milites retinere non potuerunt, quin ij, vt semel quispiam fugere barbaros vociferatus est, vniuersi ad persequendum hostem se proriperent. Interim peditatus Cimbricus vasti maris in modum agitatus, in hostem ibat. Hic Marius manus lotas ad cœlum intendens, opimum sacrificium diis promisit: similiter etiam Catulus elatis palmis dedicaturum se eius diei Fortunam vouit. Additur hoc, Marium, cum ei immolanti

14

lanti hostia esset monstrata, magna voce dixisse: Mea est victoria. Cœpto prœlio, Mario dignum graui reprehensione errorem accidisse Sylla narrat. Etenim sublato, vt par erat, immenso puluere, qui exercituum conspectum adimeret, eum rapto secum suorum agmine ad persequendos, vti primùm intenderat, hostes ab his aberrasse, præternectumq; eorum aciem diu in campis oberrasse: in Catulum autem forte fortuna hostes incidisse, pugnamq; ipsius potissimum milites (in quibus & sese fuisse Sylla scribit) sustinuisse. Romanis porrò æstum, & solem Cimbris tum aduersum auxilio fuisse: nam frigoris patientissimi, nimirum vmbrosis (vt dictum est) & gelidis locis educati, à calore vincebantur, sudoremque toto corpore emittentes, & anheli, scuta faciebus obiiciebant. Pugnatum est enim post solstitium æstiuum, a. d. tertium Kalendas Sextiles: vt quidem hodie Romani diem eum celebrant. Fecit etiam ad audaciam puluis, hostes occultans, ne multitudine eorum conspecta ante congressum Romani perterrerẽtur: itaq; incursu tantum in oppositos sibi facto, reliquorum securi, pugnabant.

*Romanorum militum patientia.*

Adeo aũt laboribus & exercitationibus corpora sua durauerant, vt tanto in æstu, cum cursu confligentiũ & pugnantium eorum nemo sudare aut anhelare sit visus: id quod ipse Catulus prædicans virtutem militum narrasse fertur. Proinde eo in loco maxima & validissima pars Cimbrorum concisa est: etenim qui primum in acie locum tuebantur, longis catenis balteis infixis inter sese copulati atq; connexi erant, ne diuelli ordines possent. Fugientes autem ad castra vsq; persecuti, in atrocissimum inciderunt spectaculũ.

*Cimbricarum mulierum in se & suos sæuicia.*

Mulieres barbarorum nigris indutæ vestibus supra carros stãtes, fugiẽtes suos, maritos aliæ, fratres aliæ aut patres cædebant: infantiumq; fauces manibus elidentes, mortuos sub rotas & pedes iumentorum proiiciebant, seq; inde ipsæ iugulabant. Quandam ferunt de summo temone, vtrinq; laqueo appensis ad imos pedes infantibus pependisse: viros autem, cum arbores suspendiis non sufficerent, colla sua cornibus aut cruribus boum alligasse: stimulos inde bobus adhibuisse, ab iisque ita exsilientibus raptatos & obtritos periisse. Verùm vt hoc modo multi perierunt, ad LX. tamen millia capti sunt, CXX millia cæsi. Porrò hostium opes Marij milites diripuerunt: spolia, signa militaria, & tubæ,

*Summa victoriæ.*

omnia

omnia in castra Catuli relata feruntur: eoq; maxime argumento Catulum ostendisse, sibi laudē victoriæ deberi. Cùm verò inter milites ea de re contentio exstitisset, ad legatos Parmensium, qui tum fortè aderāt, arbitrium est delatum: quos Catuli milites per cadauera hostium circumduxerūt, transfixos eos suis pilis ostendentes: etenim pilorum hastilibus prope cuspidem Catuli nomen insculpserant. Sed tamen Mario vt tota res gesta accepta ferretur, prior eius victoria, & consulare imperium effecerunt. Præsertim verò vulgus tertium eum Vrbis conditorem nominabant, vt qui periculum Gallico non minus depulisset: seq; domi cum vxoribus & liberis oblectantes singuli post Deos Mario etiam libabant: solum etiam eum vtrunq; triumphum agere volebant. Verùm non ita, sed vnà cum Catulo triumphauit, moderatum se tanta in felicitate gerere volens: id simul metuens, ne, si Catulus triumphi honore priuaretur, milites, qui in acie steterant, ipsum quoq; triumphare non permitterent. Hæc Marius quintùm consul gessit. Sextum cōsulatum nouo inusitatoq; more ambiuit, populum demerendo, multitudinis gratiæ inseruiendo, non contra dignitatem modò & maiestatem magistratus eius, sed præter naturam etiam suam popularem sese & facilē effingendo. Fertur quidem cum in repub. versaretur, turbas foreses prę ambitione maxime pertimuisse, constantiamq; ei & animi robur, quo in bello vtebatur, in concionibus defuisse, & facilè quauis vel laude vel vituperatione circūagi potuisse. Tametsi perhibitum sit, eum, cum mille Camerinos ob præclaram in prœlio nauatam operam ciuitate donasset, factum id vt legibus contrarium culpantibus respondisse: Præ strepitu armorum se legum vocem exaudire nequisse. Verùm magis videtur clamorem concionalem exhorruisse. cùm enim armis patriæ vtilis in militia autoritate atq; potentia valeret, in repub. autem primo loco excluderetur, ad multitudinis fauorem atque gratiam confugit: maximusq; fieri quàm optimus maluit. Ea re cùm omnium optimatum animos offendisset, tum verò Metellum, cui pessimam se retulisse gratiam nouerat, metuebat, virum vera præditum virtute, naturaq; omnibus qui non optimo publico auram popularem captarent, sed plebem gratificando sibi obstringerent, infestum. Huic itaq; exsulium moliens, Glauciam

*Marius verò inter milites ea de re contentio exstitisset, ad legatos Catuli gloriam au-fert.*

*Triūphus Marij & Catuli.*

*Sextū consulatū adeptus & sit Marius.*

*Marius Glauciæ & Saturnino se adiungit.*

ciam & Saturninum turbulentissimos homines, multitudineq; egenorum & factiosorum ciuium stipatos, sibi conciliauit: eorumq; opera leges promulgans, admixta in concionem militari turba, Metellum factione sua superauit. Rutilius, bonus alioqui vir, & verax, sed cui priuatim cum Mario offensę intercesserint, autor est diuisa tributim pecunia Marium sextum consulatum obtinuisse: simulq; id, vt Metello repulso Valerius Flaccus sibi administer magis quam collega daretur. Præter Valerium Coruinum nemini vnquam P.R. tot cōsulatus detulit, aut cuiusquam petitiones ita ratas habuit. Verùm inter eius primum sextumq; cōsulatum annos quadraginta quinq; interuenisse narrant: Marius à primo cōsulatu quinq; reliquos vno fortunæ impetu exegit. Inuisus autem fuit præsertim sextus eius cōsulatus, quod in eo Saturnini multa mala facinora adiuuisset:
16 inter quæ etiam Nonij cædes fuit. Hunc tribunatus pl. cōpetitorem Saturninus necauerat. Idē factus deinde trib. pl. legē tulit agrariā, cum hac clausula, Vti senatus in cōcione iuraret, se, quicquid populus iussisset, ratum habiturum, nihilque impugnaturum. Eam legis particulam in Senatu Marius insectari se enixe simulans, nequaquam iuraturum, dixit, neq; verò quenquam sanum id facturum putare: etenim si lex non sit mala, iniuriam Senatui fieri, à quo assensio vi extorqueatur. Hoc non quasi ita sentiret, sed vt Metellum ineuitabili fraude circumueniret, ideo dicebat. Ipse enim mendacium in virtutis & calliditatis parte putans, nullam eorum, quæ in Senatu fassus fuisset, rationem erat habiturus: Metellum aūt constantem virum, & qui veritatem (vt est apud Pindarum) magnæ virtutis principium duceret, iurare in Senatu detrectaturum palam intelligebat, atq; ita deprehensum in extremum populi odium coniicere statuebat. Et successit res. Metello enim iuraturum se negante, Senatus dimissus est. Paucis pòst diebus Saturninus ad tribunal senatores aduocauit, ac iurare iussit. Ibi Marius accedens, facto silentio, cunctisque in ipsum in-
17 tentis, valere iussis iis quæ verbotenus in Senatu iactauerat, Nequaquam tantum se in humeros suos imposituru onus dixit, vti de re ita magna ante cognitionē sententiam ferret: iuraturum tamen se, & legi staturum, siquidem lex sit. Has enim argutias quasi velum suæ impudentiæ obten-

*Marij perfidia, qua Metellum circumuenit.*

deret.

derat. At populus iurante eo voluptate perfusus, plausum dedit, eumque lætis acclamationibus collaudauit, apud optimates autem Marii mutatio mœsticiam odiumque eius excitauit. metu tamen populi adducti, omnes ordine iurauerunt, vsque ad Metellum. Is, vt idem faceret, nullis amicorum precibus moueri potuit, obtestantibus ne tantum discrimen (nam Saturninus iusiurandum dicere detrectantibus pœnas atroces rogatione sua minabatur) subire vellet: verum de animi magnitudine, ingenioque suo nihil omnino dimotus, paratusque quiduis potius mali perferre, quàm turpe aliquid committere, ex concione discessit, iis qui vnà ibant, exponens, Turpe esse quicquam mali perpetrare: bene autem agere nullo periculo proposito, multorum: id verò proprium boni viri esse, etiam cum periculo suo honestatem in agendo sequi. Secundum hæc Saturninus rogationem tulit, vt consules aqua & igni Metello interdicerent: & erant præstò haud pauci mali ciues, Metellum occidere parati. Optimo autē quoq; indignitatem rei grauiter dolente, & ad Metellum concurrente, non passus sui causa seditionem excitari, Roma abiit, prudenti vsus consilio: aut enim (dicebat) rebus in melius mutatis, populoque resipiscente, reuocatus in patriam veniam: aut, si idem manebit status rerum, nihil fuerit melius, quam hinc discessisse. Enimuerò qua beneuolentia acceptus, quantoque in honore fuerit dum exsularet Metellus, vtq; Rhodi philosophiæ vacans tempus triuerit, commodiùs in eius vita exponemus. Marius autem cum Saturninū huius ministerii causa cogeretur ferre, eoq; ad summū audaciæ potentiæq; euadente conniuere: imprudens eo ad extremum periculi ciuitatem deduxit, vt palàm armis atque cædibus ad euertendam rempublicam, occupandamq; tyrannidem ille sit grassatus. Tandem cùm & pudore optimatium moueretur, & plebem demereri vellet, illiberale facinus perfide patrauit. Primariis enim viris noctu ad se conuenienti bus, & ad reprimendum Saturninum cohortantibus, eum ipse iis insciis per aliud ostium recepit: tum apud vtrosque fluxum alui causatus, modò ad Saturninum, modò ad alteros accurrendo, animos ab vtraq; parte accendit, & inter se commisit. Deniq; senatoribus & equitibus coitionem facientibus, querelis eorum victus, arma in forum protulit,

*Marij perfidia in Sedatum & socios suos.*

seditiosos in Capitolium armis persecutus, inciſis aquarum fiſtulis ſiti ad deditionem compulit: qui cum ſe ei publica fide data tradidiſſent, fruſtra ipſo pro eorum ſalute omnia experto, in forum digreſſi, trucidati ſunt. Hoc factum præter offensas patrum, plebis etiam odium ei conflauit. Itaque cum cenſores eſſent creandi, putaretuŕque ambiturus vtiq;, petitione ea ſuperſedit metu repulſæ, paſſusq; eſt alios ſe inferiores creari: ipſe quidem eo colore vtebatur, vt noluiſſe ſe vitam & mores ſeuerè examinando multorum animos offendere diceret. Cùm de reducendo Metello eſſet relatum, vt verbis & factis diu repugnando, nihil obtinuit: deſperato tandem negocio, cùm populus lubens legem eam iuberet, reuertentis ab exilio Metelli aſpectum non ferens, ante aduentum eius in Cappadociam & Galatiam nauigauit: vota matri Deûm ſacra ſe perfecturum verbis prætendens, ſed aliam pleriſque ignotam ſuæ peregrinationis habens cauſam. Quippe natura à pace & republica alienus, bellis euectus ad potentiã atq; gloriam, cùm paulatim ocio ea marceſcere iudicaret, nouarum actionum exordia quærebat: ſperabatq; fore, vt ſi inter reges diſcordiam excitaſſet, Mithridate, à quo iam tum bellum exſpectabatur, iritato & ad arma conuerſo, dux ipſe contra eum ſtatim deligeretur: atque ita & nouis vrbem triumphis, & domum ſuam manubiis Ponticis, diuitiisque regiis poſſet explere. Iccirco quamuis à Mithridate omni ſtudio colereturſummoq; in honore haberetur: nihil tamen flexus, nihilque remittens eum apertè monuit, vt vel potètiam Romana maiorem ſibi pararet, vel eorum imperata tacitus exequeretur. quæ quidem vox Mithridatem exterruit, famam ſæpe, tunc autem primùm libertatem in dicendo Romanam expertum. Romam reuerſus Marius, domum propinquam foro ædificauit: ſeu (quod ipſe ferebat) ne moleſtiam iis qui honoris cauſa ipſum deducere ſolebant, exhiberet: ſiue ratus fore, vt eo plures limina ipſius frequentarent. Verùm hoc ab re fuit. Conſuetudine enim familiari, vtilitatibusq; vrbanis inferior aliis, in pace veluti bellicũ inſtrumentum negligebatur. Æquiore animo alios ſibi præponi tulit: ſed odio potentium erga ſe, Syllam augeri, diſſenſioneque ab ipſo aditum ad rempub ſibi parare iniquiſſimè ferebat. Vt verò Bocchus Numida ſocius à Romanis

*Cenſuram Marius cur nõ ambierit.*

*Marij ad Mithridatem vox.*

appella-

appellatus, in Capitolio victorias trophæa gestantes dedicauit, interq; has imago fuit aurea Bocchi Iugurtham Syllæ tradentis: ira studioq; contendendi percitus, quasi suorum factorum gloriam Sylla ad se traheret, deijcere vi ea donaria intendit, acriter quidem Sylla repugnante. Non erupit planè ea contentio, sociali bello, quod subitò exarserat, repressa. Nam bellicosissimæ & maximæ per Italiam gentes contra Romanos conspirauerant, ac parum abfuit, quin principatum P.R. euerterent: tantæ illis armorum atque corporum vires, tanta erat ducum audacia atque peritia. Id bellum varia admodum fortuna gestum, quantum Syllæ gloriæ atq; potentiæ attulit, tantum Mario ademit. Segnis enim Marius in hostibus inuadendis, planeq; tarditate & cũctatione detineri videbatur: siue iam senectus (annum enim tum sexagesimum quintũ excesserat) vim istam efficacitatemque & feruorem exstinxerat: siue neruorum morbo (id enim ipse causabatur) afflictus, corpore ad agẽdum minus habili, pudoris tamen causa vltra vires ducis munus obibat. Et tamen hostibus magno tum prœlio victis, cæsisq; sex millibus, nullam iis sui lædendi ansam præbuit: quin & munitione ab iis circumuentus, irrisusque & prouocatus, iritari se, & à consilio detrudi non est passus. Ferunt, eum Popedio Siloni, cuius inter hostes summa erat autoritas atq; potestas, cùm is ab eo postulasset, vt si quidem magnus esset dux, in planiciem ad pugnam suos deduceret, respondisse: Imò tu, si præclarus es imperator, eo me compelle, vt inuitus tecum confligam. Alió tempore cùm occasio hostes inuadendi ab ipsis esset oblata, Romani autẽ præ metu rem gerere non ausi fuissent, vt vtrinque est discessum, suis in concionem aduocatis, Dubitare se dixit, hostésne, an ipsi molliores fuissent: nam neque illos horum terga, neq; hos eorum occipitia intueri ausos. Ad extremum verò, tanquam ob imbecillitatem corporis inutilis, militia se abdicauit. At verò postquam rebus iam Italorum inclinatis, multi opera eorum, quorũ sermonib. plebs regebatur, bellũ Mithridaticum Romæ ambierunt: Sulpicius tribunus plebis homo extremę audaciæ præter omniũ opinionem Marium in concionem adduxit, rogationemq; tulit, vt is pro consule bellum contra Mithridatem gereret. Hic populus in diuersas abiit partes, aliis Marium probanti-

*Sylla & Marij o-dia.*

*Bellum sociale siue Marsicũ.*

tibus, aliis Syllam vocantibus, Mariumq; ad Baias ire, corpusque senio & fluxibus (quod ipse aiebat) confectum ibi curare iubentibus. Erat ibi apud Misenum Mario domus magnifica, sumtuosior atque delicatior, quàm tanto imperatori conueniret. Hanc cum emeret Cornelia, trecenta sestertia preciũ persoluisse traditur: non multo pòst tempore L. Lucullus centies sestertiũm pro eadem expendit: adeo breui spacio sumtus excreuit, & luxus auctus est. Enimuerò Marius arroganter admodum atque ineptè senectutem & imbecillitatem amoliens, quotidie in Campum descendere, inter iuuenes exerceri, corpus in armis agile & ad equitationem habile ostentare: quanquam in senio neque quaquã gracilis, sed obesus planè grauiq; corpore fuerit. Quibusdam hæc eius facta placebant, spectatoresque eius se exercitationibus præbebant. At optimis quibusque ista videntibus, miserari subibat hominis auaritiam, atq; ambitionem: qui ad summas diuitias & dignationem maximam de loco abiecto euectus, finem felicitatis nullũ cognosceret: neque contentus in admiratione esse, ac per ocium suis bonis frui, tanquam gloriæ & opum indigens extrema ætate post tantos triumphos in Cappadociam & Euxinum pontum abiret, vt cum Archelao & Neoptolemo Mithridatis præfectis decertaret: delirium enim omnino videbatur, quod ipse prætẽdebat, velle se præsente ipso filium in bello exerceri. Hoc demũ in negocio morbi ciuitatis, iampridem occultè aliti, eruperũt: cùm ad communem perniciẽ aptissimum esset nactus instrumentum Sulpicianam audaciam Marius. Etenim Sulpicius cætera Saturnini laudans atque imitans, timiditatem in eo tantùm, & cunctationem reprehendebat: ipse nihil cunctatus, equestris ordinis sexcentos viros satellitii loco secum habebat, Contrasenatum nominans: his stipatus armata manu in consules concionem habentes inuasit, & alterius, qui se è foro subduxerat, filium ibi trucidauit: Sylla, ipse tunc consul, prçter domum Marii fugiens instantibus inimicis, in eam, quod facturum nemo putasset, irrupit: cursuque præteruectis illis, ita vt quò se proripuisset non animaduerterent, ab ipso Mario per aliam ianuam tutò dimissus, ad exercitũ eo modo peruenisse perhibetur. At ipse Sylla in Commentariis, se non confugisse ad Marium: sed cùm de iis deliberaret, quæ eum Sulpi-

*Marius belli Mithridatici ambit.*

*Sulpicij temeritas & pro Mario actio.*

Sulpicius gladiis strictis circumdatum præter animi sententiam vti probaret vrgebat, eo modo de foro ad Marium vsque compulsum fuisse, tandemq; inde in forum rediisse, & quod illi postulabant, iustitium sustulisse. Porrò autem his ita actis Sulpicius victor iam Mario imperiū decernit: isq; se ad bellum parans, duos tribunos militum mittit, qui Syllæ exercitum reciperent. Erant in eo exercitu tribus equitum, & quinque legionariorum millibus haud pauciores. Horū contra Mariū iritauit animos Sylla: cumq; iis ad Romam duxit, occisis iam antè militum impetu iis, quos miserat Marius, tribunis. Marius quoq; multis Syllæ amicis in vrbe trucidatis, seruos proposita libertatis mercede ad arma vocauit (tres tantùm ei se adiunxisse ferunt) Syllæ in vrbem irrumpenti leuiter restitit, mox pulsus aufugit. Dispatis (iam enim tenebræ obortæ erant) iis qui eum erant secuti pulsum, in prædium quoddam suum Solonium confugit: filio inde emisso, vt is de propinquis Mucii soceri sui prædiis commeatum pararet, ad Ostiam descendit: operáque Numerii cuiusdam amici sui nauiculam nactus, nō expectato filii reditu, cum Granio priuigno suo auectus est. Marius iunior cum in Mucianam villam venisset, & aliquid rerum necessariarū accepisset atq; apparasset, orta luce hostes non planè fefellit, sed quidam suspicione ducti equites eò aduenerunt. Villicus autem cùm id præuidisset, Marium in curru fabis onerato abscondit, bobusq; currui iunctis, equitibus obuiam ad vrbem vexit. Sic Marius in domum vxoris perlatus, sumtis quæ opus erāt, noctu ad mare progressus, nactusq; nauim quæ Africā peteret, in eam traiecit. Interim senior Marius secundo vento Italiæ oram legens, Geminium quendam, vnum ex potentibus Tarracinæ, inimicū suum, metuens, prædixerat nautis, vt Tarracinam vitarent: qui etsi cuperent obsequi, tamen cum ventus à mari incubuisset, multiq; fluctus vrgerent, ita vt & nauis periclitaretur, & Marius nauseam & iactationem vix perferret, ægrè ad litus iuxta Circeios appulerunt. Augescente porrò tempestate, & cibariis deficientibus, nauicula egressi nullo certo consilio vagabantur, & (quod magnis fieri solet in difficultatibus) semper præsentia, tanquam maximè periculosa, fugientes, in incognitis spem collocabant: cùm & terra hostilis esset, & mare: periculosum in

*Sylla Romam cepit.*

*Marium pellit.*

*Marij iunioris fuga.*

*Marij patris errores & periculā.*

homines incidere, atque rursus periculosum ob rerum necessariarum inopiam, non peruenire ad homines. Tandem paucos pastores quosdam offenderunt, qui, quod darent, nihil habebant: Marium autem agnitum fugere quàm primùm iubebant: etenim paulo antè ibidem equites, qui ipsum indagarent, plurimos visos fuisse. Ita in extremum discrimen adductus Marius, maximè comitib. ob famem animos despondentib. ab itinere digressus in densam syluam se eo die recepit: miserèque ibi nocte acta, postridie victus penuria, corporeq; vtendum, priusquam planè conficeretur statuens, iuxta litus processit, verbis suorū animos cōfirmans, roganſq; ne in vltima spe, ad quam seruari sese antiquis diuinationibus crederet, fatigati deficerent. Sese tenera admodum ætate cùm in agro esset, nidum aquilæ cum septem pullis delapsum veste sua excepisse. id cùm parentes eius vidissent, superque eo miraculo coniectores consuluissent, responsum fuisse, fore ipsum hominum illustrissimum, fatoque septies ad eum summum magistratum atque imperium delatum iri. Quidam verè hoc euenisse Mario affirmāt: alii rem eam planè fabulosam à comitibus fugæ eius, qui inter alia hæc ex ipsa audita credidissent, perscriptam asserunt. Non enim duobus pullis plures aquilam párere: sed & Musæum mentitum fuisse, cùm de aquila ita scriberet,

*Marij spes* VII. *consulatus.*

23 *Oua parit tria, & excludit duo, nutrit at vnum.*

Id sanè in confesso est, Marium in fuga & extremis difficultatibus sæpe dixisse consulatum sibi septimum esse fatalem. Cùm iam à Minturnis ad viginti stadia abessent, turmā equitū conspiciūt à longinquo aduersum se venientiū, simulque fortè fortuna duas onerarias naues prope litus. Itaque statim, quantum cursu quilibet & viribus poterat contendere, ad mare accurrerunt, in id insiluerunt, & ad naues adnatauerunt. Granius alteram arripuit, inque insulam oppositam (Ænariæ nomen est) traiecit: in alteram Marium corpore onustum ægrè duo serui super mare eleuatum portantes imposuerunt. cùm iam in litore adessent equites, nautisque mandarent, vt aut subducerent nauim, aut Mario ecto irent quò vellent: cōtrà Mario supplante & flente, nauis domini cùm paruo temporis spacio in vtranq; partē variè inclinassent animis, tamen respondērūt equiti-

equitibus, se Marium non prodituros. Inde, cũ equites iam irati abiissent, mutata sententia terræ nauim applicuerunt, & ad ostia Liris fluuii, quâ is paludis in modum se effundit, ancoris iactis, Mariũ vt egrederetur in terram, atq; inde cibum quæreret, corpusq; malè afflictum reficeret, interim dum nauigatio daretur, hortati sunt: fore autẽ tempus nauigationi idoneum, vbi primùm ventus à mari flans elanguisset, paludesq; auram satis copiosam ederent. His persuasus Marius & à nautis expositus in terram, in herba sese reclinauit, quàm longissimè ab eo, quod euenturũ erat, cogitationibus abductis. Nautæ enim statim ad nauim reuersi, euulsis ancoris fugerunt, neq; prodere honestè Marium, neq; sine periculo suo seruare eum se posse rati. Hoc pactó Marius solus & omniũ nudus, vt se destitutũ vidit, aliquã diu mutus in littore iacuit: vix tandem se collegit, miserq; per inuia progressus, perq; paludes profundas & fossas aqua cœnoq; oppletas, ad tuguriũ senis, qui lacus foderet, perrexit. Ab hoc supplex petiit, vti se, hominẽ qui si præsentia pericula euitasset, lõgè omni spe ampliorẽ gratiã esset relaturus, seruaret, atq; adiuuaret. Ille seu Mariũ iã olim nosset, siue & ab ipso adspectu tanquã præstantẽ virum admiraretur, respõdit: si requiescere cuperet, casulã ei id præstiturã: sin alios fugiẽs erraret, quietiori in loco se eum abditurũ. idq; petentẽ, ad paludes abduxit, inq; cauernã profundi fluuiũ subire iussit, atq; calamis desuper & alia leui materia, quæ illapsa nihil damni adferret, ingesta operuit. Non multũ post temporis exiuit, cùm à tugurio strepitus & tumultus ad Mariũ peruenit. Nã Geminius à Tarracina multos emiserat, qui eum persequerentur: horum quidam ad tugurium illud casu delati, senem terrebant, hostem ab eo populi Romani occultari vociferantes. Marius ex cauerna prorepens, in paludem se se immisit aquę turbidæ & cœnosæ: itaque non latuit indagantes, sed ab iis, vt erat nudus, & cœno oppletus, abreptus, Minturnas abductus, & traditus magistratui est. Iam enim toti ibi ciuitati mandatum erat, vt Marium publicè persequerentur, interimq; necarent. Tamen consultare prius ea de re tum magistratibus visum fuit, decretumque, vt Marius in domum Fanniæ cuiusdam hostiendus traderetur. Hanc Fanniam Mario infensam esse antiqua de causa iudicabant. Nam à Tinnio marito

*Marius capitur, & Minturnensibus traditur.*

*Fanniæ in Mariũ humanitas.*

suo repudiata cùm dotem (quam satis amplam attulisset) reposceret, ille adulterium obiiceret; ad Marium, sextum eo tempore consulatum gerentem, causæ cognitio delata fuerat: isque, cùm causis peroratis appareret Fanniam pudicitiæ parum fuisse temperantem, Tinnium verò cum id cognitum haberet, duxisse tamen eam, inque matrimonio diu habuisse: vtrisque succensens, virum dotem reddere iusserat, Fanniæ litem ignominiæ causa quatuor insuper æreis æstimauerat. Verùm Fannia nequaquam mulieris iniuria affectæ animum tunc gessit: & conspecto Mario, à memoria offensarum longissimè sese abducens, quantum potuit, eum curauit, atque confirmauit. Ipse eam laudauit vicissim, bonoque esse animo iussit: bonum enim sibi omen oblatum. Id fuit huiusmodi. Cùm ad domum Fanniæ adduceretur, foribus iam apertis asinus foras ex ædibus cursu se propripuit, & è fonte propinquo bibit: intuitusque deinde Marium hilari vultu, primùm eregione adstitit, deinde vocem claram edidit, atq; gestiens iuxta Marium saltauit. Ex eo se cõiecisse Marius dicebat, à mari potiùs quàm à terra salutem sibi diuinitus portendi: asinum enim sicco cibo non contentum, ab ipso ad aquam procurrisse. Hæc tum cum Fannia locutus, ianuam domus operiri iussit, & sese quieti dedit. Interim Minturnensium principibus atq; senatoribus consultantibus, non cunctandum, sed statim esse necandum Marium placuit. Quod cùm nemo ciuium in se reciperet facinus, eques quidam, Gallus natione, siue Cimber (nam vtrunque fertur) sumpto gladio ad Marium ingressus est, in cubiculo vmbroso, & lucem non admodum claram admittente recumbentem. Fertur ibi ex Marii oculis multas flammas emicare militi visum fuisse, & ex vmbroso loco magnam vocem exauditam in hæc verba: Túne homo C. Marium necare audes? Itaque barbarus statim è domo profugit, abiectoq; gladio per fores se propripuit, id tantùm vociferans, Non possum C. Marium interficere. Primùm ea re terror, miseratio inde apud omnes, & pœnitentia sententiæ exstitit, quam iniustam & ingrato aduersus Italiæ vindicem animo tulissent, cui opem non ferre, improbum esset. Eat potiùs (dicebant) quocunq; velit exsul, & fatum alibi locorum expleat: nos Deos deprecemur, ne succenseant nobis, quòd inopem nudumq; vrbe eijcimus

*Ostentum Mario oblatum.*

*Cimber Marium necare non ausus.*

eijcimus Marium. Has cogitationes secuti, frequentes ad Marium ingressi sunt, stipatumque ad mare eduxerunt. Et quamuis singuli promtè aliquid subministrarent, atq; vniuersi festinarent, tamen aliquid temporis tractum est: quòd Maricæ lucus, quem sacrum isti habẽt, & quod ei inuectum esset, educere inde religioni ducunt, in itinere ad mare obstabat, circumiriq́ue non sine mora poterat. Tandem quidam seniorum, vociferatus nullam inuiam esse viam, aut religiosam, qua Marius ad salutem iret, primus eorum quæ ad nauem deferebantur aliquid sumpsit, perque lucum transijt: reliquis promptè subsequentibus. Huius rei picturam in tabula expressam Marius postea in fano ibi dedicauit. Tum naui, quam Belæus quidam præbuit, auectus, vento se tradidit: & forte fortuna ad Aenariam est delatus: ibiq; Granio & cęteris amicis receptis, cum his versus Africam soluit. Aquæ autem defectu coacti, ad Siciliam apud agrum Erycinum appulerunt. Ea loca tum Romanus quæstor obtinebat: is ex aquatoribus Marij circiter sedecim homines occidit, & quin ipsum Marium naui egressum caperet, parum abfuit. Marius ergo celeriter inde soluit, transmissoq; mari ad Meningem insulam peruenit. Ibi primùm inaudiuit, filium suum cum Cethego saluos in Africam peruenisse, & auxilij implorandi causa ad Hiempsalẽ Numidarum regem proficisci: quo paululũ recreatus nũcio ab insula ad agrum Carthaginiensem traijcere ausus est. Prætor tũ P. R. nomine Africam regebat Sextilius, nullo neq; beneficio neq; iniuria à Mario affectus, sed qui miseratione ductus ei commoda-turus sperabatur. Huius apparitor ad Marium vix dum cum paucis suorum in terram egressum peruenit, & contrà assistens, Edicit tibi, inquit, Mari, prætor Sextilius, ne in Africa pedem ponas: si contrà feceris, decretum senatus se exsecuturum, teque vt populi Romani hostem tractaturum affirmat. Hæc vt audiuit Marius, mœrore & solicitudine vocem opprimente aliquandiu mutus adstitit, torue lictorem vultu intuens. Interroganti verò, ecquid prætori responderet, ab imo pectore gemitum edens, Renuncia, inquit, ei vidisse te C. Marium exsulem in ruderibus Carthaginis sedentem. haud malè fortunam eius vrbis, & suarum rerum mutationem in exemplum ei proponens. Interim Hiempsal Numidiæ rex in vtranque partem cogitationibus alternans, Ma-

*Marius à Minturnensib. ad mare deducitur.*

*Hiempsalis infidelitas.*

rium & socios in honore habebat quidem, sed discedere cupientes nouis subinde prætextibus detinebat: neq; erat obscurum, dilationem istam mali alicuius gratia fieri: cæterùm fortuitus casus (quales euenire aliquando solent) salutem ipsis attulit. Marius iunior cũ formosus esset, indignam eius fortunam quædam ex pellicibus regijs molestè tulit: eaque eum occasione diligere cœpit. Eam cùm initiò Marius reiecisset, vbi nullam aliam effugiendi viam esse sensit, & ipsam quoq; maiori studio, quàm quæ inhonestam tantùm voluptatem affectaret, agere: amori locum dedit, ab eaque pellice emissus cum suis ad patrẽ confugit. Postquam sese mutuò cõsalutauere, secundum litus maris profecti, in scorpios pugnantes incidérunt. Id malum omen ratus Marius, statim cum suis in piscatorium nauigium conscendit, inque insulam Cercinam, haud longè à continenti sitam, traiecit: vixque soluerant, cùm ad eum vnde soluerant locum equites à rege missi properare conspecti sunt. Haud vllum aliud maius periculum euitasse Marius videtur. At verò in vrbe Syllam contra Mithridatis duces bellum apud Bœontiam gerere audiebatur: consules seditionem excitauerant, & commissa pugna Octauius victor Cinnam collegam tyrannidem affectantem vrbe eiecerat, suffecto in eius locum Cornelio Merula: Cinna collectis per Italiam copijs, cõsulibus bellum faciebat. Hæc vt Marius accepit, statuit quàm primùm in Italiam nauigare. Itaque assumptis ex Africa Mauruſijs nonnullis equitibus, alijsque ex Italia ad ipsum delatis quibusdam, vt omnium summa millenarium numerum haud superarent, soluit. Cumq; ad Telamonem Etruriæ portũ appulisset, egressus ibi in terram, seruos ad libertatẽ vocauit, colonis & pastoribus liberis (qui opinione viri ducti, ad mare concurrerant) qui ætate maximè erant militari, sibi persuadendo adiunctis, paucis diebus tantas cõtraxit copias, vt quadraginta impleret naues. Octauium porrò sciens optimum esse virum, ac qui magistratum vellet quàm iustissimè gerere, Cinnam autem Syllæ suspectum, & probè constitutæ reipubl. arma inferentem: huic se cum suis copijs coniungere statuit: itaq; missis nuncijs, se eius, tanquam consulis, imperata facturum recepit. Cùm Cinna hoc probaret, eumque proconsulem appellaret, lictoresq; & reliqua eius imperij insignia mitteret, ornatum hunc suæ

*Seditio Cinnana Romæ.*

*Marius in Italiam redit.*

*Cinnæ se coniungit.*

fortunæ

fortunæ non conuenire respondit: veste sordida vtens, comamque ab exilij primo die alitam ferens, maior septuagenario tum, pedes ad Cinnam accessit, miserabilem se ostendere cupiens: sed in miserando adspectu magis tamen terribilis eius (quem à natura habebat) vultus emicabat, & mœsticia animum nequaquam deiectum, sed mutatione fortunæ exasperatum ostendebat. Consalutato Cinna, & compellatis militibus, statim rem gerere cœpit, magnamq; mutationem rebus attulit. Primùm nauigijs circumuectus fru- 26
menta quę hostibus aduehebantur auertit, & mercatoribus spoliatis, omnem commeatum in suam potestatem redegit. Deinde ad vrbes maritimas aduectus, ijs potitus est. Tãdem Ostiam proditione cepit: ibiq; direptis bonis, multis hominum interfectis, Tiberis ripas ponte iunxit, eoq; effecit, ne quid rerum necessariarum à mari ad hostes posset subuehi. Post hæc cum exercitu ad vrbem profectus, Ianiculum occupauit. Non tantum imperitia Octauius reipublicæ tunc damni dedit, quantum iuris obseruandi nimia diligentia, propter quam contra commodum patriæ vtilia sæpe negligebat. Etenim multis eum iubentibus proposita libertate seruos ad arma vocare: nullo modo se patriam, qua Marium defendendarum legum causa arceret, seruis traditurum. Itaque cùm Metellus (Metelli eius, qui bello in Africa gesto Marij opera in exsulium pulsus fuit, filius) Romam veniisset, ac longè ad gerendum bellum Octauio aptior putaretur: milites relicto Octauio ad eum venerunt, orantes vt ipsorum ad seruandam rempubl. dux esset: peritum enim & strenuum ducem nactos se præclarè militaturos, victoriaque potituros. Metello succensente, & ad consulem reuerti iubente, ad hostem se contulerunt. proinde Metellus etiam ex vrbe, de cuius salute desperabat, discessit. At Octauium Chaldæi quidam, & sacrificuli, & Sibyllinorum oraculorum interpretes, in vrbe retinuerunt, persuadentes bonum fore rerum statum. Namque is vir, cum videatur cor- 27
datissimus Romanorum fuisse, qui dignitatem consulatus ab omni adulatione remotam iuxta leges & mores maiorum, tanquam immutabiles quasdam delineationes, conseruaret: eo vitio laborauit, quod plus temporis inter circumforaneos impostores & ariolos, quã viros in republica & militia præclaros exegerit. Atque is prius quam in vrbem

*Octauij segnities, & interitus.*

intrauit

intrauit Marius, à præmissis ab eo de tribunali detractus, & iugulatus est. Aiunt in eius interfecti sinu descriptionem quandam Chaldaicam fuisse repertam. multumque ea in re absurdi fuit, quod obseruatio diuinationis ex duobus clarissimis ducibus alterum corroborauit, alterum perdidit. Rebus ita habentibus senatus frequens missis legatis, Cinnam & Marium, vt intrarent in vrbem, & ciuibus parcerēt, rogauit. Et Cinna, tanquam consul, sella curuli sedens legatos audijt, humaniterque respondit: Marius sellæ adstās, tametsi nihil diceret, vultus tamen constanti toruitate, terribilique aspectu innuebat, se statim cædibus vrbem impleturum. Cùm ad vrbem accessissent, Cinna stipatus satellitio introiuit: Marius verò ad portam constitit, iratoq; animo iocans, exsulem se esse, & lege lata eiectum patria dicebat: quòd si suam præsentiam desiderarent, alio decreto legem exsulium irrogantem abrogarent. scilicet vir legum obseruans, & qui in vrbem liberam veniret. Proinde in concionem aduocata multitudine, missisque tribus aut quatuor in suffragia tribubus, commentum inde suum iudicij de exsulio missum faciens, cum stipatoribus (quos ex seruis qui se ad ipsum contulerant, delegerat, Bardiæos appellans) descendit. Hi Mario vel voce, vel nutu iubente, plurimos occiderunt: inter quos etiam Ancharium, senatorij atque prætorij ordinis virum, cùm is Marium adijsset, neq; ab eo esset resalutatus, ante ipsum gladijs confossum strauerunt: eodemque præterea modo omnes alios, quos salutantes ille non compellasset aut resalutasset. id enim signum erat datum eis, statim in via trucidandi: quare & amicorum quilibet, cùm salutandi causa Marium adiret, anxietate & horrore perfundebatur. Multis necatis, Cinna remissior iam & satur cædium erat: at Marius indies ira increscente, sanguinemque sitiente omnes quocunque modo sibi suspectos inuadebat. itaque omnes semitæ, tota vrbs eorum qui fugientes persequerētur, ac latitantes indagarent, plena erat. Deprehensum quoque tunc est, hospitij amicitiæque fidem aduersa fortuna nihil habere firmi: adeò tum pauci fuere, qui ad se confugientes iuquisitoribus non proderent. Digni itaque admiratione fuerunt Cornuti serui, qui cum domi herum suum occuluissent, aliud quoddam cadauer de mortuorum aceruo arreptum collo trahentes, aureum annulum

*Marius & Cinna, Roma vocantur.*

*Cædes Mariana.*

*Cornutus seruatus à seruis.*

nulum digito accommodantes, Marianis ita satellitibus ostenderunt, & ornato funere, quasi herile id esset, sepeliuerunt: neque id quisquam sensit, eoq; modo Cornutus clàm opera seruorum in Galliam euasit. M. autem Antonius cùm in fidelem amicum incidisset, iniquitate fortunæ perijt. Vir enim plebeius & pauper, cùm primi inter Romanos ordinis virum eum suscepisset, ac pro facultate tractaret humaniter, seruum misit, vt de propinquo caupone vinum emeret: seruus vinum cùm gustaret accuratiùs, meliusq; posceret, à caupone rogatus, quidnam rei esset, cur non, vt antè, nouum & commune vinum, sed generosum atque pretiosius emeret: simpliciter ei, tanquam familiari suo, & noto, respondit, M. Antonium apud herum suum latentem cœnare: caupo, impius homo atque impurus, vt primũ seruus abijt, ad Marium cœnantem iam accurrit, adductusque in conspectum, traditurum se ei M. Antonium promisit. Fertur Marius ad eum nunciũ magna voce exclamasse, ac præ gaudio manibus plausum dedisse, voluisseq; ipsum eò cõtendere: detentus ab amicis, Annium cum militibus misit, mandato vt celeriter caput Antonij sibi afferrẽt. Qui postquam ad domum peruenerunt, Annius ad fores constitit, milites admotis scalis ascenderunt, conspectoque Antonio, vnus alteri cædem perpetrandam iniunxerunt. Tanta verò aderat Antonij sermonibus vis demulcendi atq; gratia, vt, cum is orsus fuisset dicere, atq; cædem deprecari, nemo militum tangere eum ausus fuerit, aut intueri, sed deiectis in terram oculis vniuersi fleuerint. Moram fieri Annius sentiens, cùm & ipse adscendisset, Antonium orantem, milites consternatos delinitosq; eius verbis vidit: his obiurgatis, ipse accurrit ad Antonium, caputque ei amputauit. Catulus porrò Lutatius, qui Marij pridem collega fuerat, triumphique de Cimbris consors, cum pro salute ipsius deprecantibus id modò respondisset Marius, Moriendum ei esse, in parte domus se inclusit, multisque carbonibus ibi succensis, fumo sese suffocauit. Trunca autem capitum cadauera passim proiecta cùm in compitis calcarentur, non misericordiam, sed horrorem atque tremorem aspectu suo mouebant. Maximè verò Bardiæorum libido molesta fuit. Dominos enim in ædibus proprijs iugulantes, liberis eorum ad suam turpitudinem abutebantur, & dominas per vim constuprabant: neq;

*M. Antonij oratoris interitus.*

*Catuli obitus.*

*Bardiæorũ libido & exitus.*

neq; prius finem rapinarum, atque cædium fecerunt, quàm Cinna & Sertorius re animaduersa, dormientes eos in castris adorti vniuersos iaculis confecerunt. Interea, quasi vicissitudine aliqua rerum existente, vndique nuncij adferebantur, Syllam confecto Mithridatico bello, prouincijsq; receptis, magno cum exercitu Romam versus nauigare. Id infandorum cursum malorum aliquantum inhibuit, exiguamque quietem attulit: cùm sanè immĩnere iam bellum Romani arbitrarentur. Proinde Marius septimùm consul est creatus: progressusq; ipsis Ianuarij Kalendis, Sex. quendam Lucium de saxo præcipitauit. id quod Romanis, vrbiq; malorum, quæ pòst paulò euenerunt, euidens videbatur signum. At verò Marius iam & laboribus confectus, curisq; animo quasi oppresso & fatigato, erigere mentem ad tantas de nouo bello, recentibusq; certaminibus & periculis atq; laboribus (quorum omnium, iam antè ea expertus, molem nouerat) cogitationes trepidantem, non valuit: veniebatq; ei in animum non se cum Octauio aut Merula, promiscuæ turbæ factiosæq; cateruæ ducibus, sed cum Sylla congressurum eo, qui & ipsum antè Roma eiecisset, & nunc compulso ad Euxinum pontum Mithridate adduceret exercitum. His fractus cogitationibus, longumque suum errorem, fugas, & pericula, quæ mari terraque pulsus pertulerat, ante oculos sibi fingens, in anxietates incidit graues, nocturnosque terrores, & turbulenta somnia, semper aliquem audire putans, qui diceret:

*Marius VII. cos.*

*Marij trepidatio, & mors.*

*Terribile absentis etiam esse cubile leonis:*

maximè quoq; insomnium metuens, potationibus se dedit, ebrietatiq; ab ætate sua alienæ indulsit, somnum veluti effugium solicitudinum alliciens. Tãdem à mari allato nuncio, & nouis insuper terroribus accidentibus, partim metu futurorum, partim præsentium fastidio atque molestia leui addito momento, in morbum laterum incidit: ita enim Posidonius narrat, qui se ad eum iam decumbentẽ intrasse, & legationem suam obiuisse ait. C. verò quidam Piso historicus, refert eum, cùm à cœna inter amicos deambulans de rebus suis differuisset, & ab initio earum varias in vtramque partem mutationes recensuisset, addidisse: Non esse sani hominis, præterea se fortunæ credere: secundùm hoc salutatis amicis, decubuisse septem continuis diebus, &

ita

ita vitam cum morte commutasse. Quidam in morbo pla- *Insania*
nè eius ambitionem detectam scribunt, inq; absurdam ver- *Marij.*
tisse insaniam: cùm se bellum contra Mithridatem gerere
imaginaretur, & (vt militiæ solebat) varias figuras, variosq;
motus corporis vehementi cum vociferatione militariq;e
clamore ederet. Adeò ingentem ei, & qui nulla reuelli ra-
tione posset amorem istarum rerum ambitio & æmulatio
in pectore infixerat Itaq; qui septuaginta vitæ annos exple-
uerat, primus omnium hominum septies consul factus fue-
rat, multisque suffecturas regibus opes parauerat: is fortu-
nam suam lamentabatur, quòd antè sibi moriendum esset,
quàm quæ cupiebat assecutus fuisset. Sanè Plato iamiam *Plato mo-*
morituru*s*, genium suum fortunamque laudauit, primùm, *riturus,*
quòd homo; deinde quòd Græcus, non barbarus, neq; bru- *fortunam*
ta bestia natus fuisset; denique, quòd in ætatem Socratis *suam præ-*
natiuitas sua incidisset. Et Antipatrum profectò Tarsen- *dicat.*
sem similiter perhibent cùm sub mortem reputaret quæ fœ
licia sibi in vita euenissent, ne prosperam quidem à patria
sua Athenas nauigationem præcetisse: nimirum propi-
ciæ bonis fortunæ omnia dona in magno beneficio repo-
nens, & vsque ad finem memoria teneus. Neque sanè vllum
ad retinenda bona certius, quàm memoria, est ærarium.
Immemoribus enim & stupidis ea cum tempore effluunt:
itaque nihil seruantes, in perpetuum vacui bonorum, spe
pleni futura præsentibus dimissis spectant. Et verò cùm
illa possint à fortuna impediri, hæc eripi non queant: ij
tamen dona fortunæ præsentia tanquam aliena abijciunt,
futura & incerta somniant. Id quod euenire ijs consenta-
neum est, quando externa bona, priusquam rationis &
disciplinæ opera istis sedem atque fundamentum locaue-
rint, congerentes atque coaceruantes, insatiabilem animi
cupiditatem explere non possunt. Mortuus est Marius de-
cimoseptimo consulatus septimi die: magnumq; tum Ro-
mæ gaudium exortum, animiq;e ciuium in bonam spem
erecti, graui se tyrannide liberatos putãtium. Paucis autem
pòst diebus nouum se, & ætate vigentem dominũ in locum *Marius*
senis accepisse viderunt: tantam læuiciam Marius iunior, o- *iunior.*
ptimos laudatissimosque viros trucidando, ostendit. Atque
is cùm audax, bellicorumque periculorum adeundorum
cupidus videretur, initiò Martis filius dictus, mox reipsa

qualis

qualis esset deprehensus, Veneris filius audiuit: ad extremum Prænestę obsessus à Sylla, cùm vitæ retinendæ causa multa frustra tentasset, & capta vrbe effugere non posset, mortem sibi ipse consciuit.

## IN MARIVM ANNOTATIONES.

*Marij & Syllæ bellum ciuile ita, vt vix vlla alia historia, nobile est: tempusq; & æquales Marij facilè noti. Mortuus est Marius septimum consul, anno vrbis conditæ* IↃC LXIIX. *Quæ autem initio de nominibus disputantur, neque obscura sunt: & si quis plura vult, doctissimum Sigonij de nominibus Romanorũ librum inspiciat. Sanè* C. *Marium Nepotem quidam annales scribunt, contrà quàm* Plut. *asserit. Ego tamen* Plutarcho *facilius, quàm vel Cassiodoro, vel alijs eum secutis assentior: præsertim quia neque antiqua monumenta, neque vllus, quod sciam, vetustus & bonæ fidei scriptor* Mario Nepotis *cognomẽtum adscripserit. Metellum à moribus Nepotem, nimirum à prodigalitate cognominatum,* Valerius *lib. 9. cap. penultimo affirmat.*

1 Hispaniam obtinuit.] *In foribus, quod aiunt, labitur* Guarinus, *cum* καλοιχόντος *ita effert*: qui Iberos in ius ditionemque populi Romani redegit. *Imò autem sibi occupauit eam prouinciam, & contra Syllam tenuit, de quo in ipsius vita cognosces. Mox pro* ῥωμαίους, *dandi casus placet* ῥωμαίοις.

2 Cirræatone.] *Hoc mihi nomen nescio quomodo suspectum est. Sanè Marium fuisse Arpinatem, Ciceronis gentilem, vel ex initio librorum huius de Legibus euidens est. Plinius libro 3. capite 5. in describenda prima Italiæ regione, Cernetum oppidum, & Cernetanos, qui ijdem Mariani cognominarentur, refert: vt suspicari subeat, ne quod ille Cernetum dicit, Plutarchus (si modo non surrepsit menda, vt solet*

*vt solet ferè in proprijs nominibus.) Cirræatonem efferat. Sed nihil certi scio.*

3 Nihil planè de animi sui.] οὐδὲ μικρὸν ὑφήκατο, *&c. Guarinus contrarium sensum perscripsit, loco satis aperto. nam* οὐδὲ *negatio est, qua etiam* τὸ μικρὸν *amputatur. Si scriberetur* οὐ μικρὸν, *stare posset Guarini interpretatio: sed ipsa rei veritas tamẽ ostenderet, mendum esse, & legendum esse* οὐδὲ. *Paulo antè:*

A sella curuli.] δίφρων τῶν ἀγκυλοπόδων. *Quin rectè verterim, dubitare neminem puto eruditum: quod quidem ad sententiã attinet. cur autẽ epitheto hoc adficerentur exprimerentur q̃ sellæ curules, nondũ satis didici. curuipedes sellas verterẽ ad verbum: sed antiquitatũ Romanarum copia instructi hoc dispicient. Ne Latini quidẽ vocabuli* ἔτυμον *ego adsequor. Est apud Festũ, Curules magistratus dici, quia curru veherentur. excipienda ergo erit vox à canone deriuatorum. prima enim est breuis. Horat. 1. epist. 6.*

*——Fasces dabit, eripietq́ curule*
*Cui volet importunus ebur.——*

*Et sellæ quid cum curru Latinè? aut si sella item vt currus* δίφρος *dicatur, quid ad currum* ἀγκυλόπους? *Quid si à Curibus hoc, vt alia, Romam translatum credamus? certè prosodia congrueret. Sed viderint doctiores. Obiter heic reprehendendus est locus sub initium Aemilij, à nobis incuria nescio qua præteritus pœnè. Ibi Plutarchus* πρώτην ἐπιφανῶν ἀρχῶν, *primum illustrem magistratũ vocat hanc ipsam ædilitatem curulem. Hoc ita esse, optimè ex his verbis Liuij intelligitur, quæ sunt initio libri septimi. Annus hic erit insignis noui hominis consulatu: insignis nouis duobus magistratibus: prætura, & curuli ædilitate, &c. Iam antè autem ædilitas & tribunatus patricij, à curulibus magistratibus erant distincti: vt ex his, quæ de Licinij ac Sextij tribb. plebis actionibus sub annum* CCXXC. *ab V. C. referuntur*

*sexto libro, satis est euidens. notum est etiam, tribunatum plebis ne magistratus quidem titulo censum fuisse, ideoque dictatore creato cum reliquis non fuisse sublatum. His adde quæ de Cn. Flauij scribæ ædilitate & sella curuli sub noni libri finem idem perscripsit autor. Ita Plutarchi dicta rectè intelliges.*

4 Patronum dicendi contra clientem.] *Guarinus hæc ita vertit, vt quid patronus apud Romanos diceretur, ne intellexisse quidem videatur. Deinde quod habet:* Recipientibus autem iudicibus testimonium, *falsum est. Accepisse enim eos excusationem Herennij, ne is diceret testimonium, Plutarchi verba & sensus loci ostendunt. De iure autem patronorum & clientum, quia supra Plutarchus in Romulo perspicuè docuit, non est quod de hoc loco, malè vtiq; olim tractato, plura dicere oporteat. Quod autem paulo post è numero curulium magistratuum Prætura excluditur, notandum est. Antiquitus M. curulem fuisse apparet. Sed dudum ante Marium plebeij etiam consules fiebant. De suffragijs in iudicio æqualib. vide annotata ad Coriolanum. In Græco* μένειν & αὐτῆς *est scribendum, &* χαλεπωῖς. *Sed hæc fortè aliàs.*

5 Et sub eo tum dux sociorum.] *Græca,* καὶ ὅτι τὸν ὅπλα τῶν τευτόνων ἔχων ἀρχιὼ, στρατεύετε. *Guarinus,* aduersus Teutones vnà militauit, principatum & curam architectorum gerens. *Quid autem est hîc de architectis quæso? & verò nisi Teutones versor nominasset, pro* τευτόνων τεκτόνων *eum legisse verisimile fuisset. Equidem rem iam contrà Teutonas gestam fuisse, Q. Metello Numidico magistratum gerente, ne verisimile quidem puto. Et militabat,* συνεστράτευε *est in Græco: vt videas non præteritam, sed præsentem militiam innui. Ergo mendũ est in voce* τευτόνων, *cui facilius mederemur fortassis, si vita huius Metelli, quam scripsisse Plutarchum scimus, exstaret:*

nunc

nunc quia de illa militia nihil nobis constat, rẽ in medio relinquimus. Suspicor sanè esse sensum, cùm ob paternum hospitium, tum quòd sociorũ copias duceret, Metello charum fuisse. T. Turpilium Silanum Sallustius in Iugurthino bello nominat: idemq; Vaccæ (quæ hîc βάγα dicitur) præsidium ex Italicis, hoc est sociorum P.R. militibus constitisse, haud obscurè tradit. Ego in hoc & similibus locis circumspectius, quam alij factitarint, versandum sciebam: ideo volui dicere, quæ putarẽ. Amiotus planè τεκτόνων legit, & præfectum fabrorum vertit, quæ coniectura mihi non improbatur. nisi quòd Sallustius videtur hoc indicaturus fuisse. Quanquam nihil obstat, quin alios autores secutus sit Plutarchus. Paulo pòst ποιούμενον ἴδιον τὸ ἔργον, occasionem rei gerendę nactum, Guarinus vertit: & ἰτύλω, quæ Latinis Vtica dicitur, Itycam: annotandiq; ad marginem dedit occasionem cuidam, apud Sallustium Vticã legi: quasi non idem sit apud Plutarchum: Et mox ἀναγορευθὲις λαμπρῶς, Oratione splendida habita. Quid est, si hoc nõ est præuaricari officium interpretis? Multa id genus alia sciens omitto.

6 Periculum ab occidente Italiæ imminens.] Nam Cimbri ad Rhodanum in Gallia Cn. Mallio & Qu. Cæpione proconsule cum exercitibus deletis in Hispaniam recesserant: inde in Galliam reuersi, Teutonis se coniunxerunt, vt ex Liuiana Epitoma 67. patet. Hoc monui, ne quem offenderet hic locus, cùm à septentrione bellum eos Italiæ intulisse populos cogitaret.

7 Polum porrò septentrionalem.] Pleraque hîc malè Guarinus vertit, & obscurè. Ratio rei ijs, qui elementa Astronomica gustarunt, non est obscura. Meminit etiam Herodotus Cimmeriorum migrationis, haud procul initio libri primi.

8 De potestate rationis exijt.] ἐξέστη τὸ φρονεῖν. Guarinus nullo sensu, calliditate excidit. Saltem quæ

*sequuntur, insania correptum fuisse Iugurtham indicare animaduertisset. & nihil notius est, quam* ἐξίστασθαι φρενῶν, ἔκστασις, ἐκστατικῶς ἔχειν, *ac similia multa.*

9 C. Lusius.] *Sic legitur etiam in Apophthegmatis. Emendetur ergo hinc Valerij locus, apud quem in hac historia Clusius lapsu librarij legitur, lib. 6. cap. 1. Etsi is militem non Trebonium, sed Cœlium Plotium nominat. Similis historia est apud Suidam in* Τάϊ@ : *qui locus cum Valerij adducto rectè comparabitur à diligentibus.*

*Valerij locus.*

10 Carbo eum, & Cæpio.] Σκιπίωνος *est, mendosè pro* Καιπίωνος, *in Græco. De Carbone, præter reliquos, Epitoma Liuij 63. de Cæpione in 67.*

11 Sensim eos insecutus est.] χέδλω : *alter* tumultuario bello. *quo quid à sensu magis alienum? Mox* ὕδασι Σεξτίοις *legendum, non* Σεξτιλίοις, *constat.*

12 Ipsi quoque Ambronas mutuò.] *Locus est obscurus. & sanè verba puto me fideliter expressisse, quæ id omnino videntur innuere: Ligures iactasse, sibi nomen Ambranum auitum esse. Sed de hoc nihil, præter hunc vnum locum, inuenio. Sanè & Sex. Pompeius Festus Ambrones Gallicam fuisse gentem tradit: & apud Strabonem lib. 4. de ostijs Rhodani disputantem, mentio fit cuiusdam Massilienſium de Ambronibus victoria: vt appareat, fuisse eos vicinos. Massilienses finitimos Liguribus esse, notum satis est. Hinc leuis saltem quædam videtur posse sumi coniectura.*

13 Quo factum est, vt barbari.] *Contraria omnia & verbis & sensui loci huius, habet Guarini versio: qui & Romanos cessisse in planiciem scripsit, &* ἄνω *desuper vertit, &* διασπασμὸν *scutorum collisionem.*

14 Campus ad Vercellas.] *Vercellæ, transpadanæ Italiæ oppidum est: cui regioni contigua est Venetia. Plin. libro 3. cap. 17. & 18. Hoc dico propter Florum, qui lib. 3. capite 3. pugnatum fuisse in Venetia scribit, & in campo*

Caudio

Caudio (alij Claudio legunt, sed & in lib. de Viris illustribus Caudio habetur: apud Velleium est in Raudis campis, haud scio quàm rectè) Sigonius Veronam pro Vercellis legendum putat: quod eo maximè nomine non admittendum videtur, quia ad Athesin est Verona. Cimbros trans Athesin procurrisse, historia perspicuè docet.

15 Telum singulis bidens.] διξύλια. Bina manibus iacula Guarinus, & post eum Amiotus: quàm rectè, non video. Est quidem etiam apud Euripid. διξοὺς ἄκων. in Rhaso.

16 Nonij cædes.] ὁ ὀνίου φόνος malè, pro ὁ Νωνίου. Nonium omnes historici nominant, & Appianus disertè Νώνιον. Guarinus nescio quem Numium supposuit.

17 De re ita magna ante cognitionem sententiam ferret.] Guarinus locum hunc neque intellexit, & peruertit. Est autem προαποφαίνεσθαι εἰς πρᾶγμα, de causa nondum cognita pronũciare, non (vt ille habet) aduersari rei. Quod autem dixi tantum onus in se recipere, id in Græco est ad verbum, tam latum habere collum. qua de translatione aliquid in Cicerone annotaui.

18 Popedio Siloni.] Is fuit Marsici, seu socialis istius (quod & Italicum dictum fuit) belli autor atque dux: atq; hoc nomine ab historicis afficitur Latinis, Velleio, Floro 3. 18. Epitoma Liuij 76. Valerio 3. 1. Apud Strab. lib. 5. Πομπέδιος: & apud Plut. initio vitæ Catonis Vticensis, Πομπαίδιος σίλλων mendosè legitur. κεῖνται πομπάσιοι, itidem ab Appiano lib. 1. belli ciuilis appellatur. Fuit ergo Qu. Popedius Silo: & hîc legendum ποππεδίου, non ποππλίου. quod miror ab interpretibus animaduersum non esse.

19 Eorum occipitia.] Habenas, Guarinus: legit enim (vt & in nostro fuit codice) ἡνίων. Sed videntur argutiæ loci hoc non recipere vocabulum. Est enim sensus: ita vtrosque fuisse timidos, vt vtrinq; fugerint, & neutri neutros insequi

*ausi fuerint. Itaq; ἰνίον legi, quod esse occiput cõstat: Amiotus faciem vertit, nescio qua occasione: nisi fortè repudiato vocabulo ἰνίων, sensus quod videretur offerre, amplexus est. Sed nostra coniectura verbis Plutarchi ac sententiæ haud dubiè est propior.*

20 Trecenta sestertia precium.] *Monstrosè has summas peruertit, & ambigue extulit Guarinus. Etenim septem myriades & dimidia, drachmarum sunt, seu (quod idem est) denariorum millia* LXXV. *Sestertium ita dixit Guarinus (ne dicam in numero eum erasse) vt an sestertios nummos indicet, an sestertia (hoc est nummorum sestertiorum millia) non liquide constet. Prius puto: neque enim animaduerterat, quatuor sestertios vno denario, aut drachma (has enim in summis accipiendis Græci indicant) contineri: quod legisse saltem in Syllæ vita eum oportuit, quam conuertit. Sed hæc aliâs. Eodem modo posteriorem summam corrupit. Si denarios decem æstimes in aureum florenum coronatum (quod Budæus docet, & proxime verum est) prior summa efficiet septem millia aureorum, & quingentos: posterior Luculliana* CCL. *aureorum millia. est q; ea summarum proportio, quæ ternarij ad centenarium numerum. Amiotus priorem summam ita, vt nos demõstrauimus, effert. Lucullianæ autem tantùm quintam ponit partem,* L. *scilicet aureorum millia: quæ ad priorem hanc habet rationem, quæ est vigenarij ad ternarium. videtur q; legisse, ὀνεῖται μυριάδων πεντήκοντα. ὅτως, &c. omissis verbis, καὶ διακοσίων. Vtrum rectius sit, vix possum iudicare: itaq; quod in Græco reperi, id reddidi, quanquam verisimilior iudicari potest Amioti lectio: nam & ipsa tantũ incrementum precij habet, vt rectè videas epiphonema de aucta prodigiosè sumptuositate additum à Plutarcho.*

21 Contrasenatum.] *Finxi vocabulum vtut durum, (sunt enim Latini in duplicandis vocabulis, quàm Græci, infe-*

*infeliciores, vt est apud Liuium) quo* ἀντισύγκλητον *vtcunque exprimerem. nam quod nomen suæ cateruæ indidisset Sulpicius, nondum apud Latinos legi. Consules porrò tum erant L. Cornelius Sylla, & Qu. Pompeius Rufus, anno ab V.C.* IↃCLXVI.

22 At ipse Sylla.] *Locus est intricatus, & à Guarino perperam versus, nullo planè sensu. Vbi autem verti,* Quod ipsi postulabant, iustitium sustulisse, *minus mirum est ab eo non intellectum, cùm & Græca sint mendosa,* τὰς πρᾴξεις ἔλυσε. *Sed ex Syllæ vita, vbi idem argumẽtum tractatur, satis constat, legendum* τὰς ἀπραξίας ἔλυσε: *ne id ex alijs autoribus petamus. Iustitium autem magnis tumultibus antiquitùs consueuisse indici, cùm aliâs, tum ex tertio Liuij libro patet. Mox de equitum numero, præsertim tam exiguo peditatu, in suspicionem veni, ne pro* τρισμυρίων, τρισχιλίων *sit legendum: hoc est* III. *non* XXX. *millia. idq; ausus sum ita exprimere: sex legiones ei in Sylla Plutarchus, & Appianus libro primo, belli ciuil. quatuor Orosius lib. 5. cap. 9. adscribunt.*

23 Oua parit tria.] ἐκλέπει, *non* ἐκλεπεῖ, *cùm sit* παρὰ τὸ λέπω. *Est hoc verbum excludere. Apud Arist. libro 6. cap. 5. de historia Animal. idem Musæi versus adducitur: sed pro* ἀλυβάζει, *legitur ibi* ἀλεγίζει, *quod quid sit, facilius intelligitur, quàm* τὸ ἀλυβάζειν. *hoc enim esse idem quod* τρέφω, *nutrio, in Lexico est, nullo testimonio: & forte ex hoc loco sumptum vocabuli glossema. Cætera vide apud Plin. cap. 3. & 6. libri decimi. Quod ad has diuinationes attinet, Ciceronis præstat de isto argumento libros cognosci, quàm nos heic à proposito digredi.*

24 Ad Meningem.] *Meninx insula est e regione Africæ, non longe à minori Syrte, quæ & Lotophagorũ insula dicitur. Polyb. lib. 1. Vide Plin. 5. 7. Cæterùm* Ἰάμψαν Hiempsalem, *vt verti, Latini vocãt: & Sextilius, Appiano est Sextius.*

25 Telamonem.] τελαμῶνι τῆς τυρρηνίας *Portũ esse, ex Plinio didici, 3. 5. idq; perspicuitatis causa adieci.*

26 Frumenta quæ hostibus aduehebantur] *Guarinus, quasi nõ esset notissimum ναυσὶ, datiuum instrumenti, vt vocamus, esse, ac περικόπτειν τὰ σιτία, quid significaret: nautis pensionem præcisam à Mario finxit, quod indicandum duxi: refutatione non eget.*

27 Bonum fore rerum statum.] *Elegans est, sed concisa oratio,* εὖ γενησομένων, *nimirum* τῶν πραγμάτων: *vt Latini dicunt, bene habet, & similia. Guarinus non intellexit, operæprecium esse ibi manere vertendo.*

28 Acharium.] *Sic & in Græco, & in Appiano est. apud Florum Arquarius legitur, sed malè opinor. De Bardiæis, quæ ratio sit eius nominis, fateor mihi nihil esse quod doceã.*

29 Antipatrum profectò Tarsensem.] *Stoicus fuit philosophus, quod Strabo in Tarsi descriptione testatur lib. 14. Citatur eius de superstitione liber quartus, apud Athen. lib. 8. Vixit paulo ante Marij tempora, siquidem Plutarchus in vita Gracchorum, T. Gracchum ait, ad leges ferendas à Blosio incitatum, qui huius fuerit Antipatri in vrbe discipulus. Idem in libro* περὶ εὐθυμίας, *hoc idem Antipatri dictum refert. Platonis sententiam copiosius Lactant. lib. 6. cap. 19. Instit. refert.*

## PLVTARCHI LYSANDER, GVILIELMO Xylandro, Augustano, interprete.

DONVM ab Acanthijs apud Delphos dedicatum, hanc habet inscriptionem: Brasidas & Acanthij de Athenienſibus. Quamobrem multi lapideam statuam, quæ intra cellam iuxta fores sita est, Brasidæ esse putant. Ea verò Lysandri est effigies, cæsariem more antiquo, barbamq; prolixã habens. Quod enim nonnulli dicũt, Argiuis post magnam illam cladem crines tondentibus, Spartanos contrà victoria exsultantes comã aluisse, falsum

*Lysandri effigies.*

falsum est: sicut id quoque, cùm Bacchiadæ Corintho ex- 3
pulsi Lacedæmonem exsules aduenissent, abiecto & ob
tonsa capita deformi habitu, cupiditatem Spartanis nutri-
endorum crinium incessisse. Enimuerò Lycurgi instituto
id quoque fecerunt, quem dixisse ferunt, propter comam 4
pulcros formosiores aspectu, deformes terribiliores effici.
Aristoclitum Lysandri patrem familia non quidem regia,
genere tamen Heraclidarum natum perhibent. In paupertate Lysander educatus, ad exercitationes patrias sese, vt
quisquam alius, obsequentem præbuit, virilemque, & o-
mnis voluptatis abstinentem, nisi quam honor ob rem bene gestam habitus adferebat. Huius voluptatis appetentem esse adolescentem, apud Spartanos in turpibus rebus non habebatur. Statim enim à puero ij suos volebant aliqua gloriæ cupiditate affici, & reprehensos dolere, laudatos animo efferri: qui non hoc modo afficeretur atque moueretur, eum virtutis nequaquam studiosum, sed ignauum iudicabant. Ergo gloriæ studium & peruicacia ei ab disciplina Laconica inhæsit, neque adeò ad naturam eius hæc sunt referenda. Videtur porrò colendis potentibus magis se dedisse, quàm Spartani esset moris: & (quam nonnulli ciuilis facultatis haud exiguam esse partem iudicant) commodi sui gratia magnatum fastum facilè pertulisse. Aristoteles, vbi magnorum virorum temperamenta fuisse 5
melancholica asserit, vt Socratis, vt Platonis, vt Herculis, *Lysander*
Lysandrum ingraueſcente demum ætate in melancholiam *pecuniæ*
incidisse tradit. Id ei peculiare fuit, quòd cùm paupertatem *abstinens*
ferret præclarè, neque vnquam capi aut corrumpi pecunia *patriam*
potuisset, patriam diuitiis, earumq; cupiditate repleuit, ef- *ditat.*
fecitq; ne ob id ea, velut antè, in admiratione esset, quia diuitias non magni faceret: cùm quidē post Athenienſe bellum, ingesta in eam magna vi auri atque argenti, sibi ipse ne denarium quidem seruauit. Dionysio etiam tyranno filiabus suis preciosas Sicilienses tunicas mittente, non accepit, vereri se inquiens, ne filiabus eæ dedecori potiùs essent. Et tamen breui post tempore ad eundem tyrannum Lacedæmone legatus, cùm is duabus missis stolis mandasset vti vtram vellet filiæ dono ferret; respondit, ipsam rectiùs diiudicaturam, & vtraque accepta secum discessit. Posteaquàm tracto bello Peloponnesiaco, ab Athenienſibus,

6 quos ob cladem in Sicilia acceptam cõtinuò mari toto ceſ-
ſuros, atq; paulo pòſt planè de bello ſuſtinendo deſperatu-
ros erat opinio: Alcibiades ab exilio reuocatus, ac ſummæ
belli præfectus, eam rerũ mutationem effecit, vt iam cum
hoſtib. mari decertare æquis viribus poſſe videretur. Pro- 5
inde Spartani nouo terrore oblato, ſtudiis belli denuò ac-
cenſis, cùm intelligerent duce optimo, validioreq; appara-
tu opus eſſe, Lyſandrum rei nauali præfectum emiſerunt.
*Lyſander claſsis præfectus, quæ cum Cyro egerit. Epheſus ornata.*
Is cum Epheſum peruenisſet, vrbemque ſibi amicam, & re-
bus Laconicis enixè cupientẽ offendiſſet, ſed aduerſa tum 10
vtentem fortuna, in periculoq; conſtitutam ne barbarie pe-
nitus occuparetur ob Perſarum commercia: etenim (Lydia
vrbi vicina eſt, ideoque regii in ea duces plerunq; agebant)
caſtra ibi metatus, mandatoque vt naues onerarię vndique
eò conducerentur, ibidemque triremium fabricationem 15
inſtituens, Epheſiorum portus mercatoribus, opificibus
forum, domos & artes quæſtu faciendo occupauit: vt ab eo
primùm tempore Epheſus Lyſandri opera in eius, quem
nunc tenet, ſplendoris atque maieſtatis ſpem ſit ingreſſa.
Inde cùm Cyrum regis filium Sardes veniſſe accepiſſet, eò 20
adſcendit colloquii, & Tiſaphernis accuſandi gratia. Nam-
que is cùm à rege iuſſus eſſet Lacedęmoniis opem ferre &
mari Athenienſes pellere, videbatur in gratiam Alcibiadis
remiſſiùs agere, ſumptuſque malignè ſuppeditando naua-
lem potentiam corrumpere. Gratum verò erat Cyro, Tiſa- 25
phernem culpari & malè audire, improbũ hominem, ipſiq;
priuatim inimicum. Ob hæc; & reliquam in conuerſando
comitatem, qua præcipuè adoleſcentem demerebatur, Cy-
ri fauorem nactus, ad bellum eum cohortatus eſt exequen-
dum. Cumque is eum diſceſſurum conuiuio accepiſſet, at- 30
que oraſſet, ne ſuam liberalitatem aſpernaretur, ſed ſecu-
rus repulſæ peteret quod vellet: Lyſander, Quando (in-
quit) tantopere mihi Cyre cupis, oro te atque hortor, vt o-
bolum ſtipẽdio nautico, quod hactenus fuit ternũm obo-
lorum, adiicias. Delectatusque eius liberalitate Cyrus, de- 35
cem millia ei Daricorum dono dedit. Hac de pecunia Ly-
ſander obolum nautis viritim diſtribuit, ſplendideq; agẽs,
paruo tempore naues hoſtium claſſiariis vacuas effecit. hi
enim aut ei qui plus numerabat, ſe adiungebant: aut ſi ma-
nerent, officium inuiti faciebant, quotidianisq; tumultibus

duces

duces vexabant. Verùm Lysander tametsi ita ad se pertractis, incommodoq; affectis hostib. prœlium tamen nauale, formidabat, Alcibiadem metuens, acrem virum, & numero nauium superiorem, nullaq; ad id vsq; tempus neque terra neque mari victum pugna. Vt verò Alcibiades, præfecto classi Antiocho gubernatore, à Phocæa in Samum traiecit, Antiochus velut in cõtumeliam Lysandri audacter duabus triremibus ad portum Ephesinum aduectus, præter statio nem ipsam nauium cum risu & plausu superbè nauigauit: ibi indignatione concitus Lysander, paucis initio triremib. deductis, eum insecutus est: cumq; ab Athenien sib. Antio cho auxilium ferri cerneret, pluribus instructis ipse quoq; nauibus nauali prœlio commisso vicit, ac captis quindecim triremibus, trophæum erexit. Ob hoc populus Atheniẽsis imperium Alcibiadi abrogauit: isque à militibus in Samo contumeliosè habitus, maleq; audiens, ex castris in Chersonesum auectus est. Hanc vero pugnam, etsi nihil magni gestum fuit, fortuna Alcibiadis nomine celebrem fecit. Lysander autem à ciuitatibus sociis Ephesum euocatus, quos audaciores reliquis esse, altioresq; ducere spiritus animaduertit, apud eos occulta iecit eorũ decemuiratuum & nouarum rerum, quas deinde perfecit, principia, hortans vti sodalitates instituerent, animumq; rebus attenderent: etenim simul atq; Atheniẽses essent euersi, fore vt populi imperio sublato, ipsi in patrias suas principatum obtinerent. Id re ipsa singulis cõfirmauit, eos cum quib. amicitiam aut hospitiũ iunxisset, ad magnas res, honores, & imperia euehens, eorũ se in peccando sociũ præstans, cupiditatesq; eorũ suis delictis explens: hinc omnes illum obseruare, colere atq; diligere, sperantes ipso summa rerum potito, maxima se quæuis adepturos. Quo factum est, vt Callicratidas Lysandro successor missus, neq; initio ipsis acceptus esset: & posteà (cũ edito specimine virũ se optimũ esse atque iustissimũ demõstrasset) formam imperii sui simplicẽ, Doricamq; planè & ingenuam non probaret. verùm huius virtutem tanquã pulcritudinẽ heroicæ imaginis alicuius admirati, Lysandri in amicos studium, cõmoditatesq; societatis eius desiderabãt: cuius quidem abitus mœrorem ipsis reliquerat, lacrymasq; exciuerat. Et quidem horum aduersus Callicratidam odia auxit Lysander: missisq; sibi à Cyro ad

*Victoria naualis Lysandri.*

*Callicratidæ ingenium & facta.*

*Lysandri malignitas & arrogantia.*

ro ad persoluenda nautis stipendia pecuniis, quod superfuit, Sardes remisit, ipsum iubens Callicratidam petere à Cyro, si vellet, ac curare quomodo exercitum aleret. Denique in patriam nauigaturus coràm Callicratidæ professus est, ei se classem mare omne in potestate sua habentem tradere. Quam illius arrogantiam vt inanem esse atque superbam is ostenderet, Quin tu, inquit, ergo, ad læuam Samo relicta ad Miletum classem circumducis, eamq; ibi mihi tradis? si enim mare in nostra est potestate, nihil attinet eo in cursu metuere nobis ab hostibus qui in Samo sunt. Lysander verò, non se porrò, sed illum præesse nauibus respondens, in Peloponnesum abiit, relicto in magnis difficultatibus Callicratida. Nam neque secum pecuniam aduexerat, neque exigere à ciuitatibus & extorquere, alioquin malè affectis, sustinebat: reliquum erat, vt limina regiorum præfectorum accedens Lysandri exemplo peteret. Verùm ab ea re ingenio erat alienissimo, ingenuus vir & magnanimus, & qui Græcos à suis gentilibus cladem accipere minori turpitudine posse putabat, quàm adulari, & adire ad fores barbarorum, quib. præter auri copiam nihil adesset boni. Tamẽ necessitate compulsus, in Lydiam ascendit, re-
8 ctaq; ad Cyri domum profectus, referri ei iussit, Callicratidam classis ducem adesse, & colloqui cum eo velle. Cùm eorum, qui ad fores stabant, quidam responderet, Non vacat, ô hospes, in præsentia Cyro: bibit enim simpliciter admodum Callicratidas, Nihil, inquit, est incommodi. adsi stens enim iuxtà, expectabo dum biberit. Tunc igitur rusticus homo habitus, & à barbaris derisus, discessit. Vt verò iterũ ad fores regias veniens non est admissus, indignè ferens, Ephesum abiit, multa imprecatus iis mala, qui primi se à barbaris illudi passi fuissent, eosq; propter diuitias superbire docuissent: iurauit etiam coram suis, se, cùm primùm Spartam rediisset, totum in reconciliandis Græcis futurum: vt barbaris ij deinde terrori essent, neq; in posterum auxilia eorum contra sese mutuò requirerent. Sed is Callicratidas digna Lacedæmone meditatus, primisq;
9 Græcorũ iusticia, magnanimitate & fortitudine non inferior non multo pòst tempore apud Arginusas, nauali pugna victus interiit. Inclinatis tum rebus, socii fœderis legatis Spartam missis petierunt, vt Lysander classi præficeretur, eo duce longè

*Lysander classi iterũ præfectus.*

longè alacriùs bellum se gesturos innuentes. Eadem & Cyrus per suos petebat. Sed cùm lex obstaret, qua cautum erat, ne quisquā bis classem duceret; Spartani vt sociis gratificarentur, Araco cuidam nomen naualis imperii contulerunt, eiq; Lysandrum verbo legatum, reipsa summæ rerum præfectum, addiderunt. Fuit Lysandri aduentus plerisq; eorum qui in repub. versabantur, inq; ciuitatibus suis potentia valebant, iam pridem desideratus: sperabant enim suam potentiam populari imperio deleto auctiorem fore. At qui in imperatore simplex & candidum ingenium probabant, iis cum Callicratida comparatus Lysander, versutus homo, & impostor videbatur. Quippe fraudem plerunque in bello gerendo adhibebat: iusticiam vtilitati coniunctam magnificiens: sin minùs, honesti loco commodum vsurpans, verum falso non natura præstantius iudicans, sed ex vtilitate vtrunq; æstimans. Qui Herculis stirpe ortos sine dolo bellum gerere volebant, eos rideri iussit. nam vbi pellis leonina non sufficeret, ibi vulpinam adsuendam esse. Eius generis est, quod traditum est, cum Milesiis eum egisse: Cùm amici & hospites eius ciues Milesii, quibus pollicitus fuerat summā in populi potestate abolenda, & pellendis aduersariis operā, mutata sentētia cum inimicis in gratiam rediissent: palàm quidē delectari se ea reconciliatione, in eamq; cōsentire simulauit, occultè verò eos obiurgauit, & adinuadendā multitudinem stimulauit. Deinde vt sensit motam seditionem, celeriter auxilii ferendi causa Miletum intrauit, & in quos primùm incidisset nouarum rerū auctores, eos grauiter increpauit, suppliciumq; minatus est: reliquos bono animo esse iussit, nihilq; ipso præsente mali metuere. Id autē præ se tulit, hoc agens, ne qui erant quā maximè populares & præstantissimi, ex vrbe fugerent, sed ibi perirent. sicq; est factum: quotquot enim fide ipsi habita in vrbe manserūt, trucidati sunt. Androclidas sermonem eius retulit, qui magnam in iurando leuitatem arguit: dixisse enim Lysandrum, pueros taxillis, viros iureiurādo decipiē dos esse. Imitatus est in hoc Polycratem Samium, non rectè quidem tyrannum imperator: neq; Laconicū est, Deos eodem quo hostes modo tractare. Imò autem in Deos contumelia maior est: qui enim iureiurando fallit hostem, hūc se metuere, Deum contemnere fatetur. Enimuerò Cyrus Lysandro

*Lysandri versutia & perfidia.*

*Polycratis perfidia.*

*Cyri in Lysandrum studium.*

sandro Sardes accito & dedit multa, & pollicitus est, in gratiam eius id quoque iactans, si pater nihil esset daturus, de suo se impensas facturū, & omnibus absumptis, soliū suum (solebat autem ex auro & argento confecto solio sedens responsa dare) concisurum. Tandem cùm ad patrem in Mediam proficisceretur, Lysandrum ad recipienda ab vrbibus tributa substituit, suumq; ei imperium commisit: eoq; salutato, & orato ne ante suum reditum (adducturum enim se multas ex Phœnice & Cilicia naues) cum Athenienſibus bello nauali decerneret, ad regem abiit. Lysander cum neque pugnam, multitudine hostibus impar, auderet, neque tot cum nauibus ocioſus esse vellet, auectus nonnullas insulas in suam potestatem redegit, Æginam quoque & Salaminam adiuit, & incursionibus vexauit. In Atticam inde egressus, salutato Agide (nam ab Decelea is ad eum descendit) vt pedestribus tum copiis ostenderet, se in sua potestate mare habere, insequentibus Athenienſibus, alio cursu per insulas instituto in Asiam fugit. Cumque Hellespontum desertum inuenisset, Lampsacum vrbem à mari oppugnare cœpit: eodem simul cum terrestribus copiis Thorax perrexit, easque muris admouit. Expugnatam vi vrbem Lysander militibus diripiendam dedit. Cæterùm Athenienſium classis, centum & octoginta triremibus constans, recens ad Eleuntem Cherroneſi vrbem in stationem subierat. Hi audita Lampsaci calamitate, statim Sestum appulerunt, atque ibi alimentis assumptis, ad Ægos potamos nauigauerunt, hostium classe adhuc eregione apud Lampsacum stante. Duces erant Athenienſium cùm alii multi, tum Philocles, qui pridem populo persuaserat, vt qui eo bello ex hostibus caperetur, ei dextræ manus pollex amputaretur, vt hastam ferre nequiret, remum ducere posset. Ea die vtrinq; cessatum, & in sequentem diem nauale prœlium expectatū est. At Lysander alias animo cogitationes voluens, nautis & gubernatoribus, tanquam prima luce pugnam commissurus, mandauit, vt sub auroram in naues conscenderent, in iisque ordine & silentio seruato sederent, atque ipsius iussum expectarent: eodem modo pedestres etiam copias iussit explicatis in littore ordinibus quiescere. Orto Sole, & Athenienſibus tota cum classe in conspectum à fronte adnauigantibus atq; prouocantibus

*Lampsacū Lysander capit.*

*Lysander vt Athenienses ad Ægos potamos vicerit.*

naues

haues priores in hostem obuersas, quas classiariis nocte adhuc durante impleuerat, continuit: missisq; ad primas naues lẽbis, quales ad obeunda ministeria haberi solent, quiescere iussit, ordinibusq; seruatis nihil turbari, neque contra hostem prouehi. Cùm recessissent iam aduesperascente Athenienses, non antè milites ex nauibus dimisit, quàm duæ aut tres triremes, quas speculatum emiserat, reuersæ sunt, cùm hostem nauibus egressum vidissent. Idem postridie, tertio etiam, & vsq; ad quartum diem egit: vnde Athenensium aucta est fiducia, contemptioq; extitit hostium, quos metu se à pugna abstinere putabant. Interim Alcibiades, qui tum in suis castellis apud Cherronesum agebat, citato equo ad castra Athenensium aduectus, duces reprehendit: primùm quòd in littore importuoso & aperto neque rectè, neque tutò castra posuissent: deinde in eo peccatum, quòd ex Sesto commeatum petere cogerentur: ex re potius fuisse, si sensim ad portum & vrbem Sestum nauigassent, atque ab hostibus se longiùs remouissent, qui cum copiis vnius imperio parentibus, eiusque metu iussa celeriter dato quouis signo exequentibus stationem contrà haberent. Hæc docenti nemo obtemperauit. Tydeus etetiam contumeliosè non illum, sed alios imperare respondit. Itaque Alcibiades, concepta etiam proditionis de ipsis suspicione, discessit. Quinto die Athenensibus classem admouentibus, rursusque, vt solebant, contemptis planè hostibus recedentibus, Lysander speculatoriis nauibus emissis, mandauit, vt, cùm vidissent egressos nauibus Athenienses, retrò quàm possent celerrimè aueherentur, & vbi in medium traiectum peruenissent, æreum scutum inuadendi hostis signum de prora attollerent. Ipse gubernatores & præfectos triremium circumuectus lembo hortatus est, vt quilibet socios nauales & classicos milites in ordine contineret, datoq; signo alacriter & summa vi in hostem contenderent. Postquam à nauibus scutum sublatum est, & à prætoria naui tuba classicum cecinit, naues contra Athenienses subuectæ sunt: & in littore terrestres copiæ certatim ad promontorium contenderunt. Est ibi inter vtranq; continentem quindecim stadiorum intercapedo: id spacii studio & alacritate remigum citò fuit confectum. Primus à terra hostilem classem aduenire vidit Conon dux Athenien-

*Alcibiades bonũ consilium spretum.*

*Cononis studium & fuga.*

thenienſium ſubitoque elata voce conſcendere naues iuſſit: & ſummum ex infortunio ſuorum dolorem capiens, hortando alios, alios rogando, quoſdam vi ad triremes compulit. Verùm nihil eius ſtudium profecit, diſſipatis hominibus: quippe vt primùm nauibus fuerant egreſſi, nihil tale veriti aut res neceſſarias emebant, aut per agrum vagabantur, aut in tentoriis dormiebant, aut cœnabant: imperitia enim ducum eos quàm lõgiſſimè à cogitatione eorum quæ euẽtura erant abduxerat. Hoſtibus iam cum clamore & impetu aduehentibus, Conon cum octo nauibus auectus euaſit: & in Cyprum ad Euagoram regem perfugit. Reliquas adorti Peloponneſii, partim omnino vacuas ceperunt, partim adhuc in eas conſcendentibus hoſtibus diffiderunt. homines partim ad naues inermes & promiſcui contendentes cæſi ſunt, partim in terra, egreſſis eódem hoſtibus necati. Tria millia hominum cum ipſis ducibus cepit Lyſander & vniuerſam claſſem, naui Paralo, & illis quæ cum Conone abierant exceptis. Caſtris hoſtiũ direptis, nauibusque ad ſuas alligatis, ad tibiæ cantum & pęanes Lampſacum reuertit. cùm quidẽ maximam rem minimo lãbore, vnáq; hora longiſſimum bellum confeciſſet. Quod bellum variiſſima fortuna, dubiiſq; & inconſtantibus euentibus diu geſtum, infinitisque rerum mutationibus & certaminibus omnis generis, abſumptis, quot ne omnibus quidem reliquis Græciæ bellis perierant, ducibus, vnius tandem viri conſilio & peritia conſummatum eſt: ita vt quidã ad Deos id Lyſandri facinus retulerint. Fuere qui iuxta eius nauem, cùm primùm ex portu cõtra hoſtes procheretur, ab vna parte Caſtoris, ab altera Pollucis ſtellam ad gubernacula affulſiſſe dicerent. Quidã lapidis caſu eam rem prę- monſtratam fuiſſe aſſerunt. Decidit enim ex cœlo (quæ communis eſt opinio) ingens lapis ad Ægos potamos, oſtenditurque adhuc, & ab iis qui Cherroneſum inhabitant, colitur. Ferunt Anaxagoram prædixiſſe, quoniam cœleſtia corpora mutuò eſſent connexa, fore vt agitatione eorum vnum aliquando labefactatum, auulſumque decideret. Neque verò ſtellas eſſe iis in locis, vbi cernuntur: ſed quia lapidea ſint & grauia corpora, lucere ea refracto in ipſis æthere: circumagi autem conſtricta vertigine & vehementia motus cœleſtis: eumq; motum compactorum corporum

*Lyſandri victoria quantum actum.*

*Lapis de cœlo lapſus.*

*Anaxagoræ philoſophia.*

porum ita ab initio obtinuisse, ne cœlum rueret: frigidis istis & grauidis corporibus à se mutuò auulsis. Est alia verisimilior hac opinione sententia eorum, qui stellas subitò emicantes atque per aerem saltantes non fluxum aut distributionem ætherei ignis esse, qui ita incensus statim restinguatur, neque aeris præ multitudine rupti portionem in superiora elatam, ibique inflammatam censent: sed iactationes esse & lapsus cœlestium corporum, quæ conuersionis violentia veluti elisa, & per obliquum lata, ideo non conspiciantur plerumque, quia ferè non in eam terræ partem quæ incolitur, sed oceanum extrà ambientem decidant. Anaxagoræ quidem testimonium fert Damachus, in opere de Religione scribens, antequam is lapis decideret, septuaginta & quinque continenter diebus visum fuisse in cœlo corpus igneum prægrande, & nubis inflammatæ simile, non ocioſum, sed quod variis neque continentibus, sed veluti fractis motibus ferretur, ita vt eius iactatione auulsa, & dilata in varias partes fragmenta fulserint stellarum salientium modo: id postquam in terram tandem eò locorum decubuerit, metúque & terrore liberati incolæ conuenerint ad spectaculum, nullum in eo ignis opus, nullum vestigium apparuisse, sed magnum lapidem, qui tamen vix exiguam ignitæ istius molis portiunculam expleret. Liquet sanè, Damachum benignis auditoribus opus habere: si tamen vera est eius narratio, omnino eos redarguit, qui saxum à promontorio aliquod venti vi auulsum, & abreptum turbinis in morem, vt venti vehementia remisit, ac procella id circumuehens desiit, abiectum decidisse aiunt. Nisi ita potiùs iudicandum sit, id quod per multos dies apparuit, re ipsa ignem fuisse, qui extinctus in aere mutationem & ventos validiores excitarit: ab his & lapidem eum proiectum. Verùm hæc diligentiùs alio scriptionis genere persequenda sunt. Lysander porrò cùm in concilio decretum esset, Athenienſium tria millia captiuos morte mulctandos esse, Philoclem eorum ducem ad se vocans interrogauit, quódnam sibi ipse supplicium statueret, qui ciuibus suis huiusmodi contra Græcos decreti autor fuisset? Philocles nihil calamitate fractus, non esse ei opus accusatione respondit, nullo extante causæ iudice: ageret proinde victor ea, quæ victo ferenda fuissent: inde

*De subitò emicantibus stellis.*

*Damachi narratio.*

*Philocles & Athenienſiũ captiui trucidantur.*

lotus, splendida veste sumpta, primus ciuium ad necem iuit. Autor Theophrastus. Inde circum vrbes nauigans Lysander, quotquot Athenienses reperit, eos omnes ire Athenas iussit; iugulaturum, quoscunque extra vrbem offendisset, addens: id agebat, vt omnibus in vrbem compulsis, statim ibi caritas annonæ & fames oboriretur, atque ipse in ea obsidenda tanto minùs negocij haberet. Per vrbes autem populari reipublicæ administratione sublata, singulis vnum Lacedæmonium prætorem reliquit, & decem præfectos ex iis, quas instituerat, sodalitatibus. Hæc & in hostium, & amicorum in vrbibus agens, lentáq; nauigatione vrbes inuisens, sibi ipsi principatum Græciæ machinabatur: non enim optimates, non ditissimos quosque ad magistratum euehebat, sed sociis suis atque hospitibus eam dignitatem, iúsque supplicij & honoris deferendi donabat. Et ipse multis cædibus interfuit, sociisque in aduersariis pellendis suam operam nauauit, specimen Lacedæmonij imperij nequaquam commodum Græcis exhibens. Quare Theopompus comœdiarum scriptor nugari mihi videtur, Lacedæmonios mulierculis cauponantibus comparans, quòd, cùm Græcis suauissimum libertatis potum gustandum dedissent, pro eo acetum infuderint: nam ipse etiam primus gustus grauis fuit, & amarus, Lysandro neque populis summam rerum permittente, & rempublicam paucis quibusdam, iisque ferocissimo cuique inter paucos & contentiosissimo tradens. His agendis cùm non multum temporis impendisset, præmissis Lacedæmonem, qui adeunire ipsum cum ducentis nauibus nunciarent, in Attica ad Agidem & Pausaniam reges peruenit, sperans se cum his statim vrbe potiturum. Sed cùm resisterent Athenienses, rursus accepta classe in Asiam traiecit. Ibi in omnibus vrbibus potestate populi sublata, ac decemuiratu constituto, multis vbique cæsis, aut exilij causa solum vertentibus, Samios omnes extorres egit, vrbésque eorum exulibus concessit. Sestum Athenienſibus cùm eripuisset, non passus est eam à Sestiis habitari, sed gubernatoribus suis & remigum magistris vrbem agrósque tribuit: quod & primum Lacedæmonij improbauerunt, Sestiósque in patriam restituerunt. Verùm eas actiones Lysandri omnes Græci cum gaudio viderunt, Aeginetas longo pòst tempore in patriam suam reduci, Me-

*Theopompi dictum.*

*Athenæ obsessa.*

ci, Melios & Scionæos pulsis ab eo Athenienſibus, vrbésq; reddentibus, poſtliminio reuerti. Cùm iam Athenienſes in vrbe fame laborare inaudiuiſſet, ad Piræeum venit, coegitque eos acceptis quas ipſe vellet conditionibus deditionem facere. Lacedæmonios inuenias, qui dicant Lyſandrũ ephoris ſcripſiſſe, Captæ ſunt Athenæ: & eos reſcripſiſſe, Sufficit eſſe captas. Sed hoc confictum eſt rei exornandæ cauſa. Verùm ephororum decretum ita habuit: Magiſtratus Lacedæmoniorum ita decreuerunt: deiecto Pitæeo, & longis muris, omnes vrbes relinquentes, veſtro agro contenti, ita pacẽ habete: quæ danda ſunt, date, exules accipite, quod de nauium numero ſtatutum fuerit, id facite. Hanc ſcytalam acceperũt Athenienſes: Theramene Anconis filio ſuadente. quo tempore is iuueni cuiuſdam oratori Cleomeni interroganti, ecquid Themiſtocli contrarium facere & dicere auderet, muros Lacedæmoniis tradens, quos ille inuitis Spartanis extruxiſſet: reſpondiſſe fertur, Ego verò, adoleſcens, nihil planè Themiſtoclis ſententiæ repugnans facio: eoſdem enim muros & is propter ſalutem ciuium ædificauit, & nos eandem ob cauſam demoliemur. quod ſi felicitas vrbium è muris penderet, Spartam, quæ muris omnino caret, omnium miſerrimam eſſe oportebat. Enimuerò Lyſander nauibus Athenienſium præter duodecim omnibus acceptis, murisque Athenienſium, decimo ſexto Munichionis die (quo die barbaros antè apud Salaminam nauali prœlio vicerãt) ſtatim etiam rempublicam mutare aggreſſus eſt. Athenienſibus autem contumaciter reſiſtentibus, miſit ad populum, qui dicerent, non ſtetiſſe ciuitatem pactis: ſtare enim muros vltra definitum tempus: itaque ſe de illis, vt pactionis ruptoribus, denuo ſententias ſuorum auditurum. Ac ſunt qui re vera eum apud ſocios propoſuiſſe rogationem de agẽdã in ſeruitutem ciuitate Athenienſium referant: accenſuiſſe quidem Erianthum Thebanum, vrbem euertendam, agrúmque pecoribus ad paſcua relinquendum eſſe: pòſt ducibus in cõuiuium collectis, cùm inter pocula quidã Phocenſis ex Euripidis Electra chori primam in ſcena vocem retuliſſet,

*Rogatio de excendendis Atheniẽſibus.*

*Electra Agamemnone nata, caſam*
*Aduam agreſtem veni.*-------

fractos omnium fuiſſe miſeratione animos, viſumque

cunctis indignum facinus, si tam illustris vrbs, quæ tantos protulisset viros, excinderetur. Proinde Lysander Athenienſibus nihil non concedentibus, multas ex vrbe tibicinas euocauit, omnes etiam quas in castris habebat, conduxit, & ad tibiæ ſonitum muros deiecit, triremésque cremauit, coronatis, & ludentibus ſociis, perinde ac ſi illa dies libertatis initium eſſet. Statim etiam rempublicam mutauit, triginta in vrbe, decem in Piræeo conſtitutis præfectis: impoſitóque in arcem præſidio, eique Callibio Spartano prætoris vice præpoſito. Qui Callibius cùm Autolyco athletæ (apud quem conuiuium ſuum actum Xenophon ſcribit) baculo ictum intentaſſet, isque eum pedibus apprehēſum in ſolum proſtrauiſſet, Lyſander non modò non ſuccenſuit Autolyco: ſed & Callibium increpauit, quòd ignoraret ſe liberis hominibus imperare: Autolycum in Callibij gratiam triginta præfecti paulo pòſt interfecerunt. Lyſander his confectis in Thraciam nauigauit: pecuniæ quod ſupererat, dona & coronas (quæ ei permulti offerebant: viro nimirum potentiſſimo, & quodammodo Græciæ domino) Gylippo, qui in Sicilia bellum geſſerat, Lacedæmonem ferenda dedit. Gylippus (vt aiunt) commiſſuras vaſorum infernè aperiens, ac de ſingulis multum argenti auferens, compegit iterum ea, ignorans in vno quolibet ſchedulam eſſe, pecuniæ numerum indicantem. Vt venit Spartam, pecuniam furtiuam ſub tegulis domus ſuæ abdidit, vaſa Ephoris tradidit, ſigilla integra oſtendens. Quibus apertis cùm pecunia numero non reſponderet, dubitatione Ephoris obiecta, per ambages indicium fecit famulus Gylippi, in ceramico multas noctuas cubare dicens: nam eo tempore plerumque nomiſma ſignabatur noctua propter Athenienſes: & tegulas ille heriles notabat, quas ceramon Græci vocant. Ita Gylippus poſt præclara ſua & magna facta turpi & ſordido perpetrato facinore effecit, vt Sparta eijceretur. At qui erant prudentia inter Spartanos primi, eo magis pecuniæ vim metuentes, quæ non viliſſimos etiam ciues corrupiſſet, Lyſandro maledicebant, obteſtabantúrque ephoros, vt omnē aurum & argentum, tanquam illecebras peſtiferas, vrbe exterminarent. Re in concilio propoſita, Sciraphidas (ita enim Theopompus habet, Ephorus Phlogidam) ſenten-

*Muri Athenarum deſtructi.*

*Triginta tyranni.*

*Decretum de recipiē da Spartā pecunia.*

sententiam tulit, non esse in ciuitatem recipiendum argenteum aut aureum nummum, sed à maioribus tradito vtendum. Etenim antiquitùs ferreo vtebantur nummo: & quidem ferrum priùs ignitum aceto restinguebatur, ne recudi posset aut fundi, sed propter tincturam omni acie & robore careret: erat & ponderosa ea pecunia, & translatu difficilis, cùm magni acerui atque ponderis exiguum esset precium. Atque omnino consentaneum est, priscos ferreis & æreis obeliscis (hoc est seu verubus pusillis, seu virgulis) vsos pro nomismate: atque inde remansisse vt minutissimi nummi, oboli dicantur: & drachma, sex obolorum sit: tot enim oboli manu comprehendi possunt vna. Cæterùm Lysandri amicis resistentibus, & hoc agentibus, vt pecunia in vrbe remaneret; decretum factum est, publicè eam recipiendam: quòd si quisquam priuatim aureum aut argenteum nomisma possidere deprehenderetur, morte puniendum. Quasi verò Lycurgus nummi genus, non cupiditatem eius possidendi, metuerit: quæ quidem non ita tollebatur edicto, ne quis priuatim haberet; vt excitabatur, permissò vt eam respublica possideret, quo ad vtilitatem eius etiam dignitas atque æmulatio addebatur. Neque enim qui publicè magnifieri pecuniam viderent: priuatim etiam contemnere poterant, aut domesticis rebus inutilem arbitrari, quæ publicè tanto honore & studio coleretur. Et verò multò citiùs priuati mores & conatus suos secundum publica studia componunt atque accommodant: quàm vt singulorum lapsus & affectus vrbem malis rebus impleant. consentaneum est enim cum toto in peius vergente, vnà etiam partes abripi: cùm quod ab vna particula aduersus totius naturam peccatur, corrigi facilè à sanis membris queat. At Lacedæmonij priuatorum domibus, ne in eas nomisma ingrederetur, metum & legem custodiæ loco constituerunt: cùm verò eam opinionem excitassent in ciuium animis, magnam esse & præclaram rem, quòd vniuersi diuites essent, eos à pecuniæ cupiditate intactos præstare nullo modo potuerunt. Verùm nos eo nomine etiam alio quodam commentario Spartanos reprehendimus. Lysander ex manubiis æream sui statuam Delphis posuit, & vniuscuiusque præfectorum nauibus, & stellas Castorum aureas, quæ ante Leuctricam pugnam de medio sub-

*Priuati publicæ imitantur.*

*Lysandri donaria.*

dio sublatæ sunt. In Brasidæ & Acanthiorum donariis triremis sita fuit bicubitalis, ex auro & ebore confecta, quam Cyrus Lysandro ob partam victoriam gratulans misit. Alexandrides Delphicus scriptum reliquit, depositum etiam ibi Lysandri fuisse, talentum scilicet argenti, & minas quinquaginta duas, vndecimque stateres: quæ cum iis, quæ de paupertate eius in confesso sunt, non conueniunt. Enimuerò Lysander cùm ad maiorem quàm vllus vnquam Græcus homo potentiam peruenisset, fastu tamen videtur maiori, quàm pro sua potentia elatus fuisse. Primo enim ei Græcorum aræ sunt à ciuitatibus positæ, vt Duris tradit, tanquam Deo, & sacrificia peracta in eius honorem: primo omnium Græcorum pæanes sunt cantati, quorum vnius hoc initium commemoratur,

*Lysandri gloria & fastus.*

*Nos Græciæ inclytæ ducem*
*Lacedæmone amplà natum*
*Celebremus: iò pæan.*

Samij templa Iunonis sua Lysandria vocanda sanxerunt. Ipse Chœrilum semper secum habuit, ciuem suum, qui carmine res eius gestas exornaret: Antilocho, quòd de ipso mediocres aliquot versus scripsisset, oblectatus pileum argento repleuit. Antimacho Colophonio, & Nicerato quodam Heracleota Lysandria poematis decertantibus ipso iudice, Niceratum coronauit: Antimachus indignatione motus poema suum aboleuit. Plato autem, iuuenis tum, miratus Antimachum grauiter ferre quòd in re poetica esset superatus, consolatus eum est, ostenditque ignorationem iis quibus ineffet tantùm nocere, sicut cæcitatem iis modò, qui capti luminibus essent. Sanè Aristonus citharœdus cùm sexies vicisset Pythia, Lysandro blandiens pollicitus ei est, se, si rursus vicisset, Lysandri sese esse per præconem, seruúmque eius professurum. Ac Lysandri quidem arrogãtia primariis tantùm viris, & eodem in dignitatis gradu cõstitutis, molesta erat. Postquam ad eam morositas etiam accessit, suspicionésque de multis sinistræ, assectarum culpa excitatæ, neque honoris iam, neq; supplicij modum popularem seruabat: sed & amicitiæ præmia & hospitij imperia in ciuitates nullius iudicio obnoxia, tyrannidésque nulli inquisitioni subiectas dabat: & iram aliter, nisi occiso

*Crudelitas Lysandri.*

eo, quem

eo, quem odisset, explere non poterat, nulla effugiendi permissa facultate. Nam & postea temporis Milesiorum populi proceribus infensus, quia metuebat ne effugerent, simulque eos qui se abdiderant, elicere cupiens, iureiurãdo confirmauit, nemini se vim facturum: cùmque fidem habuissent, atque in medium processissent, viri haud pauciores octingentis, his qui paucorum in republica principatum studebant omnes eos trucidandos tradidit. Et per alias vrbes innumeri eorum qui popularem reipublicę administrationem præferebant, cæsi sunt: cùm non sui modò odij causa, sed & in gratiam amicorum illos tolleret. Itaque Eteoclis Lacedæmonij vox probata est, qui Græciam non potuisse duos Lysandros perferre, dixit: quod idem de Alcibiade Archistratum pronunciasse Theophrastus ait. Verùm huius petulantia tantùm, & cõtumacia libidini iuncta odio fuit: Lysandri potentiam morum acerbitas grauem, terribilémque reddidit. Quæ de eo adferebantur querelæ, earum nullam ferè rationem habebant Lacedæmonij. Sed postquam Pharnabazus iniuria ab eo affectus, regionem ipsius populante, Spartam misit qui eum accusarent: ibi demum ephori indignatione correpti, Thoracem, qui ex amicis eius & collegis in bello gerendo vnus fuerat, deprehensum quòd priuatim argentum possideret, interfecerunt: ipsum Lysandrum scytala missa reuocarunt. Quod de scytala dixi, tale est. Cùm classis aut exercitus ducem emittunt ephori, duo teretia ligna longitudinis & crassiciei exactè eiusdem habent: horum vnum duci proficiscenti peregrè dant, ipsi alterum retinent. Pòst vbi arcanam aliquam aut magnam rem ei indicare volunt, schedam longam lori instar atq; aptam efficiũt, suæ eam circumuoluunt scytalæ, ita quidem, vt nullo vacuo relicto spacio tota scytalæ superficies eo libello integatur: ita circumplicata scheda inscribunt quidquid visum fuerit: libellum inde scytalæ detractum, seorsim ad ducem mittunt. Is vbi accepit, scytalæ suæ (aliter enim legi nequaquam potest, literis non cohærentibus, sed in apices variè diuulsis) circũligat, atq; ita curuitate ista in rectum ordinem ligni ope restituta, & primis cum sequentib. coniunctis circũferens oculos per circularem eũ ambitum epistolã legit. Nomine aũt ligni etiam ipsa epistola scytala dicitur, vt cũ mensurato mensurę nomen tribuitur. Eã tum

*Milesiorũ calamitas.*

*Scytalæ La conicæ explicatio.*

*Lysander a Pharnabazo deceptus.*

in Hellesponto Lysander scytalam cùm accepisset, perturbatus animo, & maximè Pharnabazi metuēs accusationes, operam dedit, vt eum conueniret, sperans coràm se litem compositurum: & congressus, orauit eum vti alias ad ephoros scriberet literas, quibus priores querelas tolleret. Sed non animaduertit Lysander se contra Cretensem (quod aiunt) Cretisare. Pollicitus enim Pharnabazus omnia se factu rum, palàm epistolā qualem Lysander petierat scripsit: occultè aūt diuersam à sese antè scriptam secum habebat: atq; inter obsignandum permutatis epistolis, quæ aspectu nihil differebant, eam quam occultè scripserat, Lysandro tradidit. Lysander per Spartā perrexit, adq; curiam de more progressus ephoris literas Pharnabazi reddidit, haud dubiè maximum crimen se diluisse putans. Erat enim charus Lacedęmoniis Pharnabazus, quòd ex omnib. regiis præfectis prō ptissimam in bello operam ipsis nauasset. Postquam ephori lectam epistolam ipsi exhibuerunt, sensitque

17 *Non solum Plyssem scilicet esse callidum,*

confusus planè perturbatúsque abiit. Paucis interpositis diebus ad ephoros se contulit, sibiq; ad templum Ammonis adscendendum, & sacrificia Deo in bello vota, peragen-
18 da dixit. Quidam pro re vera narrant, obsidenti ipsi Aphytim vrbem in Thracia, noctu Ammonem apparuisse: ideóque eum soluta obsidione, quasi Deo ita iubente, mandasse & Aphytæis vti Ammoni rem sacram facerent: ipsum placandi numinis eius causa in Africam contendisse. Plerique verò prætextu eo vsum censent, cùm & ephoros metueret, & iugum in patria non ferret, neque sub magistratu esse sustineret, atq; ideo profectionis & vagandi occasionem quęreret: veluti equus ex liberis pascuis, pratóq; tursus ad præsepe, & solitos labores abductus. Quam autē Ephorus huius peregrinationis causam refert, eam mox indicabo. Ægrè impetrata abeundi venia ab ephoris, naui auectus est. At reges per absentiam eius cùm animaduerterent eum sodaliciis vrbes occupasse, planéq; ita totam in sua potestate
19 habere Græciam, consilia iniuerunt de eijciendis eius amicis, réque publica populis reddenda. Verùm motibus hanc ob rem existentibus, & Athenienſibus à Pyla triginta tyrannos adortis, victoriáque potitis, reuersus celeriter Lysander Lacedæmoniis persuasit, vt paucorum in rebus publicis

potesta-

poteſtati opitularentur, populi vim reprimerent: hîque primum triginta tyrannis centum talenta miſerunt ad bellum gerendum, ducémque belli Lyſandrum. Sed reges inuidia ducti, veritíq; ne is rurſus Athenas caperet, ſtatuerunt ad id bellum debere alterum ipſorum proficiſci. Profectus Pauſanias, verbo quidem, vt triginta virorum poteſtatem contra populum defenderet, reipſa vt bellum pace ſolueret, ne iterũ Lyſander per amicos Athenas obtineret, facilè quod voluit effecit, reconciliatíſque Athenienſibus, & ſeditione ſedata, Lyſandri conatum irritum fecit. Sed non multo pòſt tempore iterum deſciſcentibus Athenienſibus, culpatus eſt, quòd paucorum imperio refrænato populo rurſus laſciuiendi & ferociendi poteſtatem dediſſet. Lyſandro autem gloriæ fuit ea res, qui non in gratiam aliorũ, aut oſtentandi ſui cauſa, ſed reſpectu commodi reipublicæ Spartanæ ſuo arbitrio imperia obiret. Fuit Lyſander etiam in ſermone ferox, & aduerſarijs eo terrorem obtulit. Argiuis de finibus agri cum Spartanis litigantibus, & ſua argumenta, quàm eorum iuſtiora eſſe confirmantibus, gladium oſtendens, Hunc (inquit) qui tenet, optimè de finibus diſſeret. Megarenſi cuidam in concilio liberè in ipſum inuehenti: Tua (dixit) verba, ô hoſpes, ciuitate opus habent. Bœotios vtri parti ſtuderent, haud palàm præ ſe ferentes interrogauit, Rectíne an demiſſis haſtis ſe per ipſorum regionem ire vellent. Corinthij cùm defeciſſent, ideóque admouiſſet ipſe exercitum, vbi ſenſit milites murum aggredi non audere, & lepus fortè foſſam tranſilire viſus eſt, Non pudet, inquit, eos hoſtes metuere, quorum ob ignauiam muris lepores indormiunt. Agis rex vita functus, fratrem Ageſilaum, & filium (vt putabatur) Leotychidem reliquit. Lyſander Ageſilao, quem diligebat, autor fuit regni petendi, vt qui verè Herculis ſanguine eſſet ortus. Leotychidam enim rumor erat Alcibiadis filium eſſe, qui quo tempore Spartæ exul vixit, cum Agidis vxore Timæa adulterij conſuetudinem furtiuã habuiſſe credebatur. Et Agidem ferunt temporis ſubducta ratione deprehendiſſe, vxorem non ex ſe grauidam eſſe: ideóque Leotychidam nihil curaſſe, & in poſterum haud obſcurè ſuum negaſſe. Poſtquam ægrotans Heræam perlatus eſt, iam moriturus, partim Leotychidæ, partim amicorum precibus conceſſit, ac multis præſentibus eum ſuum eſſe filium

*Pauſanias pacẽ cũ Athenien ſib. reficit.*

*Lyſandri intẽtio & dicta quædam.*

lium pronunciauit, rogatísq; qui aderant, vt eius rei testes apud Lacedæmonios essent, viuendi finem fecit. Atque hi quidem id Leotychidæ testimonium ferebant. Agesilao verò, alioquin viro illustri, & Lysandri opera vtenti, Diopeithes obstitit, diuinandi facultate nobilis, qui aduersus claudicationem eius hoc oraculum proferebat:

21 *Sparta caue, quamuis altè te gloria tollat,*
*Rex Valida tibi det pedibus ne incommoda claudis:*
*Namq; insperatos cogeris ferre labores,*
*Pestiferosq; diu belli subsistere fluctus.*

Id oraculum cùm animos multorum inclinasset, & ad Leotychidam conuertisset, Lysander non rectè accipere oraculum Diopeithem asseruit. neq; enim ob id Deum indignari, si quis pede læsus Spartæ imperet: sed tum fore claudum regnum, si spurij & malè nati inter Heraclidas id teneant. Hæc ille locutus, cùm plurimum apud populũ posset, persuasit, rexque Agesilaus est constitutus. Proinde statim hũc Lysander ad expeditionem in Asiam suscipiẽdam incitauit, & in spem adduxit, fore vt Persarum rege debellato, summã potentiam obtineret: amicos etiam, quos in Asia habebat, per litteras iussit, vt ad bellum contra barbaros Agesilaum à Spartanis ducem poscerent: ijq; obtemperarunt, missisque Lacedæmonem legatis obtinuerunt. Id beneficium haud minus ipso regno Agesilaus à Lysandro videtur accepisse.

*Agesilai in Asiam expeditio.*

Enimuerò ambitiosa ingenia, aliàs ad imperia gerenda non inepta, quòd æqualib. gloriæ causa inuident, id non exiguo ijs in rebus præclarè gerendis impedimento est: eos enim virtutis suę aduersarios reddunt, quibus adiutoribus vti poterant. Etenim Agesilaus inter triginta consiliarios Lysandrum secum abduxit, vt eo primo atque præcipuo omnium amicorum vteretur. Verùm vt est in Asiam peruentum, homines rarò cum Agesilao, nondum familiariter sibi noto, collocuti sunt: ad Lysandrum verò ob diuturnam consuetudinem & colentes amici, & inimici metuentes, crebro venerunt, & frequentes euntem comitati sunt. Vtque in tragœdijs vsuuenire solet histrionibus, vt qui nuncij aut famuli personam sustinet, is primas partes gerat atq; laudetur, cùm interim regijs insignibus ornatus alius ne loquatur quidem quicquam: ita omnis imperij maiestas tum apud consiliarium cernebatur, regi ipsi solum potestatis suæ nomen aderat.

rat. Haud abnuerim sanè, debuisse Lysandrum ambitionē istam nimiam reprimere, secundóq; dignitatis loco contentum esse: sed gloriæ causa hominem de se bene meritum, & amicum abijcere, atq; circumscribere: id verò indignum Agesilao fuit. Principiò occasiones agendi Lysandro nullas præbuit, nulli præfecit negocio: deinde quibus studium suū & operā nauare eum videbat, semper eos rebus infectis, minusq; alio quouis cōsecutos dimisit: sensim ita Lysandri destruens, & quasi refrigerans potentiam. Lysander vbi omnia se frustra agere, suámque amicis obesse operam sensit, auxilium ijs ferre desijt, ipsosq; orauit, ne se accederent, néve colerent, sed regem ipsum compellarent, aut alios, qui magis quàm ipse eo tempore sui obseruantibus prodesse possent. Hoc audito, pleriq; de negocijs quidē suis eum interpellandi finem fecerunt, ab officio tamen colendi non destiterūt, sed in ambulationib. & gymnasijs crebrò ad eum salutandi causa accesserunt. Auxit hoc Agesilai æmulationem ab ambitione profectam: itaq; cùm multos etiā milites rebus gerendis, aut vrbibus gubernandis præficeret, Lysandrum diuisorem carnis constituit: & quasi insultans Ionibus, Eant, inquit, nunc, & structorem meum colant. Ob hæc Lysander cum Agesilao colloqui statuit: planéq; Laconico more verba commutārunt. Egregiè, dicebat Lysander, amicos deprimere scis Agesilae. Siquidem, inquit Agesilaus, me ipso esse maiores studeant: qui verò meam augent potentiam, in partem eius venire hos æquum est. Tum ille: Fortassis hæc à te rectiùs dicta, quàm à me facta sunt: oro autem te etiā propter alienos homines, qui in nos intuētur, vt in ea me tui imperij parte colloces, vbi me minimè molestum, magis autē vtilem tibi fore iudicas. Exinde ab Agesilao in Hellespontū missus legatus, etsi infensus ei erat, tamen officium facere nō neglexit: Spithridatemque Persam, virum strenuum, copijsque instructum à Pharnabazo, interpositis tum eorum offensionibus, ad Agesilaum traduxit. Nihil aliud eo in bello commodauit: & exacto tempore Spartam non sine ignominia redijt, infensus Agesilao, ac maius priori odium in tempublicam gerens, ideóq; ea, quæ iampridem ad immutandum eius statum, & res nouandas machinatus fuerat atque composuerat, omni mora sublata persequi statuens. Erant autem huiusmodi. Heraclidarum, qui Dorien sib. permixti

*Lysandri cū Agesilao expostulatio.*

*Lysander à regijs familijs regnū transferre aggressus.*

mixti in Peloponnesum redierant, magnum & splendidum Lacedæmone florebat genus: verùm non omnes ad regiam successionem admittebantur: ex duabus tantùm familijs (Eurytionidas vocabant, & Agiadas) reges creabantur, cæteris nobilitas sua nullam in republica præstantiam parabat, & virtutis præmia omnibus ea præditis communia erant. Lysander autem, cùm & ipse genere Heraclidarum natus esset, rebúsque gestis magnam gloriam sibi, potentiámque & amicos parauisset: grauiter tulit vrbem a se auctam ab alijs nulla re ipso præstantioribus regi: statuitq; regiam dignitatem duabus istis familijs ademptam, omnibus Heraclidis communem efficere. Quidam non Heraclidis, sed omnibus ex æquo Spartanis dicunt: vt non ab Hercule genus ducentes, sed virtutem Herculis (qua is diuinos honores inuenit) imitantes eo honore afficerentur. Omnino autem si ea lege reges designarentur, nullum sibi Spartanum prælatum iri fidebat. Primùm itaq; intendebat, ciuibus id quod volebat persuadere, orationémque ea de re scriptam à Cleone Halicarnasseo meditabatur. Pòst nouitatem negocij, magnitudinémq; perspiciens, audacius requirere auxilium, velut sublata in Tragœdia machina, sortes Delphicas & oracula aduersum ciues parabat: quos nisi obiecta priùs animis religione perterruisset, & superstitione inducta ad orationē submissè audiēdam commouisset, Cleonis eloquentiam parum sibi profuturam sentiebat. Ephorus quidem autor est, eum Pythiam corrumpere frustrà conatū, frustra etiā solicitatis per Phereclem Dodonidibus, ad Ammonis templum profectum, multo auro falsum responsum redimere conatum: sed ciues indignè eam corruptelam ferentes, misisse Spartam, qui Lysandrum accusarent: absoluto eo, Afros discedentes dixisse, At nos, ô Spartani, rectiùs iudicabimus, cùm ad nos in Africa habitatum venietis. nimirum antiquitus fuisse prædictum, fore vt Lacedæmonij in Africa sedes ponerent. Nos omnem fraudem insidiosamque commēti machinationem, quæ nequaquam leuis fuit, aut vilibus ab initijs profecta, sed multis grauibúsque immixta (veluti in mathematicis demonstrationibus fieri solet) propositionibus per difficiles atque arduas præmissas ad conclusionem processit, secuti narrationem viri in historia & philosophia clari exponemus. Fuit in Ponto mulier-

*Ammonij.*

cula

cula quædam, quæ se ex Apolline grauidam ferens, fidē multis non fecit: quidam ita fidem ei adhibuerunt, vt cùm puerum peperisset, magno is à multis & claris hominibus studio educatus sit: puero certa aliqua de causa Sileni nomen inditum fuit. Hoc initio sumpto Lysander, reliqua ipse affinxit, fabulámque pertexuit, multis & non vulgaribus ei ad partes paratis hominibus, qui & procreationis eius pueri fidem haud dubiam facerent, & alium rumorem Delphis allatum Spartæ seminarent: nempe ibi à sacerdotibus Delphis inter arcanas literas adseruari oracula quædam vetustissima, quæ nefas esset cuiquam accipere aut legere, nisi quis tandem Apolline natus Delphos aduenies, custodibus sacrorum certum & perspicuum suæ originis signum perhiberet, atque ita tabulas, in quibus oracula ista scripta essent, auferret. His ita præparatis, composita erat fabula, vt Silenus Delphos aduenisset, seque filium Apollinis diceret, atque oracula ista peteret: sacerdotes, qui fabulæ subseruiebant, diligenter scilicet de eius procreatione perquirerent, singulisque examinatis, tandem comperto (si dijs placet) Apolline cum gemitu, oracula ostenderent: Silenus multis præsentibus cùm multa alia recitaret vaticinia, tum id cuius gratia commentum totum erat institutum, de regibus Spartanorum, Spartanis videlicet melius fore atque vtilius, si ex optimis ciuium reges suos deligant. Cùm iam adoleuisset Silenus, & ad agendum negocium accederet, fabulæ Lysander excidit actione, timiditate vnius histrionum suorum, qui vt ad rem ipsam ventum fuit, formidine perculsus personam suam subterfugit. Nihil tamen viuente Lysandro deprehensum est, sed post mortem demum eius. Priusquam enim ex Asia rediret Agesilaus, mortuus est Lysander, cùm in bellum Bœoticum incidisset, aut potiùs id in Græciam intulisset. Vtrunque enim fertur: & quidam eius belli causam Lysandro, quidam Thebanis, quidam vtriq; adscribunt. Thebanis vitio datur, quòd in Aulide sacrificia dissiparint: quòd Androclidas & Amphitheus Thebani regis Persarum pecunia corrupti, vt contra Lacedæmonios bellū apud Græcos excitarent, Phocenses adorti, & agrum eorum populati sint. Lysandrum verò iratum Thebanis fuisse ferūt, quòd ij soli decimam manubiarum partem petijssent, reliquis confœderatis omnibus quiescentibus: quòd à Lysan-

*Causa belli Spartanorū cōtra Bœotios.*

dro

dro missam Lacedæmonem pecuniam indignati essent: maximè autem, quòd Athenien sibus recuperandæ libertatis ansam præbuissent. Etenim Lysander triginta tyrannos Athenien sibus imposuerat, & Lacedæmonij eorum potentiam atque terrorem auxerant, lata lege, vt quicunque Athenis profugisset, is in vincula abduci posset: qui abducentem prohibuisset, is contra fœdus Spartanum egisse iudicaretur. Contra hæc decretum fecerunt Thebani honestũ, Herculisque & Liberi factis germanum: patére omnes domos & vrbes per vniuersam Bœotiam Athenien sibus, ijs indigentibus: qui exulem abduci videns, non opitularetur, talento mulctandum: si quis per Bœotiam Athenas versus arma contra tyrannos ferret, Thebanos ita dissimulare omnino debere, ac si neque viderent id, neque audirent fieri. Neque verò decretum ita Græcanicum atque humanum fecerunt, & non idem reipsa egerunt. Nam Thrasybulus cum socijs Philam occupans, à Thebis profectus est, arma, pecuniam, latendique & incipiendæ rei facultatem Thebanis præbentibus. Has iræ in Thebanos causas nactus Lysander, aucta ea propter melancholiam, quæ per senectutem ingraue scebat, animos ephororum irritauit, persuasitque vt ipsum ducem cum præsidio contra Thebanos emitterent. Post eum Pausanias quoque rex cum exercitu missus, Cithæronem montem circumire, atque ita in Bœotiam irrumpere statuit. At Lysander per Phocidem multis cum militibus profectus, Orchomenum deditione recepit, Lebadiam vi captam diripuit: missis deinde ad Pausaniam literis, eum à Platæis ad Aliartum iussit accedere: se enim quoque prima luce apud muros eius vrbis futurum. Hæ literæ capto ab exploratoribus tabellario, in manus Thebanorum peruenerunt: atque ij Athenien sibus auxilio venientibus vrbe sua commissa, prima noctis vigilia profecti, Lysandro præuento ad Aliartum perfexerunt, & cum parte copiarum in vrbem ingressi sunt. Lysander cùm initiò statuisset positis in colle castris Pausaniæ aduentum præstolari, augescente die quietis impatiens, milites arma capere iussit, eósque cohortatus, rectam phalangem iuxta viam ad muros adduxit. Thebani verò, qui extra mœnia consederant, Aliarto ad læuam relicta in extremos hostium inuaserunt, infra fontem, qui Cissusa (quasi hederaceum dicas) cogno-

*Lysandri contra Thebanos expeditio.*

cognominatur. Ibi nutrices Bacchum in lucem editum abluisse fabulantur: nam & vini colorem aqua habet, & perlucida est, potúque suauissima. Haud procul inde Cretensis styracis stirpes enatæ in orbem conspiciuntur: quod certum esse signum Aliartij perhibent, habitasse apud ipsos Rhadamanthum, cuius etiam sepulcrum ostendunt, Alea vocantes. Propè est etiam Alcmenæ monimentum: ibi enim sepultam ferũt, cùm post Amphitryonis mortem Rhadamanthum maritum habuisset. Qui verò Aliartum intrauerant Thebani, vna cum oppidanis acie instructa, tantisper se continuerunt, dum Lysander cum primis muro appropinquare cerneretur: ibi repentè aperta porta eruperũt, adortíque hostem, Lysandrum vnâ cum Mante, & aliis non multis interfecerunt: reliqui celeriter ad phalangem refugerunt: Thebanis autem instantibus acriter, omnes fuga ad tumulos conuersi sunt, milléq; homines interfecti. Occubuerunt etiam trecenti Thebani, qui hostem insequendo in aspreta & iniqua loca se coniecerant. Hi cùm ad Lacedæmonios inclinare putarentur, vt eo se timine apud ciues liberarent, persequendo hostem auidiùs, neque sui tis suæ curam gerentes, perierunt. Pausaniæ, cum à Platæis Thespias iret, ea de re allatus est nuncius. Itaque composito agmine ad Aliartum accessit: eódem & Thrasybulus à Thebis Athenienses adduxit. Cogitante Pausania de indu- 25 cijs repetendorum cadauerum causa faciendis, ægrè id ferentes seniores Spartanorum & ipsi inter se murmurabant, & ad regem aggressi, obtestabantur ne per inducias Lysandri corpus auferretur. armis de eo certandum, partáque victoria id humandum: si quid secus euenisset, pulcrum fore iuxta ducem oppetijsse. Sed Pausanias Thebanos victores superari non nisi ingenti suorum labore & discrimine posse intelligens, ad hæc Lysandrum proximè murum cecidisse, ita vt victores etiam haud facilè sine inducijs cadauer auferre possent: misso præcone, & inducijs factis, exercitum abduxit. Spartani Lysandrum auferentes, vt primum finibus Bœotiæ superatis in Panopæorum, sociorum tum & confœderatorum, agrum peruenerunt, ibi humauerunt: & adhuc monumentum eius extat in via quæ à Chæronea Delphos ducit. Ibi cùm exercitus castra fecisset, fertur quendam Phocensem alteri, qui non

26 *Lysandri mors.*

*Lysandri sepulcrũ.*

inter-

interfuerat, pugnam eam exponentem dixisse, hostes impetum in ipsos fecisse, cùm iam Hopliten transiuisset Lysander. Id quendam Spartanum amicum Lysandri admiratum fuisse, & quisnam ille Hoplites esset, quæsiuisse: sibi enim id nomen ignotum haberi. At verò (respondisse Phocensem) ibi hostes primos nostros deiecerunt: omni enim qui apud vrbem defluit, Hoplitæ nomen est. Spartanum his auditis, illacrymasse, dicentem, Adeò tandem homini fatum ineuitabile esse? Etenim oraculũ Lysandro datum ferebatur tale:

*Oraculum Lysandro datum.*

*Hoplitam (moneo) cita re memento strepentem,*
*Terrigenamq; draconem, à tergo qui subit astu.*

Alij Hoplitam nõ apud Aliartum fluere, sed iuxta Coroneam riuum esse, qui apud vrbem in fluuium Phliarum illabatur, antiquitus Hoplias, nunc Isomantus dictus. Aliartius autem ciuis, qui Lysandrũ interfecit, nomine Neochorus, insigne in clypeo gestauit draconem: idq; indicare oraculum videbatur. Memoriæ traditum est, Thebanis sub bellum Peloponesiacum in Ismenio oraculum datum, quòd & pugnam apud Delium, & (quæ trigesimo ab ea anno facta est) hanc apud Aliartum prædixerit: idq; ita habet,

27 *Oram agri cita to: lupos perquirito palis,*
*Et tumulũ Orchalidẽ, haud vulpes quẽ deserit vnquã.*

Locum qui est ad Delium, agri extremitatem dixit, quòd ibi Bœotia Atticam attingit: Orchalidem collem, quem nunc vulpinum dicunt, in partib. Aliarti versus Heliconem situm. Lysandrum hoc modo extinctum confestim ita graui-

*Pausaniæ exilium.*

ter tulerunt Spartani, vt Pausaniæ iudicium capitis constituerint: quod ille subire non ausus, Tegeram fugit, ibique Mineruæ supplex in templo vitam peregit. Quippe Lysandri paupertas post obitum demum patefacta, eo illustriorem eius virtutem reddidit, quòd ex tantis diuitijs, tantáque potentia, tot vrbium studio, & tanto imperio, ne minimum quidem rei familiaris augmentum fecerat: id enim Theopompus scribit, cui laudanti quàm reprehendenti facilius crediderim, quando ad vituperãdum sumus quàm ad laudandum procliuiores. Aliquanto pòst tempore (vt Ephorus narrat) cùm Lacedæmone confœderatorum disceptatio extitisset, ita vt inspicere litteras, quas domi habuerat Lysander, oporteret, Agesilaus in ædes ipsius venit: cúmque orationem eius de repub. scriptam quodam in libro reperisset,

set, qua persuadere conabatur translatum ab Eurytionidis & Agiadis regnum in medio omnibus ponendum, atq; ex optimis ciuium reges deligendos esse, voluit ad ciues eam efferre, & demonstrare, qualis fuisset occultè Lysander ciuis. Lacratidas autem vir prudens, tuncque inter ephoros primus, Agesilaum inhibuit, non effodiendum esse Lysandrum dicens, sed orationem potiùs tam probabiliter atq; callidè compositam, iuxtà defodiendam. Veruntamen & reliquos ei honores Spartani defuncto habuerunt, & eos qui cum filiabus ipsius sponsalia contraxerant, postea morte eius pauperiem arguente abnuebāt, mulcta adfecerunt, quod ij quem diuitem rati coluissent, eum iustum & virum bonum paupertatis argumēto compertum desererent. Fuit enim (vt consentaneum est) apud Spartanos & cœlibatus, & sero, & male contractarum nuptiarum iudicium: & postremo ij maxime puniebantur, qui in affinitate coeunda bonis atq; agnatis diuites prætulissent. Hæc ergo sunt quæ de Lysandro commemoranda habuimus.

*Lacratidæ prudens cōsilium.*

*Filiarū Lysandri nuptiæ.*

## IN LYSANDRVM ANNOTATIONES.

*Lysandrum Lacedæmoniorū imperatorem victoria maximè de Atheniensibus ad Aegos potamos parta, muriq; Athenarum deiecti nobilitant, & bellum Peloponnesiacum ab eo confectum. Incidit autem (quod etiam ex Polybij libro 1. haud procul ab initio intelligitur) in Camilli tempora, & Veiorum prope obsessionē, id facinus. De Græcis, quos æquales habuerit, satis ex ipsa historia liquet.*

1 Donum ab Acanthijs.] θησαυρὸς, *in Græco. Sed ea vox hoc loco idem quod* ἀνάθημα *significat, nisi fallor: eodē modo infrà quoque vsus est. Porrò autem Brasidas Spartanus fuit, qui Methonam ab Atheniensibus oppugnatam defendit, & præclaro facinore liberauit. Historia est apud Diodor. Siculum libro 12. apud Thucyd. libro secundo. Acanthus autem Thraciæ, seu Chalcidicæ vrbs maritima est, in Singitico sinu, non longè à fossa quam in Atho monte Xerxes fe-*

cit. Cæterùm Acanthijs quid rei cum Brasida fuerit, cur ve cum tanti fecerint, satis ex historia apparet. Nam à Spartanis missus cum exercitu in Chalcidicam & Thraciam contra Athenienses, eas regiones magna virtutis & probitatis cum laude est tutatus. Vide Thucyd lib 4. Diodorum 5 quo dixi loco.

2 Argiuis post magnam illam cladem.] Quam dicat, non satis scio. Fortè illam, qua eos affecit Cleomenes Alexandridæ F. apud Argisanum. de qua Paus. lib. 3. & in Argolicis: quo loco de Thelesilla scribit. Eam quidē cladem maiorem, quàm vt verbis explicari posset, fuisse testatur: quippe non victis modò pugna Argiuis sed etiam eorum 5. millib. qui in Argi Niobes F. lucum confugerant, vnà cum luco combustis. In Argolicis vitiosè ἀργείοις pro ἄργους legitur: & mendā, quæ facilè poterat ex Laconicis corrigi, interpres retinuit, lucumq; Martis vertit: cum sit Argi, filij Niobes, ipso docente id Pausania.

Pausaniæ laus.

3 Cùm Bacchiadæ.] Idem autor in Corinthiacis ostendit, Bacchiadas à Bacchide Herculis sanguine ortos, regnum obtinuisse in Corintho, atq; in de à Cypselo electos. Historia est apud Herodotum in Terpsichore descripta. De ijs paulo aliter interpres Apollonij prope finem libri quarti.

4 Aristoclitum.] Pausanias constanter ἀριστόκριτον, Aristocritum Lysandri patrem nominat. Porrò autē Heraclidas eos vocari, qui ab Hercule genus ducebant notissimū est: deq; eorum in Peloponnesum reditu, & regnis atq; successionibus multa multi, & passim.

5 Aristoteles vbi magnorum.] Guarinus sensum nō extulit. Locus Aristotelis est problemate primo sectionis trigesimæ.

6 Cladem in Sicilia.] Victo cum copijs & capto Nicia. vide apud Plut. ipsum in eius vita, & Thucyd. lib. 6. In Græco ἐκπεσεῖν repone, pro ἐμπεσεῖν.

7 Vti

7 Vti sodalitates instituerent.] *Institutum Lysandri fuit, democratia per vrbes abolita, oligarchiam cõstituere, atq; ita potestatẽ omnem à populo toto ad paucos quosdam suos amicos transferre: itaq; sodalitates istas instituit iussit, hoc est factiones, quibus sui amici freti, popularem rei. formã protegentibus superiores fieri possent. Huiusmodi coitiones, sodalitiorum & sodalitatum nomine etiam aliquando intelliguntur. & meminit Cicero pro Plancio legis Liciniæ de sodalitijs. Alioquin collegia etiam verti commode iudico, quæ ipsa magno vsui rerum nouarum & malarum affectatoribus fuisse, notum est. Itaq; & L. Metello, Q. Martio coss. auctoritate senatus sublata sunt, & à Clodio, homine turbulentissimo, conuellendæq; reipub. nato, decem post annis restituta. Cic. in L. Pisonem, ibiq; Asconius. Dio lib. 38. Idemq; post etiam à Claudio Cæsare ea scribit abrogata. Hoc loco ἑταιρικὰ, infra ἑταιρείας vocat Plut. vt & in Agesilao. Dio quoq; noster in simili re ita loquitur. Factiones enim istas, & cateruas Cæsarianas, Pompeianas & Crassianas, quæ contra democratiam & aristocratiam conspirarant, & τειχάρεον illud moliebantur, ἑταιρικὰ nominat lib. 37. extremo. Guarinus mihi hæc commemorandi ansam præbuit, quia sensum loci minimè expressit.*

8 Eorum qui ad fores stabant.] *τῶν ἐπὶ θύραις πινὲς. In Themistocle, & Pelopida, & alibi sæpe, autor ita nominat aulicos magni nominis: quales fortè sunt, quos vulgò camerarios aut cubicularios dicimus. Sed & ianitor videtur accipi posse hac dictione. Hîc quia parum refert, ad verbum verti. Paulo post Guarinus ἐντευχθεῖσι male reddidit.*

9 Apud Arginusas.] *Guarinus: in Arginusis. Nomen hoc variè scribitur, vt ostendi in Stephano de Vrbibus, meam lectionem puto rectissimam. Historia est apud Xenophontem (sicut & priora) lib. 1. rerum Græcarum. Meminit Cicero lib. 1 Officiorum.*

10 Naui paralo.] *Guarinus nimis quàm absurdè* παράλον *hîc oram maritimam vertit. Est autem* παράλος, *paralus, nauis (sicut etiam Salaminia, de qua est in historia Alcibiadis, & Theoris) nomen frequens apud historicos. Publica fuit Athenienſium nauis, publicisq; muneribus vt legationibus, nuncijs, alijsq; id genus rebus deſtinata ob velocitatem. Multa de ea habet Suidas, & non negligenda. Et qui ea naui vehebantur,* παράλοι *dicebantur, vt apud Thucyd. lib. vlt.* τὼ παράλον ναῦν ἧ χαιρέαν ἀπο πέμπουσιν οἱ σάμιοι, *&c. mox,* τῶν παραλων τινὰς οἳ τετρακόσιοι δύο ἢ τρεῖς ἔδησαν· τὰς δὲ ἄλλας ἀφελόμενοι τὼ ναῦν, *&c. Quod ſequitur: abſumptis, quod ne, &c. ineptè, & planè nullo ſenſu idem Guarinus præuertit.*

11 Ingens lapis ad Ægos.] *Ex Plin. 2. 58. colligitur, ſexaginta circiter ante hanc naumachiam annis id factum: niſi intelligere velis Anaxagoram id prædixiſſe, quod multis poſt annis euenturum eſſet. Locus eſt obſcurus ſatis, & parũ dextrè conuerſus à Guarino. Ex Platone & Ariſtotele, atq; Plutarcho, non eſt obſcurum, quid ſenſerit Anaxagoras: idq; nos expreſsiſſe vt cunq; ſpero.* διάπλοντες *non eſſe radiantes, ſed ſubitò erumpentes, atq; cum ſaltu quaſi traijciẽtes ſtellas, notum eſt. Deinde lego* ἀναφλεξις. ῥῖψις δὲ ἧ πῶσις: *et pro* πολύπλυς, πολυπλόκυς. *De Damacho autem quem mox citat Plut. nihil mihi aliunde cõſtat. Suſpicor eſſe eum Daimachum (*Δαίμαχον*) cuius Indica Athenæus citat lib. 9. Sed & ſuprà in comparat. Solonis & Poplicolæ, Daimachus quidam Platæenſis citatur.*

12 Lacedæmonios inuenias.] *Contra mentem Plut. verſum antè fuit. Non enim laudat, ſed vituperat Plut. id commentum, & non ab Ephoris aut Lyſandro, ſed ijs qui hoc ferrent, fictum ſermonem indicat.*

13 Chori primam in ſcena vocem.] τὼ πάροδον. *quo de vocabulo apud 47. Dionis librum dixi. extant verſus in Electra,*

Electra, quæ nuper demum seorsim edita est: eiq; testimoniũ erunt, genuinam esse eam.

14 Conuiuium suum.] *In libello cuius titulus Symposion, fingit Xenophon, id quod hîc dicit Plutarchus.*

15 Is in Ceramicos.] *Locus est Athenis nomine Ceramicus, cuius multa etiam apud Latinos mentio. Ceramus autem laterem, etiam tectum, seu tegulam significat. Id innuebat Gylippi seruus, ab hero argentum esse subter tegulas abditum. Sed allusio in Græcis vocibus facilius quàm Latinis intelligitur.*

16 Drachma.] παρὰ τὸ δράττομαι, *comprehendo, nimirum. Citat hunc locum Eustath. in 3. Iliadis. Atque idem in primum librum eiusdem operis indicat, inter* ὀβελὸν *veru,* ὀβολὸς. *& ὀβολὸν obulum, esse differentiam à posterioribus seruatam: & in 4. Vlyss.* ὄβολον παρὰ τὸν βολὸν dictũ tradit. *Consuli ista loca & diiudicari à diligentibus possunt: nobis satis est indicasse.* ὀβελὸς.

17 Non solùm Vlyssem.] οὐ γὰρ ὁ Ὀδυσεὺς, *&c. Apparet Iambicum esse versum ex aliqua tragœdia, quẽ hîc prouerbialiter citat, quasi diceret: Sensit Lysander, non se solum esse vafrum, sed & alijs istas artes notas esse, & vsitatas. Ita Vlyssis, qui callidissimus erat, eoq; nomine seipsum prædicare solebat, dolus est à Palamede deprehẽsus, insaniam simulantis, ne iret ad bellum Troianũ. nota est fabula, & ex antiquo poeta versus ea de re Cicero libro tertio Officior. recitat. Ac fieri potest, vt hic versiculus sit de Palameda Euripidis transcriptus.*

18 Obsidenti ipsi Aphytim in Thracia.] *In Græco est,* τὴν τῶν ἀφυταίων πόλιν. *Est q; secutus id mendum, vt plerasq; Guarinus, & inquirendi labore superfedit. secutus est etiam Amiotus. Est autem haud dubiè legendum* ἀφυταίων, *quod ex Pausania & Stephano nostro deprehendi, tametsi apud vtrunq; mendum est. itaque eadem opera trium auto-*

*Pausaniæ & Stephani locus.*

rum locos castigabimus. Pausa. in Laconicis: A Mineruæ, inquit, ocularis (de qua dixi in Lycurgo) progressus fano, ad Ammonis sacrariũ venies. Videtur sanè ab initio Lacedæmonij maximè omnium Græcorum oraculo Ammonis, quod in Libya est, vsi: & Lysandro Aphytin Pallenæ oppidũ obsidenti per quietem visus est Ammon dicere, expedire ipsi & Spartæ, bellum contra Aphyteos desinere: & quæ sequuntur. ἄφυτιν τὸν ἐν Παλλήνῃ est in Græco: sed articulus fecit masculini generis, vt nomen viri, non oppidi videretur. ἀφυτιτῶ, &c. legẽdum est. Quod ex Strabonis Epitoma apparet. ea enim Pallenem peninsulam esse, quatuorq; in ea vrbes sitas, Aphytin, Mendam, Scionam, Sanem, docet. Stephanus autem: Aphyte, inquit, aut Aphytis, vrbs est Thraciæ ad Pallenen: est & ibi Apollinis oraculum. Non Apollinis, sed Ammonis (ἄμμωνος, pro ἀπόλλωνος) lego, cùm perspicuè prioribus addat Pausanias: Aphytæos Ammonis colendi studio nõ cedere Ammonijs Africanis.

19 Athenienſibus à Pyla.] A Phyla Guarinus & Amiotus, non rectè, ex Xenophontis libro secundo ἑλληνικῶν, vbi hæc res à Thrasybulo gesta describitur, apparet castellum fuisse inter Thebas & Athenas Πυλῶν, Pylam. Cæterùm hîc Guarinus ὀλιγαρχικὸς ineptè factiosos, sicut & suprà factionis suæ homines, non satis perspicuè vertit.

20 Corinthij cùm defeciſſent.] Guarinus, incumbentibus. vitiosam secutus, vt solet, lectionem, quæ & in Apophthegmatis Plut. hoc ipso de dicto est, ἐφεστώτων, pro ἀφεστώτων.

21 Rex pedibus valide.] μὴ σέθεν ἀρήποδος. σέθεν quidẽ genitiuus est, & ἀρήποδος celerem, pedibus ꝙ promptum significat (Homer. Iliad. ι.

ἢ δ' ἄπη θεναρήτε ἠὲ ἀρήποδος ——)

Vt videatur ad Spartam hoc debere referri: tametsi βλάπτω cum genitiuo construi nõ meminerim me legisse. possunt tamen

men esse genitiui absolutè positi. Ita quidem legitur infrà initio Agesilai, & apud Pausan. lib. 3. Vtrobique enim idem oraculum refertur. Post pro μόχθοι, est in Agesilao νῆσοι. Et pro φθισίμβροτον rectè habet (vt metri ratio requirit) φθερσίβροτον, Pausanias: ideméq; κυκωσμένα, non κυλινδομένα scripsit.

22 Spithridatem.] μιθριδάτην, Mithridatem. Sed Xenophon (qui hæc omnia lib. 3. narrat) non ita, sed μιθριδάτην vocat, etiam initio quarti libri: & sic est etiam in vita Agesilai apud nostrum.

23 Et ad partes paratis.] πρὸς παραγωνιστᾶς. quo vocabulo intelligi arbitror eos, qui aliàs δευτεραγωνισταὶ dicerẽtur. Liu. lib. 3. Tribuni coràm in foro personare. Fabulam compositam Volsci belli, Hernicos ad partes paratos, hoc est subseruire, δεύτερα (vt in vita Ciceronis noster loquitur) λέγειν. Horatius partes tractare secundas ait. Cæterùm salsa sunt quæ Guarinus dixit & contra Plutarchi sentẽtiam, venisse Silenum, & Delphis filium Apollinis professum, & reliqua: nihil enim tale est actum, sed quidã admisser suæ formidine actionem fabulæ impedyt. Quod satis apertè Plut. verba habent.

24 Et Amphitheus.] Xenophon hunc non habet, sed cum Androclida Ismeniam & Galaxidorum: Pausan. præter Androclidam & Ismeniam, ἀμφίθεμιν Amphitemin nominat. De sacrificio Agesilai Aulide facto, idem satis disertè.

25 Decimam manubiarum.] In Decelea Thebanos consecratarum Apollini rerum decimam sibi postulasse, Xenoph. ait lib. 3. rerum Græcarum.

26 Vnà cum Mante.] μετὰ τοῦ μάντεως, id est vate. Sed propriúmne sit, an appellatiuum id nomen, ambigo. interpretes appellatiuè acceperunt.

27 Oram agri vicato.] ἔσχατα extremitas rei est. Ho-

*merus:* ἀγρῦ ἐπ' ἐσχατιῆς —— *reliqua vt Dauus verti, non vt Oedipus. Certè* κάμαξ *palus est etiam apud Homerum, de vinea Iliad. 6.*

κάμαξ. εἱστήκει δὲ κάμαξι διαμπερὲς ἀργυρέῃσι.

*Non me fallit, pro telo apud Euripidem vsurpari in Hecuba,* ἄλλαι δὲ κάμακα θρηϊκίαν θεώμεναι, *teste etiam Scholiaste. Sed quid faceres in oraculo? Cæterùm* Δήλιον *Delium, in Tagranæorum finibus Bœotiæ oppidulum est, Steph. & Pausan. qui & ibi victos Athenienses, & eorum ducem Hippocratem Ariphronis F. scribit à Bœotijs, lib. 9. descrip. Græciæ. Eandem rem lib. 12. Diodorus descripsit. & Thucydides* διεξοδικῶς *lib. 4.*

## *PLVTARCHI SYLLA, GVILIELmo Xylandro, Augustano, interprete.*

1 L. CORNELIVS Sulla patricio genere editus est. Ex maioribus eius Ruffinus consulatum gessit: sed ignominia eius quàm honor illustrior fuit. Nam cùm deprehensum esset eum (quod legibus prohibebatur) argenteorum vasorum supra decem libras possedisse, senatu eiectus est. Ab illo cætera progenies humili statu vixit: & ipse Sylla in patrimonio non amplo educatus est. Adolescens apud alios habitauit, pro habitatione mercedem non magnam soluens: quod ei postea temporis probri loco obiectum est, cùm fortuna quàm dignus esset prosperiore vti videretur. post militiam Africanam iactanti se, glorioseque verbis efferenti dixisse quidam optimatum fertur: Quî nam vero tu bonus sis, qui cùm tibi nihil à patre sit relictum, tantas opes habes? Cùm enim pauci rectis inculpatisq; moribus essent, sed vulgo iam ad vitium inclinauissent, & luxus splendorisq; cupiditate correpti essent, eodem tamẽ in vitio esse censebãtur cum his qui bona sua prodegissent, ij qui in paterna paupertate non permansissent. Postmodo etiã cùm iam rerum potitus multas cædes faceret, quidam libertus de saxo præcipitandus quod proscriptorum quendam occultasse putaretur, exprobrauit ipsi, quod diu eadem domo vsi fuissent, cuius ipse duob. millibus

*Syllæ facultates.*

libus nummorum superiorem partem, Sylla tribus millibus nummûm inferiorem conduxisset: nimirum inter eorum fortunas tunc mille nummos, hoc est drachmas Atticas ducentas quinquaginta interfuisse. Hæc de antiqua Syllæ fortuna perhibentur. *Forma.* Corporis ipsius figuram ex statuis licet cernere. Oculos habuit immodicè cæsios atque tiuces, quos & ipse faciei color terribiliores efficiebat, in qua exalbedine rubor sparsim emicabat. Atque inde ei cognomentum Syllæ factum ferunt: & Athenienſium scurrarum quidam hoc versu id notauit,

*Morum farina Sylla conſperſum ſonat.*

Talibus de eo viro vti indiciis nõ est absurdum, quem adeò natura ad dicacitatem propensum fuisse ferunt, vt iuuenis adhuc & inglorius inter mimos & scurras per lasciuiã conuersatus fuerit: ac postmodò rerum potitus conducto à scena & theatro petulantissimo quoque, quotidie inter eam turbam compotando & salibus certando vacauerit, præter & ætatem, senectam, & imperij maiestatem, multorũ cum grauium negociorum neglectione. Neque enim Sylla cœnans quicquam seriæ rei admittebat: qui cum reliquo tempore *impiger* esset & austerior, vbi primùm conuiuio se dedisset, *ita* subitò mutabatur, vt mimis & histrionibus obnoxius planè, totúsque in eorum manu esset. Huius remissionis vitio etiam factum videtur, vt amorib. & voluptate tam facilè caperetur, à quibus eum ne senium quidem retraxit. Metrobium quendam scenicum à puero amauit: isq; amor cum ætate creuit. Etenim Nicopolim diuitem mulierem, sed quæ corpus suum vulgasset, adamauit: ab ea deinde ob consuetudinem & formam amasius habitus, testamentóq; hæres eius relictus est. Nouercæ etiam hæreditatem adiit, quæ eum non minori quàm filium amore complexa fuerat. Inde mediocres ei opes fuerunt. Quæstor creatus, cum Mario primum tum cõsulatum gerente in Africam ad bellum Iugurthinum nauigauit. Ibi cùm aliis in rebus laudem meruit, tum occasione oblata rectè vsus, Numidarum regem Bocchum amicitia sibi iunxit. Huius enim legatos, cùm ij Numidarum latronum manus euasissent, humaniter acceptos tractatósque, donisque affectos addito tuto comitatu regi remisit. Bocchus autem qui iam pridem generum suum Iugurtham in odio atq; suspicione habuisset,

victo ei & ad ipsum confugienti insidiatus Syllam ad se vocauit: ab hoc enim quam a se Iugurtham capi atque Romanis tradi malebat. Sylla re cum Mario cõmunicata, & paucis acceptis militibus in summum se dedit periculum, cùm se barbaro & domesticis suis infideli crederet, capiendique alterius causa in manus eius traderet. Verùm Bocchus cùm in sua vtrunque potestate haberet, atque omnino alterum eorum perfidiosè tractare cogeretur, diu animi dubius, tandem proditionem priorem prætulit, Iugurthámq; Syllæ tradidit. Ea de re Marius quidem triumphauit: at gloria facti quam Marij inuidia Syllæ tribuebat, occultè vrebatur. Nam ipse quoq; Sylla, homo natura arrogans, tum primùm ex obscuro loco emergens, inq; aliquo inter ciues numero haberi incipiens, gustúmq; honoris percipiens, eò ambitionis processit, vt rei imaginem in annulo sculptam pro sigillo semper vsurpauerit. Quæ etsi Mario erant molesta, tamen Sylla, quem minori esse inuidiæ obnoxium censebat, in militia vsus est, consul iterum, legato, tertiùm tribuno militũ, multáq; eius opera vtiliter confecit negotia. Nam Sylla legatus Copillum Tectosagum ducem cepit, & tribunus militũ Marsos, magnam atq; populosam gentem, ad societatem P.R. perduxit. Ob hæc animaduertens se Mario inuisum esse, neq; ab eo præterea sibi rerum gerendarum occasiones suppeditari, sed incrementis eum suis obstare,

*Sylla Catulo se adiungit.*

Catulo Marij collegæ se adiũxit, viro bono, sed ad certamina segniori: ab eóque præcipuis & maximis negotiis præfectus, ad potentiam & gloriam progressus fecit. Nã & prælio magnã barbarorum qui insederant Alpes partem superauit: & penuria oborta, cõmeatus sibi cõmissos ita explicauit, vt abundantes rebus necessariis Catuli milites etiam Marianis suppeditarent. Idq; ægerrimè tulisse Marium ait. Horum itaq; inimicitia leui ab initio & puerili causa profecta, inde per ciuilẽ sanguinem & exitiosas seditiones ad tyrannidem & omniũ rerum confusionem progressa ostendit sapientem fuisse Euripidem & ciuilium malorum gnarum, qui vitandam ambitionem, & honorũ contentionem præcipit, tanquam pestilentissimum & nocentissimum iis, qui ei obtemperant, genium. Sylla porrò bellicam gloriam sibi etiam in rebus ciuilibus suffecturam ratus, statim vt militaribus officiis defunctus est, populo se commisit: prætu-

rámque

rãmque vrbanam ambiens, repulsam tulit. Ipse multitudini culpam adscribit: cùm enim amicitiam ipsius cum Bocchо cognitam haberent, ratos ipsum si aute præturam ædilitatem gereret, venationes splendidas, & bestiarum Africanarum spectacula exhibiturum: ideóque alios fecisse prętores, vt ipsum ædilitatem petere cogerent. sed videtur res ipsa ostendere Syllam repulsæ veram causam dissimulasse. Anno enim posteriore, multitudine partim demerendo, partim pecunia corrumpendo sibi conciliara, prætu-
ram obtinuit. Itaque cùm præturam gerens Cæsari inina-
retur, vsurum se sua in illum potestate, ridens Cæsar: Rectè, inquit, dicis tuam esse potestatem, emisti enim eam. A prætura in Cappadociam missus est, eo prętextu vt Ariobarzanem reduceret: in re autem hoc erat, vt Mithridatem, qui dominationem & potentiam ea quam antiquitùs possidebat, haud minorem ad se trahebat, nouisq; rebus studebat, reprimeret. Eò Sylla cùm exiguas adduxisset copias, sociorum prompta vsus opera, multis Cappadocũ, pluribus Armeniorum, qui illos adiuuabant, cæsis Gordium profligauit, Ariobarzanémq; regem constituit Cùm circa Euphratem ageret Sylla, venit ad eum Orobazus Parthus Arsacę regis legatus: cùm in eum vsque diem nihil rei Romanis cum Parthis fuisset. Et videtur hoc ipsum magna fortuna Syllæ accidisse, vt cum ipso Romanorũ primo Parthi amicitiæ & societatis iungendæ causa colloquerẽtur. Cùm quidem (vt perhibẽt) tribus sellis positis, medio inter Ariobarzanem & Orobazũ loco adsidens responsa dedit. quam ob rem pòst Orobazum Parthorum rex necauit: Syllam alij quòd barbaros ludibrio habuisset, laudauerunt, alij superbiã intempestiuámq; ambitionem vitio verterunt. Traditũ memorię est, Chalcidensem quendam, qui cum Orobazo ad Syllam venerat, inspecta Syllæ facie, motibúsq; corporis eius & animi curiosè obseruatis, naturam ipsius secundum artis suę prięcepta cõsiderasse, atque dixisse: Necesse est hunc virum maximum fieri: atque adeò miror, quì iam nunc ferre possit se non primas inter omnes obtinere. Reuerso Censorinus diem dixit, quòd multam pecuniam ex regno societate P. R. iuncto exportasset: sed ab accusatione vltrò destitit. Cæterùm discordia Syllæ cum Mario noua occasione, quam Bocchi ambitio obtulit, excanduit. Is enim vt

& popu-

& populum Romanum demereretur, & Syllæ rem gratam faceret, imagines trophæum ferentes in Capitolio dedicauit: & iuxtà aureum Iugurtham Syllæ à se traditum. Iritatus grauiter Marius cùm deijcere eas vellet, alij autem Syllam adiuuarent, & iam factionibus ciuitas eorum studiis inflammaretur: bellum sociale, quod diu gliscens tum exarsit contra Romam, seditionem inhibuit. Eo in bello, quod & maximum fuit, & maximè varium, ac mala pluri-
" ma & pericula grauissima Romanis attulit, Marius cùm nullum egregium facinus edere posset, ostendit bellicam virtutem ætate atque viribus integris opus habere: Sylla autem multis præclarè gestis rebus, apud ciues magni, apud socios maximi, apud hostes fortunatissimi imperatoris nomen inuenit. Verùm hoc non eo modo, quo Timotheus Cononis F. tulit. Is cùm ab inimicis suis victorias ab
" ipso partas fortunæ adscribi (pingebant enim eum etiam dormientem, fortunámque interim vrbes reti ipsius implicantem) morositate quadam adductus grauiter ferret, quasi gloria actionum suarum ab iis spoliaretur: aliquando ad populum ex bello reuersus dixit, Rei à se gestæ nullam partem fortunę imputandam esse. Atque ambitione Timothei iritatam fortunam effecisse aiunt, vt is in posterum nullum insigne facinus ederet: sed omni successu destitutus, in offensas populi incideret, adque extremum patria excideret.

*Sociale bellum.*

*Syllæ fortunæ plurimũ tribuit.*

At Sylla fortunatum se dici, fortunæque causa in admiratione hominum esse non modò delectatus est, sed & auxit eam opinionem, omnia fortunæ accepta referendo, siue ita se iactans siue ita potiùs de fortuna sentiens. Nã & in com-
" mentariis scriptum reliquit, Res quas non ex consilio suo gessisset, sed subita occasione data aggressus fuisset, melius sibi cecidisse, quàm eas de quibus probè consilia iniuisse videretur. Iam cùm dicit magis ád fortunam quàm ad bellum se natum fuisse, videtur sanè plus fortunę quàm virtuti tribuisse. Et omnino omnia sua ei deę videtur tribuisse: quando & concordiam suam cum Metello, eiusdem dignitatis viro, & suo socero, prosperitatem quandam diuinitùs oblatam agnoscit: eum enim cùm putaret sibi plurimum
4 molestiæ exhibiturum, in societate magistratus mansuetissimum habuisse. Lucullum etiam in cõmentarijs quæ ei inscripsit, hortatur ne quidquam perinde firmũ existimet atq;

id, quod

id,quod ei per noctem numen præcepisset. Sibi autem cum copiis ad sociale bellum emisso scribit hiatum terræ ingentem apud Lauernam visum: ex eo ignem copiosum, flammámque claram versus cœlum emicasse: à vatibus verò responsum,Fore vt quidam vir bonus faciei dignitate eximia conspicuus principatū adeptus, vrbem præsentibus tumultibus liberaret. Hunc se fuisse Sylla asserit: quod enim de facie dixerint, aureo comæ suæ colore id reptæsentari: neque verò id sibi dedecori ducere, quòd virtutis suę sibi ipse tot & tātis rebus gestis testimoniū ferat. Hæc de religione eius & signis diuinitus ei mōstratis. Cæterùm ea in moribus ipsius fuit inæqualitas, vt secum ipsi non conuenerit. Multa eripiebat, donabat plura, inopinatis & honoribus & cōtumeliis homines afficiebat, colebat quorum opera indigebat, ludificabat ipsum implorantes: vt haud constet, naturáne contemptor hominum magis, an adulator fuerit. De inæqualitate enim in irrogandis suppliciis, quod leuissimis de causis alios excruciauit, aliorum grauissima peccata æquo animo tulit: quòd facilem se & placabilē in sensissimis præbuit, leues offensas cædibus & bonorum publicatione vltus est, hoc modo aliquis rectè statuerit: eum cùm natura esset iracundus & vindictæ cupidus, vtilitatis ratione motum aliquando sæuitiā repressisse. In eo ipso quidem sociali bello cùm milites eius legatum Albinum, prætorię dignitatis virum, lapidibus & fustibus occidissent, inultum id facinus reliquit: quin & hoc iactauit, habiturū se eò alacriores milites, qui pro peccato hoc virtute essent satisfacturi. Incusantes autem nihil curauit: sed iam de Mario euertendo, & (quia finitum iam sociale bellum videbatur) obtinēdo Mithridatico cogitans, exercitum obsequio sibi deuinxit. Romam inde reuersus, cōsul creatur cum Q. Pompeio, annos tum natus quinquaginta. Matrimonium quoque contrahit nobilissimum ducta Cæcilia Metelli Pontificis maximi filia: de quibus nuptiis multa sunt à plebeiis cantata, multique eas primarij viri reprehendebant, indignum vxore ea Syllam iudicantes, quem consulatu dignati essent: vt refert Liuius. Hanc quartam demum vxorem habuit. Primā adolescens adhuc Iliam, quæ ei filiolam peperit. post hanc Aeliam: inde Cœliam, quam sterilitatem prætexens, honestè tamen & donis datis repudiauit. Paucis pòst diebus Metellam

*Inæqualitas morū Sylla.*

*Consulatus Sylla:*

7

lam ducens, visus est falsò Cœliam accusasse. Certè Metellam vsque ad extremum coluit: ita vt populus quoque Romanus cùm à Sylla impetrare non posset, vt qui cum Mario in exilium iuerant, iis reditus concederetur, Metellæ auxilium implorauerit. Athenienses quoque vrbe capta propterea duriùs accepisse videtur, quòd ij Metellam de muris fuerant conuiciis insectati. Sed hæc posteriùs. Tunc verò consulatum ad ea quæ animo præceperat, non satis momenti allaturum existimans, ad Mithridaticum bellum animum adiecit. Contra eum Marius insurrexit, insano gloriæ amore atque ambitione (quos affectus ne senectus quidem extinguit) eò adductus, vt graui vir corpore, & qui nuper ætatis causa bellicis laboribus succubuisset, peregrinum adeóque transmarinum bellum appeteret. Is tum Sylla ad exercitum profecto, vt reliquias belli conficeret, domi exitiosissimam illam, & quæ plures quam vniuersi hostes Romæ calamitates intulit seditionē concitauit. Quod sanè Romanis diuinitus præsignificatum est. Ignis enim sponte sua ex contis quibus signa feruntur militaria, emicuit, vixque extingui potuit: corui tres pullos suos productos vorauerunt, ac reliquias in nidum retulerunt. & cùm mures in templo sacrum aurum corrosissent, vnam æditui laqueo ceperunt, eáque laqueo etiamnum detenta quinque musculos enixa, tres de iis vorauit. Maximum verò omnium fuit ostentum, quòd sereno cœlo ac per sudum acuta & lugubris tubæ vox exaudita fuit, cuius ad magnitudinem omnes perterriti obstupuerunt. Etrusci autem vates, portendi mutationem sæculi, & exordium alterius ætatis mundi dicebant. Esse enim mundi ætates siue sæcula omnino octo, moribus & vitæ rationibus diuersa: vnicuilibet harum ætatum definitum à Deo certum tempus magni anni circuitu comprehensum. Vna porrò ætate completa, initióque alterius, terram vel cœlum miraculum aliquod edere: vnde harum rerum studiosis atque peritis statim cōstet, quòd homines aliis exinde & moribus & vitæ rationibus sint vsuri, Diisque magis minúsve quàm priores curæ futuri. Cùm in aliis verò rebus multa mutatione noua & inusitata existere: tum diuinandi artē modò incrementum honoris adipisci, prædictiones q; futurorū certas fieri, pura & perspicua signa diis submittentibus: modò exiguo in precio haberi,

*Marij & Sylla dissidium.*

*Ostenta.*

*Sæcula.*

haberi, cùm ex tẽpore plerunq;, ex obscurisq; indiciis de futuro coniecturã faciat. Hęc tum Etruscorum doctissimi, & hac re aliis præstantiores dissserebant. Cùm senatus ariolis hac de re vacaret, inq; æde Bellonę cõsedisset, omnibus in- 5 spicientibus passer cicadam ore gerẽs intrò aduolauit, partemq; cicadę ibi reliquit, cum altera abiit. Itaq; coniectores seditionem inter agrorum possessores & vrbanã forensemq; turbam portendi videri responderunt: hanc enim vocalem esse, instar cicadæ: rusticam verò, forensem. Enimue- *Sulpicij tri-* 10 ro Marius sibi adiungit Sulpicium, extrema malitia omni- *bun. pl. im-* bus superiorem, ac de quo non id quæreretur, quónam alio *probitas.* deterior, sed qua in re seipso peior esset: tanta in eo crudelitas, audacia, atq; auaritia erat, neq; de turpitudine aut malo quicquam pensi. Is ciuitatem Romanã libertis & inquili- 15 nis palam vendens, precium posita in foro mensa numerabat. Idem tria millia sicariorum alebat, stipatusq; erat caterua iuuenum equestris ordinis ad omne facinus paratorum, quos Contrasenatum appellabat. Cumq; legem tulisset, ne quis senator supra duo millia denariũm deberet, re- 20 pertum est eum cùm moreretur ære alieno obstrictũ fuisse ad centies & vicies sestertiũm. Is tum à Mario in populum immissus, omnia vi & ferro perturbans, cùm alias rogationes improbas tulit, tum eam, qua Mario bellum contra Mithridatem decernebatur. Consulibus eam ob causam 25 iustitiũ indicentibus, in cõcionem apud Castoris ædem habentes turbam adduxit, multósq;, & inter hos Põpeij cõsulis filium adolescentem in foro interfecit. Pompeius fuga salutem inuenit: at Sylla in domũ vsq; Marij ab vrgentibus inimicis cõpulsus, coactus est in forum prodire, & iustitium 30 tollere. ob id Sulpicius cùm Põpeio cõsulatum abrogasset, 9 eum Syllæ nõ ademit, belli tantùm cõtra Mithridatẽ administrationem ad Mariũ transtulit: & cõfestim tribunos militũ Marius Nolam misit, qui exercitũ ad se traducerent. At verò Sylla prior ad exercitũ perfugerat: itaq; milites re au- 35 dita tribunos istos lapidib. obruerunt. Propter hoc Mariani Romæ amicos Syllæ necauerunt, eorumq; bona diripuerunt. Erant verò migrationes & fugæ ex vrbe in castra, atque vicissim. At senatus qui non in sua, sed Marij & Syllæ erat potestate, cùm Syllam ad vrbem adducere exercitum audiret, missis duobus prætoribus, Bruto & Seruilio,

edixit

edixit ne progrederetur. Hos ferociùs Syllam compellantes etiam occidere milites statuerunt: fascibus quidem confractis, & prætextis direptis, multam per contumeliam habitos dimiserunt. Ij & indignam dolendámque rem prætoriis insignibus spoliati spectandam retulerunt, & seditionem omni iam remedio superiorem esse renunciârunt. Itaque Marius in apparatu erat. At Sylla cum sex integris legionibus & collega à Nola castra mouebat. Cúmque militum eos videret esse animos, vt rectà ad ipsam Vrbem ire vellent, periculi tamen consideratione dubius animi teneretur: sacrificante ipso Posthumius vates exta cùm inspexisset, vtraque ad Syllam porrecta manu, ligari sese, & in vinculis teneri tantisper dum pugna committeretur iussit, nisi celeriter omnia & feliciter Sylla expediisset, extremum supplicium subiturum. Ferunt etiam per quietem Syllæ apparuisse Deam, quam Romani colunt à Cappadocibus edocti, siue ea Luna est, siue Minerua, siue Bellona: hanc itaque imaginatus est in somnis sibi adstare, atq; fulmen porrigere, nominatimque recensentem singulos ipsius inimicos, iubere vt eos feriret: illos autem ictos cecidisse, atque è medio sublatos fuisse. Hoc viso ad fiduciam erectus, die orto re cum collega communicata, Romam versus duxit. Apud Picinas legati ad ipsum peruenerunt, orantes ne ita cũ impetu ad vrbem adiret: ius enim eum suum omne senatu decernente cõsecuturum. Pollicitus est, ibi se castra facturum, ducésq; locum castris pro more dimetiri iussit: itaq; fidem eius responso habentes legati abierunt. Digressis iis, confestim L. Basilo, & C. Mummio missis portam & muros apud collem Exquilinum occupauit, ipse summa celeritate eos subsecutus est. Basilus cum suis in vrbem capta porta irrupit. Sed multitudo ciuium inermis de muris tegulis lapidibúsq; coniectis eum ne progredi posset prohibuerunt, & ad murum represserunt. Interim Sylla superuenit: cernénsque quid ageretur rei, domos incendi alta voce iussit: primúsq; arrepta face iuit, sagittarijs vt ignita tela tectis inijcerent mandans. Nihil enim tum præ animi feruore pensi habebat, sed iræ totam rem committebat: itaq; hostibus tantùm intentus, nullam amicorum aut necessariorum rationẽ habens, nullius misericordia tactus, incendio viam sibi faciebat, eodem sontes atq; insontes loco & cõditione ponens.

*Sylla Romapotitur.*

Ita

Ita Marius ad fanum Telluris compulsus, seruos ad libertatem vocauit: & victus ab hostibus eò irrumpentibus, vrbe excidit. Proinde Sylla senatu cõuocato Marium & Sulpicium trib. pl. cum aliis paucis quibusdam capitis damnat. *Sulpicij interitus.*

Sulpicius à seruo proditus, interfectus est: seruum Sylla, ma numissum tamen prius, de saxo præcipitauit. Marium autem qui necasset, ei pecuniam præmij loco edixit: quod neque grati hominis, neq; ciuile fuit. quippe paulo ante Mario domi eius in manus se cùm tradidisset, incolumis ab eo dimissus fuerat. Et quidem si Marius Syllam non dimisisset, sed Sulpicio necandum tradidisset, potiri rerum poterat: pepercit tamen, pauciq; pòst diebus in idem discrimen adductus, non eodem modo à Sylla est tractatus. Obscure hoc senatum offendit, populi verò indignationem aperte reipsa sensit. Cum enim Nonius consobrinus, & Seruius freti Syllæ potentia magistratum ambirent: per contumeliam repulsi sunt, alios populo constituente, quos vt Syllam id male haberet summo honore prosequebantur. At Sylla grata sibi hæc accidere simulabat, quod populus per ipsum libertate agendi quæ vellet frueretur: vtque odia multitudinis mitigaret, contrariæ factionis hominẽ Cinnam consulem creauit, prius sacramento & deuotionibus obstrictum, velle Syllanis rebus fauere. Atque is Cinna in Capitolium adscendit, lapidemque manu tenens iurauit: execratus deinde in caput suum, vt nisi beneuolentiam erga Syllam conseruaret, sic vrbe exciderit, quemadmodum manu eius lapis, multis coram testibus lapidem in terram proiecit. Consulatu accepto statim nouas res agitare cœpit, Syllamque in ius vocare statuit, & accusatorem Vergilium trib. pleb. subornauit. Sylla accusatore & iudicio valere iusso ad bellum Mithridaticum abiit. Ferunt iis diebus quibus Sylla exercitum ex Italia abduxit, Mithridati apud Pergamum agenti cùm alia multa diuinitus oblata signa, tum Victoriam sertum gerentem desuper quibusdam machinis in ipsum à Pergamenis demissam, cùm tantum non caput iam eius contingeret, fractam fuisse, coronamq; excidisse, & laceratam per theatrum deorsum ad terram delatam esse: quæ res & horrorem populo, & anxietatem Mithridati incusserit, tametsi res eius isto tempore etiam spe lætioribus successibus ferrentur. Etenim ipse Romanis *Cinna consul peierat* *Mithridatius successus.*

Asia, Bithynia & Cappadocia regibus adempta, Pergami sedebat, opes, imperia, & tyrannides inter amicos diuidens. Filiorum alter regnum in Ponto & Bosporo vsq; ad deserta supra Mæotin loca auitum obtinebat, nemine interpellante: Ariarathes autem Thraciam & Macedoniam magno subigebat exercitu: reliqui duces eius alij alia loca cum copiis suis in potestatem redigebant. Horum maximus erat Archelaus: qui nauibus totum fere mare obtinebat, Cyclades insulas, reliquasq; quotquot intra Maleam sunt positę, ipsamq; Eubœam sub se habebat: & Athenis profectus populos Græciæ vsq; ad Thessaliam omnes ad defectionem à Romanis pertraxerat, apud Chæroneam tantum nonnihil aduersi passus. Ibi enim, cùm fluminis quasi impetu per Bœotiam rueret, Brutium Suram, legatũ Sentij qui Macedoniam prætor obtinebat, virum audacia & prudentia præstantem habuit obuium: qui diu ipsum inhibuit, tribusq; apud Chæroneam factis prœliis repressit, & in Thessaliam reiecit. L. autem Lucullo iubente, vt Syllæ venienti cederet, bellumq; decretũ ipsi relinqueret, statim Bœotia excedens ad Sentium rediit: quanquam & spem successus rerum ab eo gestarum vinceret, & virtus eius effecisset, vt pleriq; Græcorum ad defectionem spectarent. Verùm hoc inter facinora Brutij fuit nobilissimum. Sylla autem in Græciam veniens, cæteras vrbes legatis missis se ei dedentes recepit: Athenas, quas tum Aristio tyrannus obtinebat, omni vi adortus est. Itaq; Piræum munitionibus clausum omnis generis machinis admotis, varie oppugnauit. Poterat absque periculo suo ipsam vrbem penuria rerũ necessariarum iam in extremas difficultates adductã capere, si paululum tẽporis expectare voluisset. Verũ Romã redire properans, nouasq; ibi res metuens, multis periculis, multis dimicationibus, ingentibus sumptibus bellum accelerauit. Ne dicam de reliquo apparatu, ad machinas quidem ministerio iugorum decies mille mulinorum quotidie vtebatur, eaq; in hunc vsum alebat. Cùm materia deficeret (nam & multæ machinę suo pondere frangebantur, & ab hostibus assidue ignem iniicientibus, cremabantur) sacros lucos aggressus Academiam quæ plurimas omnium suburbanorum arbores ferebat, & Lyceum cecidit. Et cum pecunia opus esset multa ad bellum, sacris Græciæ thesauris manum iniecit, donaria

*Archelai res gestæ.*

*Sylla Athenas recepit.*

quæ

quæ pulcerrima & precioſiſſima Epidauri & Olympiæ erant, ad ſe aduehi mandans. Scripſit & Amphictyonibus Delphos, ex re eſſe, vt ad ſe mittantur pecuniæ Deo ſacræ: ſe enim vel rectius ſeruaturum eas, vel ſi conſumpſiſſet, tandem redditurum. Miſitq; eò Caphin Phocenſem, amicum ſuum, vt ſingula põderata acciperet. Hic vbi Delphos peruenit, tangere ſacras res veritus, multis lacrymis coram Amphictyonibus neceſſitatem iſtam deplorauit: & quibuſdam dicentibus auditum citharæ, quæ in ſacrario eſt, ſonum; Syllæ de eo prodigio ſiue credens ipſe, ſiue vt religionem ei obiiceret, perſcripſit. Ei per iocum reſcripſit Sylla, mirari ſe Caphin, qui non intelligat canere non dolentis, ſed lætantis eſſe: proinde bono animo eſſet, acciperetq; quę deus hilaris daret. At reliqua donaria cum neſciẽtibus pleriſq; Græcorum Delphis aueherentur, dolium argenteum (quod vnum de donis regiis reſtabat) quia id propter magnitudinem & pondus iumenta integrum ferre nequibãt, coacti conſcindere Amphictyones, Flaminini & M. Acilij atque Pauli Æmilij recordati ſunt: quorum ille cùm Græcia Antiochum eieciſſet, hi Macedonum reges debellauiſſent, non modo ſacris Græcorum theſauris abſtinuerant, ſed & dona & honorem & ſplendorem iis addiderant. Enimuerò illi legitimo imperio viros modeſtos, & qui taciti mandata magiſtratuum exequi didiciſſent, rexerant: ipſique regiis animis præditi, atque frugales, mediocribus & definitis ſumptibus vſi erant, adulari milites, quam metuere hoſtem, turpius cenſentes. Syllæ verò tempeſtate cum ad imperia gerenda non tam virtute quam vi peruenireturn, armiſque contra ciues maior quam aduerſus hoſtes vſus eſſet, in bello adminiſtrando ſimul multitudinem demulcere atque demereri opus habebant, neque animaduertebant, quæ in voluptates militum impenderent, vt eorum operas redimerent, his ipſis ſuam patriam ſe venalem reddere, vtq; melioribus imperare poſſent, ideo peſſimorum ſeruos fieri. Hæ res Marium vrbe eiecerunt, rurſuſque eundem contra Syllam reduxerunt: hæ Cinnæ in Octauij, hæ Fimbriæ in Flacci cædem manus conuerterunt. Cui rei magnam profecto Sylla occaſionem præbuit, corrumpendi & ab aliis ad ſe traducendi milites gratia ita prodigus in ſuos: quo effectum eſt, vt ad proditionem

*Corruptæ Romanorum militia.*

nem hostes, suos ad intemperantiam corrumpendo adducens, magna pecuniæ vi opus habuerit: præsertim verò ea in obsidione. Grauis enim & immedicabilis eum eius vrbis capiendæ cupiditas incesserat: siue quòd antiquam illius gloriam cogitatione sibi adumbrans, magnum ea re gesta nomen affectabat: siue iritatus scurrilibus insectationibus, quibus ipsum & Metellam Aristio tyrannus subinde à muris voce gestuq; ad subsannandum composito exasperauerat. Erat is tyrannus homo & impurus & crudelis: & recepto ad se Mithridaticæ factionis perditissimo quoq;, Athenas, quæ infinita antè bella, seditiones & tyrannides innumeras euaserant, tunc quasi pestilens aliqua lues in extremum periculum coniecerat. cumque mille denariis medimnus tritici væniret, & Parthenio herba quæ circa arcem proueniebat homines vescerentur, calceosq; & vtres elixos comederent: ipse continenter diurnis compotationibus & comessationibus vacabat, hosteq; saltando & ridiculis ineptiis exagitabat. Interim sacram Mineruæ lampadem penuria olei extingui passus, antistitæ sacrorum vnciam medimni tritici petenti, tantum piperis misit: sacerdotes & senatores suppliciter ab ipso petentes, vt miseraretur vrbem, & cum Sylla pacem iniret, iaculis immissis disturbauit. Vix tandem duos aut tres de suis compotoribus emisit ad Syllam, qui de pace agerent. Hi cum nihil salutare vrbi præponerent, sed Theseum modo, Eumolpumq;, & belli Medici res gestas iactarent: Facessite hinc, inquit Sylla, præclari homines, cum istis vestris sermonibus: non enim discendi causa à Romanis huc missus sum, sed vt defectores subigam. Interim quorundam senum in Ceramico colloquentium, qui tyrannum reprehendebant, quod murum qui est apud Heptachalcum (quo vnico loco facile adire hostes, & euadere in vrbem possent) non custodiret, sermonem exaudiuere quidam, & Syllæ de eo renunciauerunt. Isque minime negligendum ratus, noctu eo accessit, cumq; capi eum locum posse vidisset, rem aggressus est. Ipse in commentariis Sylla scribit, M. Teium, qui primus in murum euaserat, cùm hosti occurrenti ictum intentasset violentius, gladium in eius casside fregisse: nihilominus tamen locum eum constanter tenuisse. Ab ea parte vrbem captam fuisse Athenienſium antiquissimi memoriæ tradiderunt. Ipse autem

*Aristio tyrannus.*

tem Sylla suffosso complanatoque eo quod est inter Pirai-
cam & sacram portam muri spacio, circa mediam noctem
ingressus est tubarum cornuumq; multorum cantu perter-
rens Athenienses, militesque cum vociferatione & concla-
matione ad cædes atque direptionem dimittens. Ij strictis
gladiis per angiporta grassantes eam cædem ediderunt,
quæ non numero, sed loco per quem sanguis profluxit, ho-
die quoque æstimaretur. nam præter eos qui in aliis vrbis
partibus cæsi sunt, occidio quæ apud forum extitit, quan-
tum Ceramici intra Dipylum est occupauit: multi per por-
tas etiam in suburbium eluuionem sanguinis exundasse a-
iunt. Et tamen iis, qui hoc modo perierunt, pauciores non
fuerunt, qui seipsos interfecerunt, patrię miseratione com-
pulsi, quam funditus excisum iri putabant: etenim opti-
mus quisq; salutem eius desperabat, nihil humani aut mo-
derati à Sylla expectantes. Enimuerò & Meidia atq; Calli-
phonte exulibus supplicantibus, & seruatoribus qui castra
sequebantur pro vrbe deprecantibus, Sylla satur iam vin-
dictæ, cum collaudatione quadam priscorum Athenien-
sium, multos se paucis istis atq; viuos mortuis condonare dixit.
Captas Athenas à se ipse in commentariis ait Kalendis Mar
tiis: qui dies fere in nouilunium Anthesterionis mensis in-
cidit: quo mense Athenienses forte multa in memoriam
exitiosi istius diluuij agunt, eo tempore accidisse putantes.
Capta vrbe tyrannus in arcem confugit: ibique à Curione
obsessus cùm diu perseueraſſet, siti tandem compulsus de-
ditionem fecit: statimque signa diuinitus extiterunt, quæ
probari numini calamitatem eius ostenderent. Eadē enim
die atq; hora, qua Aristionem Curio ab arce deduxit, sere-
no cœlo nubium concursu facto, largus imber decidit, ar-
cemq; aqua oppleuit. Paulo pòst Piræum quoque recepit
Sylla, ibiq; plurima combussit: atq; inter ea Philonis arma-
mentarium, opus admirabile. Interim Taxilles Mithridatis
dux cum centum millibus peditum, decem millibus equi-
tum, nonaginta falcatis curribus ex Thracia & Macedo-
nia descendens, ad se Archelaum vocabat, qui naues adhuc
in statione apud Munichiam tenens, neque decedere mari
volebat, neq; ad pugnam cum Romanis conferendam sa-
tis animi habebat, trahere tantum bellum, & hostem com-
meatu intercludere statuebat. Quod ipsum multo magis

11 *Taxilles.*

*Sylla in Bœotiam transit.*

conspicatus Sylla, ex locis sterilibus, & quæ vix in pace satis alimentorum possent præbere, castra in Bœotiam transtulit. Ac videbatur plerisque male consuluisse rebus suis, quod Attica, quæ aspera & equitatui incommoda esset, relicta, in campestria & aperta Bœotiæ loca se conieciisset, cum videret barbarorum omnem vim in equis & curribus positam. Sed is famem & penuriam (vt retulimus) fugiens, discrimen pugnæ potius subire cogitabat. Attulerat etiam Hortensius metum, artibus imperatoriis præditus vir, & certandi cupidus, cui ex Thessalia copias ad Syllam adducenti barbari in angustiis insidiabantur. Hæ Syllæ traducendi in Bœotiam exercitus causæ fuerunt. Sed Caphis Romanorum fauens partibus, Hortensium deceptis barbaris alio itinere per Parnassum ad Tithoræam deduxit: quæ tum non tanta, quanta est hodie, vrbs fuit, sed oppidulum præcipiti rupi impositum, in quod & olim Phocenses Xerxem aduectantem fugientes conuasatis rebus euaserant. Ibi Hortensius castris positis, interdiu hostes repulit: noctu per angustias ad Patronidem descendens occurrenti Syllæ cum exercitu se coniunxit. Coniunctis ita copiis collem occupauerunt, qui mediis ex campis Elateis exurgit fertilis atque amplus, & ad radices aquam habet: Philobœoto est nomen, eiusq; situm & naturam mirifice prædicat Sylla. Plane paruam eam manū esse hostes iudicauerunt, cum castrametatos vidissent: & erant equites haud supra mille quingentos, peditum non omnino quindecim millia. Propterea Archelaum coegerunt reliqui duces, vt in aciem copias educeret. Ita equis, curribus, aspidibus, scutis totus opplebatur campus: clamorem & strepitum tot simul populorum in aciem prodeuntium vix sustinebat aër, iam fulgur armorum, & superbæ preciosis ornamentis armaturæ haud parum ad incutiendum terrorem faciebant, cùm & nitor armorum auro argentoque decoratorum, & tinctura Medicarum Scythicarumque tunicarum æri ferroque splendenti intermixtæ inter agitandum igneum terribilemque aspectum obiicerent. Itaque Romani castris se continebant, neque vlla oratione metum eximere eis Sylla poterat, quin eius iussa subterfugerent: nam præter animi sui sententiam cogebatur quiescere, & barbarorum per ludibrium atque risum insultantium

tium ſuperbiam tolerare. Quanquam id quidem apprime rebus Syllæ vtile fuit. Hoſtes enim contemtis Romanis pleraque nullo ordine agere confuſe cœperunt, iam ante ob imperantium multitudinem non admodum dicto ducum audientes. Pauci in caſtris remanſerunt: maxima turba rapinis & populationibus illecta multorum dierum itinere ſparſim à caſtris diffluxit: ferunturq; tum & Panopeam excidiſſe, & Lebadiam diripuiſſe, oraculumq; deſpoliaſſe nullius ducis iuſſu. Sylla verò ęgerrime ferens ante oculos ſuos vrbes euerti, ociari milites non eſt paſſus: ſed & Cephiſum auertere ſuo alueo imperauit, & foſſas eruere, nulla cuiquam quiete conceſſa, & graui ſupplicio ſegues afficiens: id enim agebat vt laboribus illis laſſati, mallent aleam prœlij ſubire. Neq; id fefellit. Tertium enim diem operati, cùm Sylla inſpiciendorum operum cauſa acceſſiſſet, edito clamore precati ſunt, vt ſe contra hoſtes duceret. Reſpondit Sylla, non pugnare cupientium, ſed laborem detrectantium eſſe eam vociferationem: ſin verè decertandi cupiditas adeſſet, ſtatim cum armis eò contenderent. oſtendebat aũt collem, vbi olim arx Parapotamiorum fuerat, tũc poſt euerſam vrbem collis ſupererat ſaxoſus atq; præcipites circùm deiectus habens, tantum ab Edylio monte auulſus, quantum Aſſus interfluens occupat ſpacij, qui ſub ipſam radicem in Cephiſum incidens, vnaq; rapidior factus, lo- cum caſtris tutum atq; munitum reddebat. Itaq; Sylla cernens Chalcaſpides hoſtium ad eum contendentes, ſtatuit anteuertere, collemque eum alacritate militum adiutus occupauit. Poſteaquam verò inde repulſus Archelaus aduerſus Chæroneam ſe conuertit, Sylla, orantibus qui in caſtris erant Chæronenſibus ne vrbem ſuam deſtitueret, Geminium tribunum militum cum legione vna eò mittit, dimiſſis etiam Chæronenſibus: ſed ij quanquam anniterentur, non potuerunt tamen Geminio præuertere, adeo bonus ille vir erat, & ad ſalutem ferendam iis ipſis qui eam petebant celerior. Iuba non Geminium, ſed Hircium miſſum ſcribit. Sic tum patria noſtra præſens periculum effugit. A Lebadia autem & oraculo Trophonij omnia ſecunda, & vaticinia victoriam promittentia Romanis mittebantur: de quibus Bœoti plura dicunt. Ipſe Sylla libro cõmentariorum decimo ſcriptum reliquit, Q. Titium viũ haud ignobilem

*Sylla in mãlites ſeuerus.*

*Chæronea à Sylla ſeruata.*

13 bile, qui in Græcia negociabatur, ad se victoria iam apud Cheroneam potitum veniſſe, & annunciaſſe Trophonium prædicere, iterum ipſum non multo pòſt tempore eodem in loco prœlio victurum. Poſt hunc Saluenius, vnus de militibus eius, renunciauit quem finem rerum Italicarum Deus præmonſtraſſet. Vterq; autem idem vaticinium afferebat: nimirum viſam ſibi fuiſſe formam atq; magnitudinẽ Ioui Olympio parem. Sylla traiecto Aſſo præter Edylium montem progreſſus, contra Archelaum caſtra poſuit, qui tunc inter Acontium & Edylium ad Aſſios vallo ſe robuſto munierat: iſq; locus ab eo etiam Archelaus dicitur. Intermiſſo vno die, Murenam cum legione & duabus cohortibus reliquit, qui perturbatos hoſtes vexaret. Ipſe hoſtia apud Cephiſum mactata, ad Chæroneam iuit, vt copias quæ ibi erant ad ſe reciperet, & Thuriũ, quod occupauerant hoſtes, contemplaretur. Eſt aũt Thurium vertex aſper montis in metæ formam erecti; qui Orthopagus à nobis dicitur: infra amnem Morij & Thurij Apollinis templum. Nomen deo fecit (vt perhibent) Thuro Chæronis mater, eius qui Chæroneam cõdidiſſe traditur. Alij bouem, quem Cadmo ducem Pythius Apollo dedit, ibi apparuiſſe ferunt, atq; inde locum cognominatum: eſt enim Thor Phœnicũ lingua bos. Vt ad Cheroneam acceſſit Sylla, tribunus militum qui vrbem præſidio tenuerat milites in armis obuiam Syllæ eduxit, laureum ſertum ferens. Quo accepto cum milites conſalutaſſet, & ad fortitudinem eſſet cohortatus, compellauerunt eum duo Chæronenſes viri Homoloichus & Anaxidamus, promittentes ſe velle Thurij præſidium paucis ab ipſo datis militibus deiicere: eſſe enim callẽ barbaris ignotum, qui à Petrochoo iuxta Muſeum ſupra verticem Thurij adducat: eò ſe acceſſuros, atq; inde facto impetu hoſtes aut ſaxis obruturos, aut in planiciem depulſuros. Geminio his viris teſtimonium fortitudinis fideiq; ferente, rem aggredi Sylla iuſſit. Ipſe interim phalangem inſtruxit, equitibus in vtrunque cornu diſtributis, de quibus ipſe dextrum, læ-

*Thurius Apollo.*

14 uum Murena ducebat: Gallus & Hortenſius legati cum inſtructis cohortibus nouiſſimi apud montes ordinem ſeruabant, curaturi ne ab hoſte circumueniri acies poſſet. Apparebat enim hoſtes multis equitibus, leuiſque armaturæ militibus curſu celeribus cornu efficere, quod inuer-

inuerti & flecti facile posset: vt eo in longum porrecto Romanos circumdarent. Interim Chæronenses illi cum Hircio, quem ipsis Sylla præfecerat, occulte ad Thurium peruenerant, subitoq; hostibus se ostendentes, magnum apud eos tumultum, fugamque, in qua ipsi sese mutuo plurimi necabant, concitarunt: non enim substiterunt hostib. visis, sed per decliue ruentes, in hastas suorum inciderunt, inuicemq; per præcipitia sese deturbarunt, desuper impetum facientib. hostib. & nuda corpora ferientibus. Ita tria barbarorum millia apud Thuriũ cæsa sunt: fugientes partim Murena cõposito iam agmine occurrens trucidauit, partim ad castra sociorum erumpentes, in phalangẽ promiscue se ingesserunt, maximãq; suorum partem terrore & trepidatione repleuerunt, & (quæ nõ minima cladis fuit causa) vt duces aliquando quid agendũ esset incerti hærerent, effecere. Sylla enim in perturbatos confestim irruens, celeriter supe rato quod erat interiectum inter acies spacio, vsum omnem falcatis currib. ademit. ij enim maxime longitudine cursus vehementiam & impetum præbente valẽt: è propinquo autem emissi, nihil aut parum habent virium, sicut & iacula quæ comminus coniecta terrorem & vim nullam habent. Idem tũc barbaris vsu venit: & cum primi currus tardius incitati nulla vi ad hostes ferrentur, Romani eos cum plausu & risu auertentes, alias mitti iubebant: sicuti ludis Circensib. aliæ solent peti à spectatorib. post alias quadrigæ. Proinde pedestres copiæ prœlium conseruerunt. Barbari sarissas longas protendentes, testudinis in morem stipata acie conabantur phalangis suæ ordinem tueri. Romani proiectis pilis, strictis gladiis irruebant, & sarissas repellebant, ira accensi quam primum conserere manum cupientes. Videbant enim primã hostiũ aciem tenere seruorum quindecim millia, quos ab hostib. ad libertatem proposito edicto vocatos regij duces inter grauis armaturæ milites collocauerãt. Ac fertur quidã centurio Romanus dixisse, Nunquã sibi, ni si Saturnalib. visos seruos libertate frui. Eos sane hostes cum propter densitatem ordinum tarde pellerentur, & præter ingenium suum subsistere auderent, fundę quib. missilia torquebantur, & iacula quorum Romani post principia constituti magnam copiam emittebant, auerterunt atque perturbarunt. Cũ vero Archelaus dextrum cornu ad circũ-

*Pugnæ & victoria Syllæ ad Chæroneã*

dandos Romanos educeret, Hortēsius cohortes excurrere, & a latere in hostē impetū facere iussit: quib. cum celeriter obiecisset Archelaus bis mille, quos secum habebat, equites, multitudine pressus Hortensius ad montes se subduxit, ac paulatim à phalange diuulsus, ab hostibus cingi cœpit. Quod vbi Syllæ renunciatū est, a dextro cornu, quod nondum cōflixerat cum hoste, raptim suis auxilio accurrit. Sed Archelaus, id ex orto puluere coniiciens, omisso Hortēsio, ad dextrum cornu, vnde Sylla discesserat, se conuertit, vt id duce absente circūueniret. Simul & Taxilles chalcaspidas in Murenam adduxit. Itaq; sublato duab. è partib. clamore sonumq; montib. reddentibus, Sylla dubius animi vtri parti accederet, statuit tamen ad suum cornu redire: & Murenę Hortensium cum quatuor cohortib. auxilio mittens, ipse cum quinta ad dextrum cornu contendit. Ibi cum Romani sua sponte Archelao fortiter repugnassent, imperatore viso, hostem protinus fuderunt, effuseq; fugientes ad fluuium & Acontium montem persecuti sunt. Neq; vero Sylla Murenæ in periculo constituti oblitus est: sed tum demum per sequendis hostib. se dedit, cum & ab illa parte suos (quibus subuenire intēderat) vincere vidit. Multi barbarorum in cāpo cæsi sunt, plurimi cum ad castra contenderent: ita quidē vt de tot hominum millib. decem tantum millia Chalcidē perfugerint. Sylla de suis quatuordecim modo desideratos à se fuisse scribit: atq; ex his duos sub vesperam rediisse. Ideirco trophæis inscripsit Martem, Fortunā, & Venerem, fassus ad victoriam non minus prosperam sibi fortunam, quā peritiam & vires conduxisse. Id trophæū de campestri pugna statuit, postquam primum Archelaus vsque ad Molum amnem recessit. Alterum est trophæum in Thurij vertice positum de circundatis ibi barbaris, quod Græcis literis Homolōicho & Anaxidamo primam eius facti laudem tribuit. De hac victoria Thebis edidit certamina, scena apud fontem Oedipodis extructa: iudices certaminum ex aliis Græciæ vrbibus conuocauit. Implacabili enim ira Thebanos prosequebatur: agriq; eis partem dimidiam ademptam Pythio & Olympio diis consecrauit, ex reditibus persolui eam pecuniam iubens, quam ipse abstulerat. Secundum hæc cum Flaccum contrariæ factionis consulem creatum audiret, cum exercitu Ionium mare transmittere, in Thessaliam

*Summa victoria.*

saliam contendit: verbo quidem aduersus Mithridatem, re ipsa vt Flacco occurreret. Cum ad Meliteam peruenisset, vndique multi nuncij allati sunt, à tergo omnia vastari ab exercitu regio, qui non minor esset priore. Etenim Dorylaus Chalcidē magna classe appulerat, octoginta hominū millia adducēs, ita instructos atq; exercitatos, vt nulli melius in omnibus Mithridatis copiis essent. Atque is statim in Bœotiam facta impressione regionem obtinebat, Syllam ad pugnam allicere quātumuis reclamante Archelao cupiens: rumorem que de priori pugna serens, haud sine proditione tam multa hominum millia periisse. Sed Sylla celeriter reuersus, Dorylao ostendit, Archelaum prudentem esse virum Romanæq; virtutis peritissimum. Nam Dorylaus cum apud Tilphosiam in Syllam incidisset, atq; paululum modo eum esset expertus, primus deinde eorum fuit, qui nō pugna decernendum, sed tempore & impendiis ducendū bellum consulerent. Addidit tamen Archelao aliquid animi loci apud Orchomenum natura, in quo castra fecerant: iis qui equitatu præstarent ad decertandū aptissimus. Quod enim Bœotij campi pulcerrimum est & amplissimum, ad Orchomenio rum vrbē pertinet: iiq; soli campi aperti sunt, & arboribus vacui vsq; ad paludes extenduntur, in quas Melas absorbetur. Is fluuius infra vrbem Orchomenum ortus, solusq; omnium Græciæ amnium statim in ipsis fontib. ingēs atq; nauigabilis, sub solstitium æstiuū. Nili instar augetur, eadēq; quæ Nilus producit, nisi quod semine & incremētis carent: haud procul excurrit, sed maiori parte statim in paludes cæcas & herbis tectas absorbetur: pars haud magna Cephiso miscetur, quo maxime loco palus videtur calamos fistulis aptos ferre. Prope iam collatis castris, Archelao nihil mouente, Sylla actis vtrinq; fossis hostes locis solidis & equitatui commodis excludere, inq; loca palustria adigere conabatur: qui cum id permittere nollent, emissiq; à ducibus magno cum impetu in Romanos irruerent, non fossores modo dissipati sunt, sed & ordines aciei pleriq; disiecti fugā ceperunt. Ibi Sylla equo desiliēs, arrepto signo per suos fugientes in hostē se propipuit, vociferās: Mihi quidem, Quirites, hic occūbere expedit: vos interrogati quo loco imperatorem vestrum prodideritis, apud Orchomenum memineritis respondere. Inhibuit hoc dictum fugam, & duæ à dextro

*Dorylaus à Sylla vincitur.*

dextro cornu cohortes auxilio venerunt: ita in hostem duxit; eumq; repulit. Tum aliquantulum retro suos abducēs, prandiumq; prębens, rursum fossa circumuenire castra hostium intendit. Rursum hostes meliori quam ante ordine impetum fecerunt. Ibi Diogenes Archelai priuignus in dextro cornu præclara edens virtutis opera cadit: sagittarij cū Romanorum vim nō sustinerent, neq; locus esset quo sese reciperent, comminus eos frequentib. sagittis tanquā gladiis ferientes repulerunt: tandem in castra inclusi noctem ob vulnera & cædes difficilem exegerunt. Facta die, rursus milites suos ad hostium castra adduxit Sylla, & fossas egit: eosq; multa manū ad pugnā exeuntes commisso prœlio fudit: cūque hi tantum reliquis terrorem incussissent, vt manere nemo auderet, castra cepit. Sanguine & cadauerib. barbarorū qui tum cæsi sunt paludes lacusq; repleti sunt, atq; adeo hodie etiam, elapsis ab ea pugna annis prope ducentis, barbarici arcus, galeæ, thoracum ferreorum fragmenta, & gladij lacubus immersi reperiuntur. Hoc modo res apud Chæroneam & Orchomenum gesta fertur. Cinna autem & Carbone Romæ præclarissimos viros vi & iniuria afficientib. multi tyrannidem fugientes in Syllæ castra tanquam portum aliquem confugiebant, ac breui temporis spacio senatus quædam forma circa ipsum extitit. Metella etiam cum sese & liberos haud absq; difficultate furtim subduxisset, venit marito annuncians domum eius & villas ab inimicis incensas, oransq; vti reb. domesticis subueniret. Incerto tum animi Sylla, cum neq; patriam afflictā destituere vellet, neq; rationem inueniret discedendi bello Mithridatico non confecto, Deliacus quidam mercator Archelaus ad eum venit, sermonib. quibusdā Archelai regij ducis renunciatis in bonam spem eum deducens. Id adeo gratum fuit Syllæ, vt nihil prius duxerit, quam cum ipso Archelao colloqui. Conuenerunt apud Delium prope mare, vbi Appollinis fanum est. Ibi cum Archelaus initio colloquij facto Syllam hortaretur vt acceptis à rege pecuniis, triremib. & quantis vellet copiis ad bellum Romanum proficisceretur, Asia & Ponto omissis: Sylla excipiens sermonem, Archelaum Mithridate neglecto ipso regnum occupare, traditisque nauib. socium Romanorum fieri iussit. Abominante proditionem homine, Tu ergo, inquit, Cappadox cum sis Archelae, & barbari

*Sylla cum Archelao pacificatio.*

regis

regis seruus, aut (si ita vis) amicus, rem turpem tanta proposita vtilitate non admittis? me vero Romanum ducem, & quidem Syllam, audes de proditione appellare? quasi vero nō iste sis Archelaus, qui cum perpaucis ex centum viginti millib. tuorum superstitib. à Chæronea fugit, biduum in lacubus apud Orchomenum delituit, Bœotiam cadauerib. inuiam effecit. Mutato inde consilio Archelaus, Syllæ supplicauit, orauitque vt bellum desineret, & cum Mithridate pacta iungeret: idq; Sylla his conditionib. annuit, si Mithridates Asia & Paphlagonia missis factis, Nicomedi Bithyniā, Cappadociam Ariobarzani concederet, bis mille talenta Romanis numeraret, septuaginta naues æratas cum instrumento daret: ita Sylla reliqua ipsi regna stabiliret, ac socium P.R. nuncuparet. His ita conuentis, Sylla per Thessaliā & Macedoniam ad Hellespontum perrexit vna cum Archelao: quem & in honore habuit, & periculoso morbo correptum apud Larissam, itinere interrupto perinde atq; suorum aliquem collegarum aut ducum curauit. Cum hoc sermoni occasionem dedit, apud Chæroneam mala fide pugnatum fuisse: tū quod reliquos Mithridatis amicos quos captiuos habebat, reddens, solum Aristionem tyrannum veneno sustulit, Archelai inimicum: maxime autem, quod Archelao in Eubœa decem millia iugerum agri dedit. eumque P.R. amicum & socium pronunciauit. Verum hæc ipse in commentariis Sylla refellit. Cum legati à Mithridate eodem peruenissent, qui Mithridatem probare conditiones referebant, Paphlagoniam tamen ne eriperet ei orabant, de nauibus quoque conuenisse negabant: stomachatus Sylla, Quid narratis, inquit? Mithridates de Paphlagonia contendit, & de nauibus actum negat, quem ego flexis genibus diis acturum gratias censebam, si dextram ipsi manum non amputassem qua tot Romanos necauit. næ is mox alias voces emittet vbi in Asiam ego traiecero: nunc Pergami sedens de bello non viso quantum libet disputet. His territi legati obticuerunt. Archelaus autem Syllæ manum prænsans atque lacrymans & flagitans iram leniit, tādemque persuasit vt ad Mithridatem ipse mitteretur: se enim ex sententia Syllæ pacem compositurum, ac nisi id obtinuisset, sua se manu occisurum. Ita Misso Archelao Sylla Mædicam irrupit, populatusque magnam regionis eius

*Sylla in legatos Mithridatis seueritas.*

parten;

partem, in Macedoniam rediit. Apud Philippos Archelaus eum conuenit, omnia recte habere nuncians: cupere autē omnino Mithridatem cum ipso colloqui. In causa potissimum fuit Fimbria, qui diuersæ factionis duce Flacco interfecto, ipsum Mithridatem victis eius ducibus petebat: hunc rex metuens, maluit cum Sylla amicitiam iungere. Conuenerunt Dardani in Troade: Mithridates cum nauibus vnicremibus ducentis, terrestribusq; copiis, nempe viginti millib. grauis armaturæ militum, & equitum sex millib. multisque falcatis curribus: Sylla cum quatuor cohortibus, & ducentis equitibus. Obuiam procedentem Mithridatem, & dextram protendentem Sylla interrogauit, pacemne iis quib. receperat Archelaus conditionibus acciperet: & tacente rege, Atqui, inquit, eorum qui petunt est, vt priores verba faciant: victori satis est tacuisse. Vt vero rex orsus sui purgationē, belli partem diis, partem ipsis Romanis imputare conatus est, ita ei subiecit Sylla: equidem & audiui ex multis, & nunc ipse experior, summa te vi dicendi præstare, cum honestis in speciem sermonibus pro factis pessimis & iniustissimis non destituare. Facta proinde eius crudelia demonstrans atque culpans, rursus idem interrogauit: cum is annuisset, ita demum salutauit, amplexusq; osculum iunxit. Ariobarzanem inde & Nicomedem reges adduxit & cū eo conciliauit. Ita Mithridates traditis septuaginta nauib. & quingentis sagittariis, in Pontum nauigauit. Sylla autem militibus suis pacificationem eam ægre ferentibus (quippe infensissimum regem, & qui CL. Romanorum millia per Asiam vno die vt iugularentur effecerat, indignum putabant videre cum spoliis & opibus ex Asia nauigantem, quā continuos quatuor annos rapinis & exactionibus vexauerat) ita se purgauit, vt diceret non fuisse sibi satis virium cōtra Fimbriam simul & Mithridatem, si hi copias aduersus ipsum coniunxissent, belligerandi. Inde versus Fimbriam duxit, castra apud Thyatira habentem: & iacto prope eum vallo, castris fossam circumduxit. At Fimbriani milites tunicati ex castris progressi Syllanos consalutauerunt, & in opere faciendo strenue eos adiuuerunt: Fimbria defectionem suorū cernens, Syllæq; irā implacabilem veritus, ipse sibi in castris mortem conscisciuit. Sylla totam Asiā viginti millibus talentorū mulctauit: priuatim autem luxu eorum quos in statiuis

*Cum Mithridate colloquiū, & pacificatio.*

*Asia à Sylla vexata.*

ſtatiuis poſuerat domos exhauſit. Cogebatur enim hoſpes ei quem excipiebat hoſpitio quotidie ſedecim denarios pẽdere, eidemq; & amicis quotquot is vocaſſet, cœnã præbere: qui ordines ducebat, is in diem quinquagenos accipiebat denarios, & aliã veſtem qua domi, aliam qua in publicũ progrediens vteretur. Omnib. poſt hæc nauib. ſoluit ab Epheſo, tertioq; die in Piræeum appulit. Ibi ſacris initiatus, Apelliconis Teij bibliothecam ſibi exemit, in qua pleriq; Ariſtotelis & Theophraſti habebantur libri, nondum planè vulgo cogniti. Fertur ea bibliotheca Romam perlata, Tyrãnionem grammaticum pleroſq; libros compilaſſe: ab eo adeptum exemplaria Andronicum Rhodiũ, in mediũ protuliſſe: atq; edidiſſe ea, quę hodie circumferũtur volumina. Et quidem apparet ſuperioris ætatis Peripateticos ipſos elegãtis ingenij ſtudiiq; fuiſſe; Ariſtotelis autẽ libros & Theophraſti neq; multos neq; accurate legiſſe, quod hi a Nelei Scepſij (cui libros Theophraſtus reliquerat) hærede ad rudes & ſordidos homines peruenisſent. Porro Syllæ Athenis cõmoranti dolor cum torpore & grauitate pedes inuaſit, quem Strabo podagram balbutientem vocat. Itaq; traiecit Adepſum, ibiq; thermis vſus eſt, ocio indulgens, & inter hi- 16
ſtriones agens. Cum ad mare aliquãdo deãbularet, piſcatores quidã perpulcros ad eũ piſces attulerunt: delectatus eo munere, cum Alæenſes eſſe qui obtuliſſent audiret, Viuitne, inquit, ergo adhuc hodie quiſquã Alæenſium? (Quo enim tẽpore potitus apud Orchomenum victoria hoſtes inſequebatur, tres ſimul Bœotiæ vrbes exciderat, Anthedonẽ, Larymnam, & Alæas) Cum prę metu obmutuiſſent illi, ſubridens, abire eos, & bono animo eſſe iuſſit: veniſſe enim ad ſe non cum leui, aut cuius gratia non deberet ipſis prodeſſe, dono. Ea primum voce confirmati Alæenſes ferũtur rurſus in patriam ſuam cõueniſſe. Hinc per Theſſaliam & Macedoniã ad mare profectus Sylla, ſtatuit à Dyrrhachio mille & quingentis nauib. Brunduſiũ traiicere. Prope eſt Apollonia, & apud eam Nymphæum locus ſacer, qui ex viridi 17
herba & pratis fontes ignis perennis ſparſim emittit. Ibi ferunt dormientem Satyrum, ea forma qua fingi & pingi eos videmus, captum & ad Syllam adductum fuiſſe: hunc interrogatum per multos interpretes quisnam eſſet, ægre vocẽ edidiſſe, non quæ intelligi poſſet, ſed aſperam, ac mixtam equino

*Bibliothecam Syllæ Romam deuehit.*

*Satyrus captus.*

tam equino ex hinnitu & hirci balatu: eaque territum Syllam, abominatum à se dimisisse. Transfretaturus autem cum metueret, ne milites Italia apprehensa secundum oppida ab ipso dilaberentur, primum ipsi vltro iurauerunt, mansuros se cum Sylla, neque sua sponte vllo Italiam maleficio affecturos: deinde magna pecuniæ vi indigere imperatorem cernentes, ipsi suarum pecuniarum quasi primitias pro facultatibus quisque suis contulerunt. Non accepit eas primitias Sylla, sed collaudauit milites, cohortatusque eos vt ex re videbatur, transmisit (vt ipse narrat) cum CCCCL. cohortibus contra quindecim hostiles duces. Successum euidentissime dij præmonstrarunt. Statim enim atque in Italiam perueniisset, apud Tarentum sacrificanti, fibra iocinoris laureæ coronæ, duobusq; dependentib. lemniscis similis visa est. Et paulo ante, quam in Italiam transmisit, in Campania apud Hypheum montem interdiu duo magni hirci decertare visi sunt, atq; omnino pugnantium hominum gestus exprimere: fuit autem phasma, & paulatim à terra elatum, sparsim per aerem dissipatum abiit obscuris simile imaginibus, atque ita euanuit. Neque multo post iisdem in locis Mario iuniore & Norbano consule magnas contra Syllam copias adducentibus, Sylla neque acie instructa, neq; ordinibus exercitus sui constitutis robore tantum communis vniuersorum alacritatis audaciæq; impetu vsus, hostem fudit, septemq; hominum millibus cæsis, Norbanum Capuam compulit atq; includit. Hac victoria testatur ipse effectum fuisse, ne milites sui per oppida se diuiderent, sed coniuncti hostes, quorum vix aliquanta parte numerum æquabant, contemnerent. Atq; idem Siluij aitad se venisse Pontij seruum diuino furore concitum, dixisseq; eum, à Bellona ipsi vim & victoriam belli denunciari, sed nisi maturauerit, Capitolium statim incēsum fore. id quod ea, quam dixerat, die accidit. nimirum pridie Nonas Quintiles. M. etiam Lucullus, vnus ex legatis Syllæ, cum apud Fidentiam cohortes sedecim quinquaginta hostilibus oppositas haberet, remq; gerere cunctaretur, quod tametsi militum animis fideret, multi tamen inermes essent: dum animi dubius hæret, aura mollis à prato in propinqua sito planicie multos flores aduehens in exercitum deiecit, qui illapsi scutis & galeis fortuito inhæserunt, ita vt hostibus coronati vi-

*Sylla in Italiam reditus.*

*Norbanus vincitur.*

18

nati viderentur. inde aucta fiducia prœlium conſeruerunt, hoſtiumque octodecim millibus cæſis, caſtra etiam ceperunt. Is Lucullus frater fuit eius Luculli, qui Mithridatem poſtea, & Tigranem debellauit. Cæterum Sylla multos ſibi adhuc & magnos hoſtium vndiq; circumfuſos exercitus videns, aſtu etiam eſſe agendum ratus, alterum conſulum Scipionem ad pacificationem inuitauit: neque id abnuit ille. Cum eſſent aliquot colloquia habita, ſemper aliquas procraſtinandi occaſiones inueniēs, & prætextum Sylla, interrim ſuorum militum (qui ducis exemplo ad omnē fraudē & impoſturam erant exercitati) opera Scipionis exercitū corrupit: ingreſſi enim hoſtium caſtra, & conuerſati, alios ſtatim argento, alios promiſſionib. quoſdam adulando & ſuadendo Syllæ conciliarunt. Tandem cum Sylla cum viginti cohortibus ad caſtra acceſſiſſet, milites Scipionis eū ſalutarunt, ſeq; ei coniunxerunt. Scipio ſolus in tentorio deprehenſus, & dimiſſus eſt. Ita Sylla viginti ſuis cohortib. tanquam ad alliciendum aſſuefactis auiculis, quadraginta hoſtiles aucupatus, vniuerſos in caſtra abduxit. Cum quidem Carbo etiam dixiſſe fertur: Sibi aduerſus leonem & vulpem in animo Syllæ habitantes certanti, plus à vulpe moleſtiæ, quam à leone exhiberi. Secundum hæc apud Signium Marium LXXXV. cohortibus ſtipatus Syllam ad prœliū prouocauit: neq, vero quicquam hic, quam eo die pugna decerne re malebat. Viderat enim per inſomnium Marium patrem filio mandare vt inſequentem diem caueret, quippe magnā ipſi calamitatem adferētem. Ob hoc Sylla pugnæ cupidus, Dolobellam caſtra alio loco habentem ad ſe vocabat. Cęterum hoſtib. itinera obſidentibus & viam obſtruentibus Sylani pugna viam faciendo fatigabantur: ſimulq; ingens imber effuſus incommodum augebat. Quare centuriones ad Syllam accedentes, orabant vt prœlium differret: oſtendentes ſimul milites præ defatigatione proſtratos, humiq; ſuper ſcutis quietis captandæ cauſa iacentes. Vt inuitus quāpropter libet Sylla conceſſit, caſtraq; moueri iuſſit: iam vallum iacere, & foſſam ducere militibus incipientib. Marius citato equo primus omnium aduehitur, ferox, & turbatos incompoſitosq; Syllanos diſſipari à ſe poſſe fidens. Sed eo tempore quod inſomnis Syllæ diuinitus erat prædictum, factum eſt. Syllani enim milites ira correpti, miſſis operib. defixisq;

*Pugna aduerſus Marium iuniorem.*

apud fossam pilis, gladiis strictis, clamoreq; militari sublato cum hostibus manum conseruerunt: neque hi impetum eorum diu sustinuerunt, sed effuse fugientes magna sunt affecti clade. Marius cum Prænestæ fuga peruenisset, portas iã clausas offendit: & demisso per murum fune sese cingés, ita in vrbem assumptus est. Quidam, atq; inter hos Fenestella, ne sensisse quidem eam pugnam Marium aiunt, sed vt erat vigiliis & laborib. defessus, dato signo humi in vmbra se reclinasse, & somno dedisse, ac vix fuga facta demum euigilasse. Eo prælio hostiũ viginti millib. cæsis, octo millib. captis, se non nisi viginti tres suorum desiderasse scribit Sylla. Eademq; etiam legati eius Põpeius, Crassus, Metellus, ac Seruilius vsi sunt fortuna: qui aut nulla, aut leuia passi incõmoda, magnas hostium copias deleuerunt: adeo vt Carbo, qui maxime vnus contrariã factionem continebat, noctu à suis castris profugerit, Africamq; mari petierit. Extremo certamine Telesinus Samnis Syllam adortus laborib. iã confectum, veluti athleta occasioni insidiatus, parũ abfuit quin sterneret ante ipsas iam Romæ portas. Is Telesinus cum Lãponio Lucano magna manu conducta, Prænestæ contendit, vt obsidioni Marium eriperet: mox intellecto contra se Syllam à fronte, Pompeium à tergo venire, progressu simul & regressu prohibitus, vt erat homo bellicosus & magnorũ certaminum peritus, noctu motis castris cum vniuerso exercitu Romam petiit. Haud procul abfuit, quin in vrbem custodiæ vacuam irrupisset: castris prope Collinam portam à stadiis decem positis, stationem ante vrbem habuit, elatus animo atq; spe plenus, quod tantos torq; duces arte bellica circumuenisset. Ineunte die cum nobilissimi iuuenes equites ab vrbe contra ipsum venissent, cum alios, tum Appium Claudium nobilem bonumq; virum deiecit. Orto inde, vt par erat, tumultu Romæ, clamoreq; mulierbri, & discursu veluti capta iã vrbe, primus a Sylla veniens Balbus visus est, equites septingentos citato cursu adducens: isq; tantum moræ interponens, dum à sudore equi refrigerarẽtur, mox frænatos iterũ in hostem admisit. Interim & Sylla aduenit, iussisque primis prandere, statim exinde ordines instruxit: Dolobellamq; & Torquatum multa orãtes vt inhiberet exercitum, neque defatigatis militibus de summa rerum decertaret (non enim cum Carbone aut Mario, sed Sãnitibus

*Pugna Sullæ aduersus Telesinum & Lamponium.*

nitibus & Lucanis, infensissimis Romæ hostib. rem ipsi fore) auersatus, classicum canere iussit, iam sub decimam horam die inclinante. Haud vllum eo acrius fuit certamen. Dextrum cornu, quod a Crasso ducebatur, cum haud dubie vinceret, læuo laboranti, & male habenti Sylla auxiliũ tulit, albo equo celerrimo & ferocivectus. In agnitum eo signo duo hostium milites hastas iaculati sunt: quod cũ ipse non præsensisset, equisone equum flagello incitante, tantum euasit, vt cuspides apud caudam equi in vnum collapsę in terram defigerentur. Ferunt eum Apollinis imaguncula auream Delphis allatam semper in prœliis solitum in sinu circumferre: tunc etiam exosculatum esse, italocutum: Itáne Apollo Pythie, Cornelium Syllam Felicẽ cum in tot prœliis extuleris illustrem, nũc ad portas patriæ adductum proiicies, turpissime cũ suis perditum ciuibus? Ita deos compre catum, inde suorum alios obtestatum, aliis minatũ, quosdã inhibuisse: attrito ad extremum sinistro cornu, fugientib. permistũ in castra euasisse, amissis sociorum suorum atque familiarium multis. Non pauci etiam eorũ, qui ex vrbe spectatum processerant, cæsi aut obtriti sunt. Omninoq; tum actum de vrbe videbatur, & parum abfuit, quin Marius etiã obsidione liberaretur. Etenim multi ex fuga Prænestę perlati Lucretium Ofellã obsidioni præfectum hortabãtur, vt statim castra moueret, Sylla scilicet iã sublato, & Roma ab hostib. occupata. Adulta iam nocte in castra Syllæ quidam à Crasso missi venerunt, cœnam ipsi suisq; petẽtes: hi victos hostes Antemnas vsq; insecuti, ibi castra fecerant. Hoc, & periisse maiorem hostium partem audito Sylla, mane Antẽnas peruenit: atq; trib. hostiũ millib. per præconem pacem poscentib. impunitatem ea conditione promisit, si impositopriusreliquis hostib. damno, ita ad se venirent: atq; hi fidem promissis habentes, reliquos adorti, multiq; tum hostium mutuis cædib. absumpti sunt. At vero Sylla & his, & qui præterea accesserãt, circiter sex hominum millia, apud Circum congregatis, senatum in ædem Bellonę vocauit: simulq; & ipse dicere, & quib. mandatum erat cædere deditícios istos cœperunt. Sublato, vt erat consentaneum, tanta multitudine in angusto loco cæsa, clamore, ac perterritis senatoribus: ipse vt tum verba faciebat, constanti, & nihil mutato vultu, animum eos orationi suæ adhibere iussit,

neq; curare quid foris fieret : quoſdam enim modo malos homines ſuo iuſſu caſtigari. Non erat quiſquam Romanorum adeo ſtupidus, vt non ea re intelligeret, translatam eſſe, non ſublatam tyrannidem. Sane Marius cum eſſet iam inde ab initio ſæuus, intendit, non mutauit ob potentiam id, quod ei erat ingeneratum à natura. At Sylla cum mediocriter primum, & ciuiliter fortunam tuliſſet, opinionemq; de ſeſe ducis optimatum partibus fauentis, populiq; vtilitatem ſpectantis excitaſſet, ad hęc à puero & ad riſum pronus, & ad miſericordiam mobilis fuiſſet, vt facile illacrymaret: effecit, vt veriſimile iam videretur, quod dici ſolet, magnâ " potentiam eorum, qui ipſam adepti eſſent, ingenium mutare, & væcordiam, inſtabilesq; & inhumanos mores efficere. Quod ipſum motus ne ſit & mutatio naturæ à fortuna proueniens, an vero latentis alicuius vitij per licentiam reuelatio, alio loco diſputandũ eſt. Cum cædib. ædendis Sylla ſeſe dediſſet, eæq; neq; numero iam neq; termino cõtentæ vrbem implerent, multorum ipſo, quibus nihil ſecum fuiſſet rei, priuatorum odiorum cauſa necis poteſtatem amicis ſuis donante: quidam ex iunioribus C. Metellus in ſenatu Syllam percontari auſus eſt, Ecquis tandem eſſet finis malorum futurus, ac quonam vſq; ipſo progreſſo ſperandum eſſet fore vt à cædibus deſiſteretur. non enim hoc iam à Sylla peti, vt quos neci deſtinaſſet, iis parceret: ſed quoniam hoc in ambiguo eſſet, aperiret ſaltem quos ſuperſtites eſſe vellet. Reſpondenti tum Syllæ, nondum ſibi conſtare, quib parcendum ducat, ita ſubiecit : Ergo quos ſtatueris occidere, indica. idq; ſe facturum Sylla recepit. Quidã poſterius hoc dictum non Metello, ſed Aufidio vni ex Syllæ aſſeclis tribuunt. Enimuero Sylla continuo, re cum nullo procerum communicata, octoginta viros proſcripſit. Indigne omnibus hoc ferentib. vno die interiecto, alios ducentos & vigiti proſcripſit: tertio die rurſus totidem. Ac de his proſcriptionibus in concione dixit, Eos modo à ſe proſcriptos, quorum recordari potuiſſet : reliquos qui nunc memoria exciderent, proſcripturum vbi in memoriã rediiſſent. Qui proſcriptum excepiſſet atq; ſeruaſſet, ei humanitatis pręmium ſupplicium capitis ſtatuit, non fratre, non filio, non parentibus exceptis: præmium occiſori duo talenta, etiam ſi dominum ſeruus, aut patrem filius iugulaſſet. Id omnium in-

iuſtiſſi-

iustissimum videtur, quod proscriptorum filios & nepotes honoribus exclusit, & bona publicauit. Neq; Romę solum, sed per omnes Italiæ vrbes proscriptio vagata est. Non ædes deûm, non hospitales penates, non paternæ domus à cædib. puræ fuerunt: quin & coram vxoribus mariti, & coram matribus filij iugulabantur. Iam qui propter iram aut inimicitias necabantur, vix minimam partem eorum æquabant, qui propter opes occiderentur: quippe ipsis percussoribus subibat dicere, Hunc ædium splendidarum causa iugulari, illum horti, alium thermarum. Et Q. Arbelius, vir ocio totus deditus, qui non alia ratione ad se ista mala pertinere existimabat, quam vt aliorũ calamitates miseraretur, in forum progtessus tabulam proscriptionis legit: in qua cum suum quoque nomen reperisset, Eheu, inquit, me miserum: prædium in Albano meum me persequitur: paulum inde progressus, ab insequente quodam est trucidatus. Interim Marius cum in potestatem hostium venisset, sibi mortem consciuit. Proinde Sylla Prænestę profectus, primum viritim causis cognitis plectebat oppidanos: post tanquam ocium non esset, in vnum omnes conductos duodecim hominum millia necari iussit, soli hospiti impunitate concessa. Verum is generose admodum Syllæ cum respondisset, Nunquam se patriæ interfectori gratias ob salutem oblatam acturum, sponte sua ciuibus suis se permiscuit, cũque iis est interfectus. Nihil magis insolens fuit, quam L. Catilinæ facinus. Is cum rebus adhuc incertis fratrem occidisset, tum demum à Sylla impetrauit, vt eum tanquam vium proscriberet. Cuius rei causa Syllæ gratiam referens, M. quendam Marium contrariæ factionis hominem iugulauit, caputq; eius ad Syllam in foro sedentem attulit, aggressusq; ad Apollinis vas asperforium, quod proxime erat, manus abluit. Præter has cædes fuerunt & alia, quæ populum lædebant. Dictatorem enim seipsum Sylla constituit: ab annis c x x. id genus magistratus reducens. Decretum ei est, vt quidquid hactenus feciſſet, id impune feciſſet: in posterum data potestas necis, publicationis, agri diuidendi, condendi & euertendi vrbes, regna quib. vellet adimendi aut donandi. Publicata bona adeo superbe ac pro dominio diuendebat pro tribunali sedens, vt largiendo quam adimendo fuerit molestior: quippe mulieribus formosis, ci-

*Catilinæ flagitium.*

tharœdis, mimis, perditissimisq; libertis populorũ agros, & vrbium reditus dabat: quibusdam etiã inuitas mulieres nuptum dabat. Pompeium Magnum vt sibi necessitate deuinciret, dimittere vxorem suam iussit: & Aemiliam Scauri & Metellæ (quæ Syllæ vxor erat) filiam, prægnantem tum M. Glabrioni ademit, Pompeioq; coniunxit. Ea in partu apud Pompeium obiit. Lucretium Ofellam, eum qui Marium ob fidionе ceperat, consulatum petentem primo prohibuit: deinde cum is multorum fauore fretus in forum veniret, misso centurione interfici iussit, ipse pro tribunali ad Castoris sedens, & de sublimi cædem spectans. Cum ab iis qui aderant captus centurio ad se adduceretur, silentio tumultuantibus indicto, suo iussu illum cæsum dixit, missumque fieri centurionem iussit. Triumphus eius cum magnifico sumptu & raro adspectu regiorum spoliorum esset splendidus, plus tamen dignitatis habuit, & pulcrius spectaculum præbuit propter exules: nobilissimi enim & potentissimi ciuium sertis redimiti currum sequebantur, seruatorem & parentem Syllam vocantes, quippe cuius opera in patriam redirent, vxoresq; & liberos reciperẽt. Omnibus confectis, rerum gestarum rationes in foro edens, haud minori diligentia fortunæ quam virtutis opera recensuit: & ad extremum ob tam prosperos euentus Felicem se cognominari iussit. Græcis scribens, aut responsa dans, Epaphroditum se (Veneri charum, & quasi Venustum) appellauit: estq; ita in trophæis eius scriptum apud nos: L. Cornelius Sylla Epaphroditus. Et cum Metella gemellos peperisset, masculo Faustum, femellæ Faustam nomen fecit. In tantum autem felicitati potius, quam actionibus confisus est, vt cum & permultos necasset, & tam multas magnasque in vrbem mutationes intulisset, tamen dictatura se abdicauerit, populoq; comitiorum consularium concessa potestate, ipse non accesserit, sed in foro tanquam priuatus, obambularit, vt qui vellet, in ius trahere ipsum posset. Et quidem M. Lepidus ferox homo, & Syllæ inimicus videbatur haud dubie contra voluntatem ipsius consulatum obtenturus: populo non eius, sed pro eo intercedentis Pompeij rationem habente. Itaque Sylla Pompeio, cum is victoria lætus concione abiret, ad se vocato, Egregie (inquit) ô iuuenis factum à te est, quod in cõsulibus designandis Catulo Lepidus, optimo viro stolidissimus

*Pompeij affinitas.*

*Cognomen Felicis.*

lidissimus præferretur : tempus iam nunc est tibi vigilare, qui vires aduersarij tui auxeris. Atque hoc quasi vaticinatus est Sylla. Lepidus enim statim libidine elatus, Pompeianis partibus bellum fecit. Sylla cum omnium facultatum decimã partem Herculi consecraret, magnifica populo epula exhibuit, tantumque fuit apparatus superuacanei, vt multæ quotidie carnes assæ in profluentem abiicerentur, vinum quadraginta & plurium etiam annorum biberetur. Cum epula hæc per plures dies producerentur, medio tempore Metella ex morbo decessit. Cum autem sacerdotes ipsum ad eam accedere, funereque vxoris domum inquinari prohiberent, nuncium ei adhuc viuenti remisit, & in aliam domum transferri iussit. Cui legi cum motus superstitione perdiligenter satisfeciſſet, aliam a sese de funerum impensis latam neglexit, nulli sumptui parcẽs, sicut & quas de conuiuiorum frugalitate sanxerat : cum ipse luctum suum compotationibus & conuiuiis, quibus & luxus & scurræ adessent, leniret. Paucis pòst mensibus cum gladiatorum spectaculum exhiberetur, vt erat tum theatrum ordinibus nondum distinctum, sed promiscue mulieres virique sedebant, prope Syllam sedit Valeria & formæ elegantis, & familiæ splendidæ mulier, Messalæ nimirum filia, Hortensiique oratoris soror, nuper à marito suo repudiata. hæc à tergo Syllæ transiens, manu ei immissa filum de toga extraxit, & ad sedem suam rediit. Cum Sylla admiratione motus respiceret, Nihil, inquit ea, ô dictator, mali est : volo enim ipsa quoque aliquãtulum de tua felicitate participare. Nõ iniucundum id Syllæ dictum fuit, statimq; haud obscure titillationem indicauit : misit enim qui de nomine, genere, vitaq; eius percõtarentur. Hinc mutui intuitus, crebræq; vtrinq; faciei obuersiones, & blãdi visus, ad extremũ pactiones etiam nuptiales, quæ vt Valeriæ fortassis vitio dari non possint, at Sylla tamen etsi pudicam & nobilem, non tamen initio vsus pudico & honesto duxit : aspectu videlicet, & lasciua facetia, vnde affectus moueri turpissimi atque impudentissimi solent, pueri instar ductus. Et vero quantumuis hãc domi vxorem haberet, tamen inter mimas, citharistas, & histriones agebat, super toris cũ eis totos dies potãs. Atq; id genus hominum tunc apud ipsum plurimum valebat, Roscius Comœdus, Sorex mimorũ princeps, Metrobiusq; histrio;

histrio: quem etiamsi ætate iam adultiorem perpetuo tamẽ
" à se amari nõ inficiabatur. Inde factum est vt morbum vili
ex causa ortum aluerit, diuq; non animaduerterit pus in vi-
scerib. sibi natũ: vnde & tota caro corrupta ita in pediculos
abiit, vt quamuis dies noctesq; multi eos decuterent, tamẽ
dempti minima pars eorum qui subinde enascebantur es-
sent; omnisque vestis, omne balneum, omne lauacrum &
cibus exundatione istarum sordium oppleretur. Itaque in-
terdiu sæpe in aquam descendebat abluendi & detergendi
corporis causa: sed nihil proficiebat, cum ea mutatio cele-
ritate præualeret, multitudoq; omnem purgationem supe-
raret. Ex antiquissimis ferunt Acastum Peliæ F. morbo pedi
culari extinctũ fuisse: ex posterioribus Alcmanem lyricum,
Pherecydem theologum, Callisthenem Olynthium in car-
cere inclusum, atque Mucium etiam iurisconsultum: præ-
terea (siquidem facienda est mentio eorum, qui nulla re bo
na memoriam tamen sibi pepererunt) Eunum fugitiuum,
qui seruilis per Siciliam belli autor fuit, cum captus Romã
esset perductus, ibi phthiriasi obiisse traditum est. Cæte-
rum Sylla non modo præsagiit suum obitum, sed & quo-
dammodo de eo scriptum reliquit. Nam vigesimum secun-
dum commẽtariorum librum biduo antequam moreretur
scribens, finem operi fecit: refertque & Chaldæos ipsi præ
dixisse, quod post exactam præclare vitam esset in ipso feli-
citatis vigore discessurus: & filium suum, qui paulo ante Me
tellam fato functus fuerat, per insomnium sibi sordida in
" veste apparuisse, & orasse, vt finem curis statueret, secum-
que ad matrem Metellam abiret, & ibi vna vitam solicitu-
dinum & negociorum vacuam degeret. Neque tamen à
23 tractandis negociis publicis abstinuit. Decem enim ante
mortem diebus composuit Dicæarchensium seditionem, le
gesq; iis præscripsit. Pridie quam fato concederet, cum au-
diret Granium prætorem æs alienum grande, quod ærario
debebat, non persoluere, sed mortem ipsius operiri, voca-
tum ad se in cubiculum à famulis suis suffocari iussit. Eo
clamore Sylla & agitatione corporis cum apostema rupis-
set, multum eiecit sanguinis: atque exinde deficientib. virib.
*Syllæmors.* nocte difficulter superata mortuus est: relictis ex Metella
duobus infantibus. Nam Valeria post mortem eius filiam
peperit, quam more Latino Posthumam dixerunt. Proinde
cum ple-

cum pleriq; facta cum Lepido coitione cadauer Syllæ iuſtis *Funus.*
funebribus prohibere molirentur: Pompeius tametſi Syllæ ſuccenſeret, quod ſolum ex omnibus amicis eum in teſtamento præteriiſſet, quibuſdam gratia & precibus, aliis minando permotis, cadauer Romam deduxit, funeriq; & ſecuritatem & honorem contulit. Ferunt tantam à mulieribus aromatum vim Syllæ ingeſtam, vt præter ea quæ in CCX. feretris illata ſunt, iuſtæ magnitudinis imago Syllæ efficta ſit, atque lictoris, ex thure pretioſo & cinnamomo. Cæterùm cum ab aurora dies iſte nubilus fuiſſet, pluuiæque expectarentur, nona demum hora funus elatum eſt. Ibi ventus cum procella in rogum incubuit, multaque flamma excitata corpus cremauit. Vix rogus abſumtus, igniſque ſopitus fuit, cùm ingens effuſus imber vſque ad noctem duranit. vt videatur fortuna eius viri etiam ſepulturæ præſens adiuuiſſe. Monumentum Syllæ in campo Martio eſt: inſcriptionem ab ipſo ferunt conceptam & relictam, cuius hoc eſt caput, Se neq; ab vllo amicorum beneficiis, neq; ab vllo inimico maleficiis ſuperatum fuiſſe.

## LYSANDRI CVM SYLLA COMPARATIO.

Syllæ etiam vita expoſita, ad comparationem ipſorum accedamus. Commune iis fuit, quod vterque à ſeipſo incrementi initium petens, in magnos viros euaſerunt. Id Lyſander proprium habuit, quod voluntate ciuium, etiamnum ſaluo reipub. ſtatu, eos, quos geſſit, magiſtratus obtinuit, nihil vi aut contra leges extorſit:

*Peſſimus ad magnos vi ſeditionis honores*
*Cùm veniat ſæpe.----* *In ſeditione princi-*

Sicut tum Romæ corrupto populo, & laborante repub. alius poſt alium potitus eſt rerum: neque mirum fuit Syllam *pem fieri,* principatum obtinere, cùm Glauciæ & Saturnini Metellos *quale.* vrbe expulerint, conſulum filij in concione obtruncati ſint, argento & auro arma ciues redemerint, emptis militibus, ferro & igni leges pertulerint oppreſſis aduerſariis. Neque in eo ſum, vt culpem eum, qui hac rerum conditione ſummam potentiam ſibi parauerit: ſed ex eo quod princeps omnium aliquis fuerit, minime arguo eum fuiſ-

se optimum, nimirum ita affecta ciuitate. At Lysander à ciuitate Spartana, tunc maxime bonis legibus vtente & modesta, ad maxima imperia resq; gerendas missus, fere optimorum optimus, primusq; inter primos habitus est. Itaque & sæpe magistratum, quo se abdicauerat, à ciuibus recepit, s petmanente honore, quo virtuti primæ deferebantur. Sylla semel exercitui dux præfectus, integrum in armis decennium exegit, modò consulem sese, modò proconsulem, inde dictatorem creans, cùm tyrannus esset perpetuo. Iam Lysander reipub. administrationem (vti demonstrauimus) 10 immutare aggressus, mitius legibusq; conuenientius quam Sylla egit. non enim vi, sed persuadendo id agere instituit: neque, vt Sylla, omnia simul euertere, sed regum tantum emendare constitutionem, præsertim cum alioqui natura id probare videretur, vt in ea vrbe, quæ virtutis nomine 15 princeps Græciæ esset, optimorum optimus non propter "nobilitatem generis, sed virtutis causa regno potiretur. Vt enim venator non id quod cane natum sit, sed canem requirit: & rei equestri deditus non quod equo prognatum sit, sed equum: (quid enim si mulus ab equo procreetur?) ita 20 "& ciuilis boni arbiter procul à scopo aberrârit, si non quis sit, sed ex quibus ortus princeps, quærat. Quando ipsi etiam Spartani quosdam reges abdicare coegerunt, vt indignos regno, & nullius precij homines. Quod si vitia etiam in nobilibus genere inhonesta sunt: vtique etiam sine no- 25 *Delicta vtriusque.* bilitate virtus honorem meretur. Iam peccata Lysandri in amicorum gratiam fuerunt perpetrata: Sylla ne ab amicorum iniuriis abstinuit. In confesso est enim, Lysandrum pleraque propter amicos peccauisse, vtque his potentiam & tyrannidem pararet, pleraque cædes perpetrasse. Con- 30 trà Sylla & exercitum Pompeio inuidēs, & Dolabellæ classem, quæ dederat auferre conatus est: & Lucretium Ofellam pro multis ac magnis officiis consulatum petentem, coràm iugulari iussit, vt horrorem omnibus suiq; metum nece amicissimorum incuteret. Pec..niæ autem & voluptatis studium clarius adhuc demonstrat in altero principis, in altero tyranni voluntatem fuisse. Nihil enim neq; libidinose, neq; leuiter, tanta in potestate constitutus Lysander egit: sed euitauit si quisquam alius, tritum illud,

*Domi leones, at foris vulpeculæ:*

mode-

modestam, Laconicamque, & frugalem vbiq; seruans vitæ rationem. Atqui Syllam neq; iuuenē, vt cupiditatibus moderaretur, paupertas compulit, neq; ætate prouectum senectus: sed, vt ait Sallustius, leges ciuibus de nuptiis & temperantia amori ipse & adulteriis deditus posuit. Itaque ad id paupertatis & pecuniæ indigētiæ Vrbem redegit, vt Romani sociis ciuitatibus libertatem, suisq; legibus viuendi potestatem argento vendiderint: quamuis locupletissimas ipse maximasq; domos quotidie publicaret. sed enim nulla erat eorum quæ dilapidabantur, & in adulatores insumebantur mensura. Quam enim, putas, ille rationem aut parsimoniam adhibuisset in largiendo is, quibus ob conuiuia & adulationes cupiebat? qui populi aliquando adstãte corona palã cùm amicorum cuidam magnas facultates leui precio addixisset, & præco iussus proclamasset, alioq; precium augente, additamentũ itidem edixisset, indignatione accẽsus, Grauia, inquit, ô cines patior, & tyrãnide premor, si mea mihi spolia non vt volo vendere licet. Lysander verò cum cæteris etiam sibi dono data munera domum misit. Quod tametsi nõ laudo (fortassis enim magis ille pecuniã inferendo Spartæ nocuit, quã spoliandõ Romam alter) tamẽ certissimũ signum spretarum ab eo diuitiarum iudico. Rarũ quippiam in vtroq, & singulare inuenias, si eum respectu patriæ suæ consideres. Nam & Sylla homo intemperãs luxuriq; deditus, moderatos ciues suos effecit: & Lysander à quibus abstinuit sese affectibus, iis vrbem impleuit. Peccauit igitur & Sylla, quod suis ipse legibus deterior fuit: & alter, quod seipso deteriores ciues reddidit. docuit enim Spartam ea desiderare, quibus ipse opus non habere didicerat. Hæc de rebus ciuilibus. Sed quod ad belliea certamina, imperatoria scientia gestas res, multitudinem trophęorum, & periculorum aditorum magnitudinẽ attinet, non est quod Syllæ comparandum quispiam Lysandrum cogitet. Hic enim bis nauali prœlio vicit: addam etiam Athenarum obsidionem, quam re ipsa non magnam gloria splendidissimam redegit. Clades quidem in Bœotia & ad Aliartum acceptæ etsi infortunio cuidam possint adscribi, videntur tamen prauis eius consiliis potius acceptæ ferendæ: qui à Platæis aduentantes, ac tantum non præsentes regis magnas copias noluerit expectare, sed ira ambitioneque

*Sylla prodigalitas.*

*Bellica & gloria.*

transſ-

transuersus actus intempestiuè ad muros agmen rapuerit, ita vt nullius nominis homines eruptione facta facillimè eum strauerint. Non enim vt Cleombrotus apud Leuctra hostibus vrgentibus resistens, neq; vt Cyrus, aut Epaminõdas inclinatos suos retinens, victoriamve confirmans, ita occubuit: verùm hi regibus ducibusq; dignam mortem oppetierunt: Lysander autem cùm velitis aut præcursoris in morem vitam suam proiecisset, testatum fecit priscos Spartanos prudenter ab oppugnatione murorum se abstinuisse: quod ibi non à viro modò quouis, sed etiam à muliere aut puero ictum perire fortissimum quenque contingat. sicut Achillem ferunt in porta à Paride occisum. Et profectò ne numero quidem comprehendi potest, quoties Sylla collatis signis vicerit, quam multa hostium millia occiderit: Romam ipsam bis cepit, & Piræum non, vti Lysander, fame, sed multis & magnis certaminibus repulso in terram ex mari Archelao, cepit. Laudem etiam augent duces hostium. Ludum enim esse iocumq; puto, nauali pugna cum Antiocho Alcibiadis gubernatore certare, aut Philocli imponere, Athenienſi oratori,

*Res contra quos gesta.*

*Acutam habenti linguam, aliàs ignobili:*

quos neq; cum equisone Mithridatis, neq; cum lictore suo Marius componi dignatus fuisset: verùm ex iis qui contra Syllam bellum gesserunt principibus, consulibus, prætoribus, tribunis pl. quisnam (mitto enim reliquos) Mario terribilior, aut inter reges Mithridate potentior, aut ex Italis Telesino fuit, Lamponioque bellicosior? quos ille partim expulit, partim subiugauit, partim occidit. Et quod omnia (meo arbitratu) prædicta superat, Lysander omnia suis domi adiuuantibus gessit: Sylla autem exul, victusq; inimicorum factione, quo tempore vxor eius exterminabatur, domus solo æquabatur, amici cædebãtur, ipse in Bœotia cum innumeris hostium millibus congressus, atque pro patria discrimen subiens, trophæum statuit. Mithridati quoq; societatem offerenti, & copias aduersum inimicos, neq; facilem se, neq; humanum præbuit, imo ne allocutus quidem est, aut dextram iunxit, prius quam ille coram affirmaret, se Asiam relinquere, classem tradere, regibus Bithynia & Cappadocia decedere. Quod mihi videtur omnium Syllę factorum præclarissimum ac fortissimum fuisse. quippe rempub.

priua-

priuatis rebus anteponens, generosorum canũ instar mordicus arreptam feram ad extremum vsque tenentium, non prius è manibus emisit aduersarium, quam eum sibi de victoria concedere vidisset: atque ita demum ad vlciscendos suos hostes se contulit. Præter omnia verò Athenarum occupatio plurimum ad horum comparandos mores facit: quum Sylla vrbem quæ pro Mithridatis potentia & principatu propugnauisset, captam à se, liberam dimiserit: Lysander autem tanto principatu spoliatum non modo miseratus non sit, sed & populi in repub. potestate exuerit, crudelissimisq; & iniustis tyrannis subiecerit. Restat ergo vti consideremus, proximène vero statuerimus, si plures res præclarè à Sylla gestas, pauciora esse Lysandri peccata pronunciemus: & huic continentiæ temperantiæq;, illi peritiæ militaris & fortitudinis primam laudem deferamus.

## IN SYLLAM ANNOTATIONES INTERPRETIS.

*Nihil attinet de huius ætate annotare, & æqualibus: nobilis maxime Mithridatico & ciuili Mariano fuit.*

1 Rufinus consulatum gessit.) *Is fuit P. Cornelius Rufinus. Val. lib. 2. cap. 4. duobus consulatibus & dictatura speciosissime gesta, Senatu excidisse tradit. quod idem est apud Gellium 4. 8. & 17. 21. Sane de dictatura mihi nihil cõstare fateor. Priorem consulatum anno V. C. 463. & in bello Samnitico rem præclare gessit. Eutrop. lib. 2. Posteriorem V. C. 476. durante contra Pyrrhum bello.* Meminit etiam Cicer. lib. 2. de Oratore, *falsè dictum Fabricij de eo referens.* Censores eum Fabricius & Q. Æmilius Papus senatu mouerunt, *quod decem (noster suprà decem) pondo argenteorum vasorum possedisset: autores Valerius, Gellius, præterea Liuius lib. 14. (quod ex Epitoma intelligitur) Florus 1. 18. Actũ anno V. C. 478. Ab hoc Cornelio Rufino sextũ fuisse Syllam hunc, Paterculus affirmat. Porro quod ad cognomentũ Syllæ attinet, meam sententiam suprà exposui. Annotauit hîc Amiotus,*

miotus, Syllam propterea à rubore faciei nomen hoc habere, quod Latinis ochra Syl dicatur, atque illud pigmentum in ignem coniectum rubeat: vnde etiam purpureus color, Syllaceus Vitruuio appelletur. Cui cur non subscribam, multæ sunt causæ. Primùm, sil per i, non y scribitur, apud Vitruuiũ lib. 7. cap. 7. & 14. (sicut & apud Plinium vltimis duobus capitib. lib. 33.) atque etiam silaceus, vt parum hoc ad etymon vocis videatur pertinere. Deinde ochra & silidem non sunt: quod patet ex eorum apud dictos autores descriptionibus, eoq; in primis, quod ochra destitutis, sil in eius locum adhibetur. Tum si sil quoq; in ignem missum rubet, & sylsit scribendum: quid causæ sit cur non à natiuo potius colore (qui ochræ est flauus, seu pallidus) Sylla, quam ab eo quod isti pigmento in ignem accidit, dicatur? Quod si sil natiuo colore purpureum colorem habere dicamus: non erit id extra omnem cõtrouersiam, cùm quod de eius violaceo colore Vitruuius dicit, id ceruleo pigmento Plinius quo dixi loco adscribat. Plura qui velit, Philãdri legat annotationes. Denique si ista cognomenti ratio fuisset, vix credo id Latinos scriptores, atque adeo etiam Plutarchum fuisse praeteriturum: cùm non vno tantum hoc loco de eo dicat. Apparet certè σύλλαν, Syllam Græco sermone aliquid ex albo rubens significasse: vnde antiquum Syllæ epitheton potuerit, quasi nouum, huic ob faciei colores tribui. Nam de prima origine cogitari idem potest.

2 Sapientem fuisse Euripidem.] Alludit ad pulcerrimos eius in Phœnissis versus, quibus à studio contendendi Iocasta, & ab ambitione dehortatur filium Eteoclem, & ad æqualitatis studium adducere laborat. Noti sunt versus, & ab optimis passim scriptoribus allegãtur. φιλοπμίαν, deam iniustam & pernicioſam Eurip. ibi vocat: noster δαίμονα, id est genium malum ac pestiferum.

3 Chalcidensem quendam.] χαλκιδέυς. Existimo Chal-

Chalcide Syriæ hunc oriundum fuisse: tametsi Stephanus χαλκιδῶν inde deriuet. Sed eius regulæ non sunt edicta prætorum. Meminit huius Chalcidis & regionis Chalcidenes, Plinius lib. 5. cap. 23. in descriptione Cœlæ Syriæ. Et Strabo libr. 16.

4 In societate magistratus.] nimirum consulatus. Socerum Syllæ fuisse Qu. Metellum, paulo pòst ostenditur: collegam fuisse Syllæ in consulatu eius altero, cum aliũde, tum ex Gellio constat lib. 15. cap. 28.

5 Apud Lauernam.] περὶ λαβέρνην. Lauerna dea fuit Romæ culta, furibus præsertim & impostoribus. Id cùm aliâs, tum ex illo Horatiano ad Quinctium patet:

Labra mouet, metuens audiri pulchra Lauerna
Da mihi fallere, da iustum sanctumq; videri:
Noctem peccatis, & fraudibus obiice nubem.

Hinc & Lauerniones (teste Sex. Pompeio Festo) fures dicti, quod in luco eius (quem via Salaria fuisse Acron annotat) prædam diuiderent, siue (vt antiqui loquebantur) luerent. Veri proinde simile est, Lauernalem portam, cuius etiam Varro lib. 4. meminit, hîc intelligi.

6 Legatum Albinum.] Is fuit A. Posthumius Albinus. Historia est in Epitoma Liuiana LXXV. apud Valerium Maxim. lib. 9. cap. de Temeritate, apud Orosium lib. quinto, cap. 18.

7 Vt refert Liuius.] ὁ τίτος. Liuium intelligo: tametsi liber is non extat neq; eius rei in Epitoma mentio est. Incidit enim in librum LXXVII. Cæterum Græcis, ac præsertim nostro familiare est, prænomina pro nominibus ponere, vt & in Quinctio Flaminino creberrimè & aliâs. Quod ad vxores Syllæ attinet, equidem non intelligo quæ fuerit Ilia ista, & omnino mendam esse puto: neq; tamen inuenio remedium. Consulem non quinquagesimo, sed vndequinquagesimo anno factum, apud Velleium legitur.

8 Inter

8 Inter agrorum possessores.] *Locus hic non satis est apertus. opponit autem* κληματικὸς, *hoc est, agrorum possessores vrbanæ & forensi multitudini. & tamen mox* χωεῖται *&* ἀγοραῖοι *pro ijsdem ponuntur: cum ante videbatur* ἀγοραῖοι *oppositi* τοῖς κληματικοῖς. *Sane eos qui multum agri possiderent, etiam in Agide &* T. *Graccho* κτηματικὸς *noster palã appellat. quos eosdem hîc suspicari aliquis possit* χωείτας *dici,* παρὰ τὸ χώραν: *quibus opponantur forenses & vrbani homines, qui sunt* ἀγοραῖοι. *Sane &* Guarinus κτηματικὸς *agrestes vertit: Ego (nihil enim diffitebor) quî passer vrbanis cicada agrestibus aut contrà congruat, non intelligo. Itaq; hîc iudicium meum suspendo: & alijs, qui locum enucleabunt, non illibenter agam gratias.*

9 Cùm Pompeio consulatum abrogasset.] ἐπάρχουλα ποιήσας. *quod quid sit, non plane assequor. Prætorem factum à Sulpitio Pompeium,* Guarinus *ait nescio quid aut quem secutus. fortassis* ἀπάρχουλα *scripsit* Plut. *id est, deiectum magistratu: sed id quo exemplo tuear, non habeo. Sententiam quidem eandem apud Amiotum reperio.*

10 Apud Picinas.] *Sic in Græco est: sed quæ sint istæ Picinæ, non scio. agrum quidem Picenum intelligi non arbitror.* Guarinus *habet* Triripa.

11 Philonis armamentarium.] ὁπλοθήκη, *fuit autem receptaculum mille nauium, valde nobile & laudatũ. Meminit* Cicer. *l. de Orat. &* Plin. *lib. 7. cap. 37.* Valer. *lib. 8. cap. 13.*

12 Arx Parapotamiorum.] *Guarinus male:* finitimo fluuio arx fuerat. *cum vrbis hoc esse nomen ostendat disertè* Plutarchus. *Eam in Phocide collocat* Stephanus, *Pausaniam secutus, lib. vlt. Notum est autem, contiguas regiones esse Phocidem & Bœotiam.*

13 Q. Titium.] Κόϊντον. πίτον, πίπον *legi. T. Quintius erit legendum. Qui in Græco est* Γαμίνιος, *eum Geminium*

nium verti: tametsi etiam Gabinij nomẽ affine sit huic scripturæ. Quod mox sequitur, vterque autem idem vaticinium afferebat, certè diuinaui ita, vt facilè sim ei assensurus qui aliquid melius & certius afferat: est enim locus mutilus, vt puto, & ambiguus. nam quis ipsis ea forma apparuerit, non apparet. ταῦτα περὶ τῆς ὁμοφῆς. Malim ταυτὰ, pro τὰ αὐτὰ, id est eadem.

14 Gallus & Hortensius.] Galbam Guarinus posuit, secutus, opinor, Appianum: nam in eius Mithridatico ita legitur. ac rursus infrà de prœlio cum Telesino, vbi legitur βάλβῳ Balbus, interpres Galbam posuit. Mox cum Hircio, ἑείκιον est, puto ἕρκιον: vt suprà, quem Hircium verti. Deplorandum est, nomina propria ita deprauata esse: quæ vnde emendemus, præter leues coniecturas nihil suppeditat.

15 Deliacus mercator.] Δηλιακὸς. Hoc potissimum deriuari ab insula Delo, Stephanus ait. Videant lectores attenti, an à Delio potius Bœotiæ oppido originem trahat.

16 Traiecit Ædepsum.] ἀδιψὸν, lege αἰδηψὸν ex iis quæ à me in Stephanum περὶ πόλεων sunt annotata.

17 Apud eam Nymphæum.] Vide de hoc loco, quæ Dio noster habet libro 41. Meminit etiam Strabo lib. 7. & inter miracula Plin. cap. 106. lib. 2.

18 Apud eam Fidentiam.] φιδεντίαν. Appianus Alexandrinus hoc apud Placentiam factum scribit. Sed neutrum locum temerè mendosum habebo. Nam in eadem Italiæ regione & Fidentiam fuisse, & Placentiam, scilicet in octaua, quæ Arimino, Pado & Appennino limitibus includitur, satis ex Geographis, præsertim Plinio patet 3. 15. Simile huius est, quod paulo infrà de Syllæ cum Mario iuniore conflictu legitur: vbi noster Signium, Appianus Setium habet: quæ fuisse vicina oppida, ex eodem Plin. apparet.

19 Procrastinandi occasiones.] παραγωγὼ. alliciendi rationes Guarinus reddidit, non sine sensus detri-

παράγειν, ducere.

mento. Est autem παράγειν, id quod Cæsar libro primo belli Gallici ducere exprimit: Cæsar vbi se duci diutius videt, &c. Ne longè exempla petãtur, sic noster initio ferè Lycurgi est locutus: ὅτῳ ὃ παραγαγὼν ἄγει τὴν τούτου τῶν ἀνθρώπων, de vxore fratris grauida. quam spe tollẽdi è medio fœtus vsq; ad partum ducebat Lycurgus. Hinc patet, quid sit hoc & similibus locis παραγωγή.

20 XL. hostiles aucupatus.] παλεύσας μ'. τοῖς τῶν πολεμίων. Guarinus παλαύσας videtur legisse. quod ipsum si inuenissem, propter hæc vocabula ἡδέσιν ὄρνισι suspectum habuissem: ne quid aliud dicam. Iam ipsum vocabulum παλεύειν, quod est illicere & decipere, ideoq; aucupio valde est accommodatum, non modò à Suida & Varino explicatur: sed & à Scholiaste Aristophanis in Auibus, ad versum,

αὖθις ὑμεῖς αὖ παρ' ἡμῖν δεδεμένοι παλεύσετε.

Meminit & Erasmus in Chiliadibus, prouerb. Columba sedẽs. cui, quòd apud Suidam ἠμένη πελειὰς, ἠμμένη mutandum autumat, neminem puto eruditum assentiri. Cætera malo ex ipsis, quos citaui, autoribus te petere.

21 Stationem ante vrbem habuit.] Hæc cùm ad Syllam referret interpres, miror quid vel legerit, vel cogitarit. Sed omnia errata notare, nimiæ est curiositatis.

22 Metrobiusq; histrio.] λυσιῳδὸς. Guarinus Bacchanaliorum cantorem vertit: nimirum eo (ni fallor) ductus, quòd λύσια quædam sacra apud Græcos in honorem Bacchi celebrarentur: quorum Suidas meminit. Ego autem Athenæum sequor, qui lib. 14. ex Aristoxeno tradit, λυσιῳδὸν vocari eum, qui masculino habitu mulierum gestus exprimat: quod ipsum ex Athenæo Eustath. in penultimum Vlyssææ annotauit. Histrio autem tametsi generale est vocabulum, tamen quia aliud non est in promptu, boni consulẽdum opinor. Cantorem vertit Amiotus.

λυσιῳδὸς.

23 Dicæarchensium.] Id est, Puteolanorum. Id & Guari-

*Guarinus extulit, & Plinius teſtatur cap. 5. libro 3. & Appianus ſepe: præſertim etiam libro 5. bell. Ciuil. Puteolos ita appellat. Puteolis autem mortuus eſt Sylla: autor de Viris illuſtribus.*

## PLVTARCHI CIMON, GVILIELMO Xylandro, Auguſtano, interprete.

PERIPOLTAS vates cùm Opheltam regem, ſubditosque ei populos ex Theſſalia in Bœotiam deduxiſſet, genus à ſe multis deinde temporibus nobile reliquit: cuius maior pars Chæroneam, quam primam vrbem eiectis barbaris tenuerunt, inhabitauit. Pleriq; eius generis cùm eſſent natura fortes atque bellicoſi, Medicis incurſionibus & Gallicis certaminibus vitæ ſuæ non parcentes occubuerunt. Relictus fuit puer orbus parentibus Damon nomine, cognomẽto Peripoltas, longè & corporis pulcritudine, & animi magnitudine ſuæ ætatis adoleſcentibus præſtantior, cætera rudis, ingenioque aſper. Huius iam ex ephebis egreſſi amore Romanus quidam, cohortis præfectus, quæ tũ fortè Chæroneæ hyemabat, correptus, cum nihil alliciendo donandoque proficeret, haud obſcurè videbatur vim facturus: cùm quidem patriæ noſtræ res ea tempeſtate eſſent afflictæ, eaque ob paupertatem & exiguitatem contemneretur. Id metuens Damon, indigneq; attentatam pudicitiam ferens, inſidias Romano ſtruxit: & æqualium ſedecim tantùm (quo faciliùs fallerent pauci) adſcitis, cùm noctu facies fuligine illeuiſſent, merumque adbibiſſent, prima luce in Romanum ſacra in foro facientem impetum dederunt, ipſumque cum paucis aliis trucidauerunt, atque inde ex vrbe abierunt. Orto tumultu, Chæronenſis ſenatus coiit, conſpiratoresque iſtos capitis damnauit: faciebat hoc ad ciuitatis apud Romanos excuſationem. Veſperi principibus vrbis vnà pro more cœnantibus, Damon cum ſuis in Curiam irrupit, iisque cæſis rurſum ex vrbe profugit. Fortè tum iſdem diebus L. Lucullus cum exercitu cuiuſdam rei agendæ cauſa præteriit; inhibitoque itinere cùm de recenti iſtà

*Damonis Charonẽſis hiſtoria.*

re diligenter inquisiuisset, ciuitatemque nullius mali autorem, magisque & ipsam vna iniuria affectam intellexisset, milites qui ibi agebant hyberna secum abduxit. Damonem verò latrociniis agrum & incursionibus vastātem, legationibus, variisque decretis in vrbem ciues reduxerunt, gymnasioque præfecerunt: pòst vnctum in balneo interfecerunt. Diu exinde spectra eo loco cùm viderentur, gemitusq; exaudirentur, (vti à maioribus nostris accepimus) fores balnei obstructæ sunt: & adhuc qui ad locum eum accedunt, visa quædam, vocesq; terrificas ferri putant. Superstunt quidam Damonis genere nati, maximè iuxta Stirin in Phocide, Æolicum morem imitantes: hos à fuligine, qua illitus Damon ad cædem Romanorum prorupit, Asbolumenos appellant. Cæterùm Orchomenii vicini Chæronensibus, orta inter ciuitates controuersia, Romanum rabulam conduxerunt, qui totam Chæronensiū ciuitatem, tanquam vnum aliquem hominem de cæde eorum qui à Damone fuerant trucidati postulauit: iudex fuit Macedoniæ prætor, quòd eo tempore nondū in Græciam Romani prętorem mittebant. Chæronensium patronus Lucullum testē laudauit: eiq; cum scripsisset prætor, atq; is veritati testimonium tulisset, absoluta est ciuitas, cùm quidem summo esset versata in discrimine. Itaq; Chæronenses, quibus tum Lucullus salutem attulit, statuam ei lapideam in foro iuxta Bacchum posuerunt. Nos autem quamuis multis ætatibus posteriores, tamen id ad nos quoque pertinere beneficium rati, multo etiam pulcriorem imaginem iudicantes esse eā qua mores ingeniumq;, quàm qua corpus & facies exprimitur, in hac clarissimorum virorū cōparatione Luculli res gestas vera narratione exponemus. Satis enim ineſt in memoria gratiæ: pro vero autē testimonio falsam & commēticiam de se narrationem ne ipsa quidem sibi rependi voluisset. Proinde vt eos qui pulcerrimas & elegantissimas formas depingunt, si quid illis adsit minùs venustum, neq; omittere planè volumus, neque exprimere exactiùs: quòd hoc turpem, illud propositæ formæ dissimilem aspectum esset præbiturū. ita quando difficilè est, imò planè fieri nequit, vt hominis vita inculpata prorsus, atq; ab omni parte pura sit, in iis quæ laudē merentur, est veritas, tanquā similitudo, planè exprimenda: si quæ autē vitia &

nævi

næui ſeu ex affectu aliquo, ſeu ciuili neceſſitate incurrerũt in ipſas actiones, exiſtimare debemus, defectus potiùs virtutis eſſe, quàm nequiciæ vitia, atq; ideò nequaquã nimio ſtudio aut operosè in hiſtoria exagitare: ſed quaſi pudore humanæ naturæ moueri, quæ nullum præclarũ ingenium ſincerum, & perfectæ virtuti deditum protulerit. Ac nobis cogitantib. cuĩnã Lucullũ conferremus, Cimonis in mentem venit. Fuit enim vterq; bellicoſus, & reb. contra barbaros geſtis illuſtris: vterq; in ciuilib. rebus manſuetus, & qui præſertim patriæ à ſeditionibus inteſtinis reſpirandi facultatem daret: vterq; trophæa ſtatuit, & victorias retulit inſignes. Non enim inter Græcos Cimone, de Romanis Lucullo prior quiſpiã tam longè bellum gerendo progreſſus eſt: ſi quæ de Hercule & Baccho feruntur, omittamus, aut ſi quę de Perſei apud Æthiopas, Medos, & Armenios, aut Iaſonis reb. geſtis fide digna iam inde à priſcis tẽporib. ad nos memoria propagata ſunt. Cõmune id etiã vtriq; fuit, quòd bellum non perfecerunt planè: fregeruntq;, non deleuerũt hoſtem. Maximè autẽ in conuiuiis, & humaniter tractandis hominib. facilitas & liberalitas, victuſq; ratio noua & laxa in vtroq; conſpicitur. Sed prætereamus cæteras ſimilitudines, quas nõ eſt difficile ipſa ex narratione colligere. Cimõ Miltiadis F. matrem Hegeſipylam habuit, Thraciæ regis Olori filiam: vt in Archelai & Melanthii carminibus in Cimonem ſcriptis traditur. Propterea Thucydides etiam hiſtoriarum conditor, Cimonis cognatus, Olorum patrem habuit, qui ad Olorum regem veluti progenitorem nomen referret: auriq; ſecturas in Thracia poſſedit, & in Scapte Hyle (Thraciæ locus eſt, quaſi effoſſam ſyluam diceres) nepotes fertur: monimentum verò reliquiarum eius in Atticam relatarum inter Cimonea oſtenditur, iuxta Elpinicæ, quæ Cimonis ſoror fuit, ſepulcrum. Verùm is Alimuſius fuit, ſi curiã ſpectes: Miltiades Laciades. Enimuerò Miltiades quinquaginta damnatus talẽtis, & dum ſatisfaceret in vinculis habitus, in carcere periit. Cimon autẽ adoleſcentulus admodum relictus cum ſorore ſua Elpinica virgine adhuc & innupta, initio malè Athenis audiuit quòd incõpoſitæ vitæ, bibaxq; eſſet, naturaq; Cimonem auum referret, cui ob ſtoliditatem Coalemi cognomentũ fuerat inditum. Steſimbrotus Thaſius, qui iiſdem ferè quib. Cimon

*Cimonis genus.*

*Pueritia.*

temporibus vixit, neq; in Musica eum, neq; vlla alia liberali disciplina, quæ tum apud Græcos passim in vsu erant, institutum fuisse affirmat: à facundia etiam Attica leporeque dicendi planè fuisse alienum: indole fuisse admodum generosa atq; aperta, animoq; magis Peloponnesio quàm Attico, & (quod de Hercule Euripides dicit.)

*Vanas inepto adres, ad maxima idoneo.*

*Elpinice impudica.*

hoc enim licet addere iis, quæ Stesimbrotus scripsit. Iuuenis adhuc creditus est cũ sorore Elpinica rem habere. Fuit quidem ea (vt fertur) minimè pudicitiæ temperans, vt quæ & Polygnotum pictorem admiserit: atque ob id eum aiunt cùm Troianas mulieres in porticu, quæ nunc Pœcile à varietate dicitur, olim Pisianactios, depingeret, Laodicen Elpinices forma expressisse. Is Polygnotus non artificio quæstum faciebat, neq; operam pingendæ porticui locauerat: sed gratis, liberalitatemq; suam vrbi ostentandi causa: id quod & alii scriptores narrant, & ita Melanthius poeta:

*Ipse suo sumpu diuorum templa, forumq;*
*Cecropium ornauit semideûm effigie.*

Sunt qui non furtim Elpinicam cum Cimone, sed palàm contractis nuptiis consuetudinem habuisse dicant, cùm ob paupertatem nullum sua nobilitate dignum inueniret maritum: cùm autem Callias, vnus ex locupletibus Athenien-sibus, amore eius captus accessisset, paratus mulctam Miltiadi irrogatam ærario publico pendere, & ipsam assensisse, & Cimonem eam Calliæ nuptum dedisse. Quanquam satis apparet amoribus mulierum planè obnoxium fuisse Cimonem. Melanthius enim poeta quadam elegia de ipso ludens, Asteriæ Salaminiæ, & Mnestræ cuiusdam, mulierum ab illo cultarum, meminit. Et id manifestũ est, Isodiæ filiæ Euryptolemi, Megaclis F. legitimæ suæ vxoris mortem eum nimis quàm ægrè tulisse: si quidem ex elegiis, quæ consolandi luctus causa ad eum scriptæ sunt (Archelaum physicum earum autorem Panætius philosophus existimat, haud absurdè sumpta à ratione temporis coniectura) licet colligere. In cæteris ingenio fuit Cimon præstanti atque generoso. Nam neque audacia Miltiadi cedens, neque sapientia Themistocli, vtroque, vt est in confesso, iustior fuit: cumque ne minimum quidem iis virtute bellica inferior esset, dici vix potest quantum eos ciuili prudentia

superauerit, iuuenis etiamnum, & bellorum rudis. Quo enim tempore Medis ingruentibus Themistocles populo persuasit, vt vrbe regioneq; relicta, ante Salaminam arma in naues imponerent, naualique prœlio decertarent: cùm multitudo ad eius conatus magnitudinem obstupesceret, primus Cimon inspiciẽtibus omnibus per Ceramicum hilari vultu cum sociis in arcem adscendit, frænum equestre manu gestans, dedicaturus id Mineruæ: quasi non iam equestri robore, sed classiariis ciuitas indigeret. Consecrato fræno, vnum de scutis quæ circum templum erant suspensa arripuit, votisque Mineruæ factis ad mare descẽdit: cùm quidem eare haud paucos ad audendum excitasset. Forma corporis fuit non turpi, vt Ion perhibuit poeta, sed magnus, crispaque & multa cesarie caput exornatus. Cùm autem certamine Salaminio fortiter se, præclareque gessisset, statim apud ciues gloriam sibi parauit atque fauorem, multiq; ad ipsum conuenientes hortabantur, vt iam nunc Marathone digna cogitaret, atque ageret. Cùm itaque ad rempub. se contulisset, magno ciuium fauore exceptus est: qui satietate iam Themistoclis capti, ad summos eum honores atque magistratus euexerunt, gratum multitudini idoneumq; propter mansuetudinẽ & simplicitatem. Haud minimum ad eam rem ei Aristides Lysimachi F. contulit, qui indolem ipsius ex moribus conspicatus, tanquam aduersarium eum Themistoclis vehementiæ audaciæq; constituit. Medis ex Græcia fugatis, missus ipse dux copiarum naualium, cùm nondum penes Athenienses summa rerum esset, sed Pausaniam ij Lacedæmoniosque adhuc sequerentur: in suo munere obeundo ciues semper & in ordine mirabili continuit, & multo omnibus aliis alacritate priores habuit. Inde vbi Pausanias cum barbaris de proditione collocutus, ad regem literas dedit, socios autem asperè & superbè tractauit, multaq; per potestatem & fastum libidinosè fecit: Cimon eos qui essent iniuria affecti humaniter ad se recipiendo, clementerq; conuersando, sensim non armis, sed oratione & moribus suis Græciæ principatum ad sese traxit: plerique enim sociorum, Pausaniæ insolentiam fastumque non ferentes, huic & Aristidi se coniungebant. Hi simul & hos ad se recipiebant, & missis Spartam literis, ephoris indicabant, malè audire Spartã, perturbariq;

*Forma.*

*Acta bello Medico.*

Græciam, ideò reuocandum esse domum Pausaniã. Tradi-
tum est, à Pausania Byzantiam quandam virginem, Cleo-
nicem nomine, nobilibus natam parentibus, ad stuprũ ac-
cersitam fuisse: parentes necessitate & metu victos eam tra-
didisse: virginem exoratis cubiculi custodibus vti lumen
extinguerent, silentio per tenebras ad lectum Pausaniæ iam
sopiti accessisse, interq; eundum in lucernam incidisse, ca-
suq; eam euertisse: Pausaniam strepitu excitatum, arrepto
gladio, quasi hoste aliquo irruente, virginem feriisse: ipsam
ex vulnere mortuam, nunquam deinde Pausaniæ non ade-
misse quietẽ, verùm noctu subinde ei in somnis apparuisse
iratam, atq; hoc eum versu compellasse,

*Vade ad supplicium: dat maxima damna libido.*

Hoc facinus grauissimè ferẽtes socii, Cimone duce Byzan-
tii Pausaniã obsederũt. Is Byzantio elapsus, perturbatúsq;,
vt aiunt, isto viso, Heracleam confugit ad oraculum quo
manes euocantur: excitaque Cleonices anima, eius iram
placare intendit. Illa autem apparuit, dixitq; fore vt mox
vbi Spartam perueniisset, à malis liberaretur: obscurè nimi-
rum exitũ eius innuens. Hæc à multis sunt memoriæ pro
dita. Cimon autẽ, cùm se iam sociæ ciuitates ipsi adiunxis-
sent, dux in Thraciam nauigauit: ibi audito Persas quosdã
nobiles viros, & regi iunctos sanguine, Eiona vrbem ad flu-
uium Strymonem tenere, vicinisq; inde Græcis esse mole-
stos, ac primùm ipsos barbaros prœlio victos in vrbẽ com-
pulit: deinde Thracas, qui supra Strymonem habitabant, &
barbaris inde commeatus subuehebatur, regione eiecit, to-
tamq; custodiens ipse eo difficultatis obsessos Medos com-
pulit, vt Butes regius dux rebus desperatis vrbem incende-
rit, seque vnà cum amicis & opibus perdiderit. Hoc modo
vrbem cùm cepisset Cimon, quamuis nihil admodum prę-
dæ nactus fuerit, plerisq; rebus vnà cum hoste incendio ab-
sumptis, regionẽ tamen fertilissimam eam, pulcerrimamq;
Athenienſibus habendam dedit. Concessumq; est ei à po-
pulo, vt lapideas Mercurii statuas ipse poneret: quorũ pri-
mæ hæc est inscriptio:

*Hi quoq; erant fortes, qui primi ad Strymonis vndas*
*Fuderunt forti Medica signa manu,*
*Atq; fame obsessas ceperunt Eionis arces,*
*Ladendi autores scilicet hostis erant.*

Secundæ

Secundæ hæc:

*Pro tam præclaris meritis largitur honorem*
*Hunc populus patrijs Cecropidum ducibus.*
*Cernentem hæc aliquem de posteritate iuuabit*
*Ardua pro magna laude pericla sequi.*

Tertiæ ita habebat:

*Hac olim bellatores ex vrbe Menestheus*
*Ad Troiam Atridis duxit in auxilium.*
*Gnarum præ reliquis quem cantat Homerus Achiuis*
*Compositis acies instruere ordinibus.*
*Illo Cecropidas iustum est se nomine ferre:*
*Se pugnæ præbent, ordinibusq́; duces.*

Quæ omnia tametsi nusquam Cimonis nomen proferunt, tamen eius ætatis hominibus videbantur immensi esse honoris: nihil enim neque Themistocli tale, neque Miltiadi contigit. Et huic quidem frondeam coronam petenti Sochares Decelensis media ex concione assurgens contradixit, ingratam quidem, sed tamẽ populo tum temporis probatam vocem edens: Quando, inquit, ô Miltiades solus ipse pugnaueris ac barbaros viceris, tum & solus honorem pete. Quid ergo causæ fuit, quòd Cimonis factum hoc tanti fecerunt? an quia reliquis ducibus id modò consecuti sunt, vt depulsis hostibus nihil mali acciperent: sub Cimone ipsos etiam hostes infestauerunt expeditione in eos facta? & terram occupauerunt, deductis Eionem & Amphipolim colonijs. Scyrum quoque colonia ducta est: cùm eam hac occasione Cimon cepisset. Habitabant in ea insula Dolopes, agriculturæ parum dediti, sed qui iaminde ab initio maritima latrocinia exercere adsueti, ad extremum ne ab hospitibus quidem vim abstinerent: & ita Thessalos quosdam negociatores cùm ij apud Ctesium naues subduxissent, spoliatos in vincula coniecerant. Hi cùm effugissent, Scyriosq́ue apud Amphictyones in ius vocassent, causamq́ue suam obtinuissent: cùm multitudo nollet ad persoluendam, quæ rapta fuerat, pecuniam conferre, sed eos qui diripuissent atque tenerent, reddere iuberet, hi sibi metuentes, Cimonem missis literis iusserunt cum nauibus venire, accepturum ipsis tradentibus Scyrum in suam potestatem. Cimon hoc modo insula potitus, Dolopas eiecit, Ægeumq́; mare prædonibus liberauit. Audiuerat etiam priscum illũ Theseum

*Scyro recepta Cimon reliquias Thesei refert.*

Ægei F. Athenis profugum in ea insula dolo Lycomedis regis sibi ab eo metuentis perijsse: eius sepulchrum inuenire cupiebat. Erat enim oraculo Athenien sibus mandatum, vt Thesei reliquias in vrbem reportarent, Heroicisque honoribus colerent: verùm eæ vbi sitæ essent, ignorabatur, Scyrijs dissimulantibus neq; inquirendi facultatem concedentibus. Tunc igitur ægrè & magno studio inuento loculo, ossa Cimon in suam triremem imposuit, magnificeq; ornata Athenas reportauit, quadringẽtesimo ferè postquã Theseus Athenis fugerat anno. Hoc illi maximum populi fauorem conciliauit. Itaq; & memoriæ causa iudex in nobili illo tragœdorum certamine constitutus est. Cùm enim primam fabulam Sophocles iuuenis adhuc doceret, orto inter spectatores dissidio & rixa, princeps ciuitatis Aphepsion, certaminis eius nullos delegit arbitros, sed Cimonẽ vnà cum collegis in theatrum progressum, cùm is Deo ritè libasset, retinuit, iuramentoq; adactos coegit considere, atque iudicare. erant autem decem viri, vnus ex quauis tribu. Fuit id certamen vel propter iudicum autoritatem ardentius. Vicisse Sophoclem traditur: Æschylumque ægerrimè id tulisse, pauloq; pòst irato animo in Siciliam concessisse, vbi & mortuus, & iuxta Gelam sepultus est. Ion se cùm adolescens admodum ex Chio Athenas venisset, cœnauisse apud Laomedontem cum Cimone ait: iussumque hunc peractis libationibus canere, præstitisse id non ineleganter: eamque ob rem Themistocli ab ijs qui aderant antelatum. Is enim non se canere, aut ludere fidibus didicisse aiebat, sed vrbis ad magnitudinem & diuitias euehendi artem callere. Exinde, vt inter pocula fieri assolet, deducto ad res Cimonis gestas sermone, maximisque earum commemoratis, vnum ait ab ipso suorum strategematum recitatum, quod prudentissimum ipse iudicaret. Socios, cum à Sesto & Byzantio multos barbaros cepissent, partitionem sibi commisisse. Tum se ab vna parte captiuis, ab altera vestibus & instrumẽto omni eorum posito, cùm inique in diuisione versatus diceretur, optionem socijs dedisse vtram ipsi vellent partem eligendi; reliqua Athenienses contentos futuros pollicitum ab Herophyto Samio socijs persuasum, vti Persarum potiùs bona quam corpora acciperent: atque ita discessum esse, cùm quidem ipse risui haberetur, quòd ineptè

*Sophoclis & Aeschyli certamen.*

*Cimonis Musica.*

*Strategema.*

prædam

prædam partitus esset: nempe socijs armillas aureas,& torques,& candyas,& purpuras auferentibus, cùm Athenienses nuda corpora, eaque malè ad laborem instituta acciperent. Paulo pòst captiuorum amicos& propinquos ex Phrygia & Lydia aduentantes, singulos captiuorum magna redemisse pecunia, ita vt quatuor mensium stipendia in classem inde nactus, ac præterea ex ea pecunia multum auri in ærarium sit relatum. Auctus iam opibus Cimon, quę re bellica præclarè parauerat, honestiùs in ciues impendit. Nam & sepes agrorum suorum sustulit, vt & hospites & ex ciuibus qui opus haberent fructibus corũ impunè possent frui: cœnam etiam domi suæ frugalem eam, sed multis tamen sufficientem apparabat, vt quicunq; paupertum vellet, eam aditet, alimentaq; nullo labore parta habens, tantum publicis vacaret negocijs. Aristoteles non omnibus Athenienſibus, sed curialibus suis Laciadis, quicunq; ex ijs vti vellent, cœnam eum parasse scribit. Comitabantur Cimonem assiduò quidam familiares adolescentes: ij si quis senior ex ciuibus Cimonem compellaret malis vestibus indutus, cum eo vestimenta mutabant. Videbaturq; ea res habere haud parum splendoris. Ijdem adolescentes multum secum pecuniæ ferentes, pauperibus in foro, si quos ope digniores videbant, occultè nummos in manus immittebant. Quarum rerum videtur in Archilochis mentionem feciſſe Cratinus Comicus ita scribens:

*Liberalitas.*

*Et ipse ego scriba Metrobium optaueram*
*Diuino, & hospitali apprimè cum viro*
*Primoq; Graiorum omnigenis virtutibus*
*Senium Cimone exigere suauiter meum,*
*Conuiuijsq; atatem terere: at hunc prius*
*Fatum abstulit.-----*

Portò Gorgias Leontinus Cimonem diuitias parauisse vt eis vteretur, vsum autem vt in honore haberetur asseruit. Critias autem, qui de triginta tyrannis vnus fuit, in elegis suis sibi optat

*Diuitias Scopadum, donandi animumq; Cimonis,*
*Agesilae etiam parta trophaa tibi.*

Licham quidem Spartanum nulla alia reinter Græcos celebre nomẽ adeptum nouimus, quã quòd peregrinos ludis gymnicis hospitio acceperit. Cimonis verò liberalitas etiã priscam

priſcam illam Athenienſium hoſpitalitatē humanitatemq; ſuperauit. Ij enim (quod non immeritò gloriæ ſibi ducunt Athenæ) & ſemen frumenti inter Græcos vulgarunt, & fontanarum aquarum, ignisque accendendi communitatem opus habentibus demonſtrarunt. At iſte domum ſuam ciuibus Prytanei inſtar communicādo, in prædijs omnium fructuum primitias, & quæcunq; anni tempeſtates ſecum commoda ferūt, vtenda & accipienda omnibus hoſpitibus præbendo, fabuloſam illam quæ Saturni fuerit temporibus omnium rerum communionē quodammodo reduxit. Quod ſi qui hæc adulationem eſſe, & auræ popularis captationem calumniati ſunt, facilè eos reliquum vitæ inſtitutum eius viri redarguit, optimatium partibus ſtudentis, & Laconicum morem tenentis: quando is & Themiſtocli populi in republ. poteſtatem vltrà quàm conueniret extollenti, vna cum Ariſtida ſe oppoſuit: & poſteà Ephialti, in gratiam populi Areopagiticum ſenatum tollere aggreſſo aduerſarius fuit. Cùm verò quæſtu ex bonis publicis reliquos excepto Ariſtida & Ephialte omnes corruptos videret, ipſe ad finem vſque in repub. tractanda à muneribus capiendis ſibi cauit, omniaque continenter gratis & integrè egit atque dixit. Rœſacem quendam barbarum qui à rege defeciſſet, perhibent cum magna pecunia Athenas peruenisſe: hunc à ſycophantis vexatum, ad Cimonem confugiſſe, atque apud fores duas pateras depoſuiſſe, vnam argenteis plenam Darcis, aureis alteram. Cimonem his viſis ſubriſiſſe, quæſiuiſſeque ex eo, Cimonémne mercede conductum an amicū habere mallet: cùm is amicum reſpondiſſet: Iſta ergo, dixiſſe, aufer tecum: contracta enim amicitia, vtarijs vbi opus fuerit. Cùm ſocij tributa quidem penderent, naues autem virosque non vt fuerat conſtitutum præberent: ſed feſſi iam militiæ, neque iam bello opus eſſe, ſed agricultura vitaque quieta putarent (quippe iam ſummotis, nihilque moleſtiæ offerentibus barbaris) ideoque & naues non inſtruerent, neque militem mitterent: cæteri Athenienſium duces ad præſtanda ea ipſos adigebant, ac qui non ſatisfeciſſent, eos in ius trahendo ac puniendo moleſtū ſocijs imperium ſuum reddebant. Cimon diuerſam viam in ſuo obeundo munere ingreſſus, null. Græcorū vim facere: pecuniam ab ijs, quos militiæ pigebat, accipere, nauesq; hominum vacuas: eos ita

*Integritas Cimonis, & optimatum ſtudium.*

ocio

ociò oblectari, suisq; rebus intentos agricolas fieri & quæstui deditos homines pro bellatoribus effici per luxum & væcordiam sinere. Ipse Athenienses alios subinde atq; alios in classem conscribere, paruoque temporis spacio exercitatos, sociorum dominos, quorum stipendijs alebantur, efficere. quippe ij adsiduè nauigantes, & arma tractantes illos, ipsorumque sumptu ad rem militarem vtentes metuere & adulari adsuefacti, non animaduertebant paulatim se de socijs stipẽdiarios & seruos redigi. Et verò nemo quisquam regis Persarum perinde atque Cimon spiritus fregit atque retudit. Non enim missum eum fecit, postquam est is Græcia expulsus: sed insecutus uestigio barbaros, antequam ij respirare & se colligere possent, quædam Asiæ loca vastauit atque diripuit, quædam ad defectionem à barbaris ad Græcos perttraxit: ita quidem, vt vniuersam ab Ionia ad Pamphyliam vsque Asiam armis Persarum liberauerit. Vt renunciatum porrò est ei, regis duces magno cum exercitu multisque nauibus stationem apud Pamphyliam tenere: vt per metum eos omni quod est intra Chelidonias insulas mari excluderet, à Cnido & Triopio cum ducentis triremibus profectus est. Erant hæ ad celeritatem confligendi, & vt circumagi possent, à Themistocle optimè paratæ. Sed tum Cimon eas & latiores effecit, & transitus per tabulata parauit, vt multis instructæ classiarijs maiorem in pugna vim habe rent. Proinde ad vrbem Phaselin aductus, quæ cùm Græca esset, classem tamen recipere, aut à barbaris desciscere nolebat, agrum vastauit, muros oppugnauit. Erant in classe Cimonis Chij, quibus antiquitus cum Phaselitis intercedebat amicitia. Ij modò Cimonem mitigando, modò sagittis affixos libellos in vrbem traijciendo, tantum effecerunt, vt Phaselitæ decem talentis persolutis Cimoni, ei se in militia contra barbaros auxiliarios adiungerent atque sequerentur. Regiæ classis præfectum Ephorus Tithrausten nominat, terrestrium copiarum Pherendatem. Callisthenes tradit, Ariomandem Gobryæ F. summæ rerum præfectum naues in statione apud Eurymedontem fluuium tenuisse, nil minus quàm pugnare cum Græcis cupientem, sed Phœnicias naues octoginta à Cypro aduentantes expectantem. Hisce vt anteuerteret Cimon, in altum prouectus est, certus animi vim inferre hosti, si is nauale prælium subterfugisset.

*Res in Asia gestæ.*

Barbari

Barbari primùm ne vim paterentur, intra fluuium sese receperũt. Athenienſibus autem ingruentibus, ita demum contrà prouecti ſunt, nauibus (vt Phanodemus autor eſt) ſexcentis: Ephorus CCCL. ſcribit. Nihil tantis dignum copijs barbari nauali eo certamine egerunt: ſtatim ad terram reuerſi, primi eorum nauibus exilierunt, & pedeſtribus ſe copijs iuxtà inſtructis permiſcuerunt: quibus effugere non contigit, ij vnà cũ nauibus perierunt. Satisq; manifeſtum eſt, permultas barbarorum naues inſtructas fuiſſe: quando multis haud dubiè elapſis, multis perfractis, ducentæ tamen captæ ab Athenienſibus ſunt. Pedeſtribus autem copijs ad mare deſcendentibus, magni quidem laboris opus videbatur Cimoni, vi egreſſum in terram parare, Græcosq; defeſſos cum integris longeq; ſuperioribus numero hoſtibus committere: cernens tamen ſuorum animos victoria elatos alacresq; ad congrediendum cũ barbaris, expoſuit grauis armaturæ milites. Hi etiamnum à nauali prœlio calentes, cum vociferatione in hoſtem impetum fecerunt. Perſis eos ſubſiſtentibus, atq; haud ſegniter repugnãtibus, acris pugna extitit: & ab Athenienſibus præſtantes quidam ſummæq; dignitatis viri ceciderunt. Fuſis multo certamine barbaris, magna deinde eorum cædes fuit: captaque ſunt cum ipſis *hoſtibus* caſtra, omnis generis opum referta. Cimon verò, vti athleta præſtans, duabus vno die potitus victorijs, ſuperatoque nauali pugna Salaminio, terreſtri Plataico facinore, certamen aliud quaſi additamentum victorijs & trophæum quærens ſubijt. Octoginta enim (quarũ ſuprà eſt mentio facta) Phœnicias naues, quæ pugnæ nõ interfuerant, audiens Hydrum appuliſſe, celeriter eò cũ claſſe nauigauit. Nihil dũ certi de maioribus ſuorũ ducum copijs ij compererant, verũ diffidebant adhuc, animosq; expectatione ſuſpenſos habebant. quo magis perterriti, & naues omnes amiſerunt, & eorum maior pars vnà perierunt. Id factũ regis animũ ita deiecit, vt nobilẽ illam pacis conditionẽ acceperit, vti ſemper equi curriculo à Græco mari abſtineret, intra Cyaneas & Chelidonias inſulas naui longa & ærata ne nauigaret. Calliſthenes quidẽ non hoc pactum eſſe regem ſcribit, ſed ita clade accepta perterritum fuiſſe, vt hoc faceret: adeoq; procul à Græcia ſe cõtinuiſſe, vt quinquaginta nauibus Pericles, triginta Ephialtes vltra Chelidonias prouecti, nullam ſibi obuiam

*Cimonis ad Eurymedõtem victoria.*

*Pacis cum rege conditiones.*

uiam classem barbaricam habuerint. In decretis tamen quę Craterus congessit, tanquam fœderum exemplaria, ea quoque cõditio tanquam conuenta ponitur. Ferunt etiam propterea aram Pacis ab Athenienſibus poſitam, ſummosque Calliæ, qui legatus pacificationi præfuit, honores habitos. Præda diuendita, magna pecuniæ vis populo parta, & ex ea murus arcis qui meridiem ſpectat ędificatus eſt. Longorum etiam murorum (quos crura ijdem appellant) ſtructura poſterioribus quamuis temporibus fuerit perfecta, primùm tamen tum fundamenta iacta ſunt: quæ in locos paluſtres & humectos cùm incidiſſent, Cimon glarea multa, grauibusq; ſaxis in palũdes iniectis, ea corroborauit, ſumptusq; ipſe præbuit. Primus etiam liberalibus (vt vocabantur) & amœnis locis, in quæ ſe animi cauſa reciperẽt ciues, vrbem exornauit, quę paulo pòſt mirum in modum grata fuerunt. Nam & forum platanis conſeuit: & Academiam ex ſqualida & aquis carente, irriguum lucum effecit, apertis ad cursum ſpacijs & opacis deambulationibus adornatum. Cùm Perſarum quidam Cherroneſo decedere nollent, ſed Thraces ſuprà accolentes ſibi adſciſcerent, ſpreto Cimone, qui cum perpaucis triremibus Athenis ſoluerat: facto in eos impetu, quatuor ſuis nauibus tredecim ipſorum naues cepit, eiectisque Perſis, & ſuperatis Thracibus, totam Cherroneſum Athenienſium ditionis fecit. Inde Thaſios, qui ab Athenienſibus defecerant, nauali pugna vicit, captis tribus & triginta hoſtium nauibus vrbem expugnauit, aurique metalla quæ ij in oppoſita continente poſſederant, Athenienſibus propria reddidit, agrumque Thaſijs ademit. Inde cùm facilè in Macedoniam irrumpere, agrumque ſibi vendicare poſſet, quia id facere nolebat, culpatus eſt à rege Alexandro donis acceptis ita egiſſe: coitione neque inimicorum facta, in ius pertractus eſt. Apud iudices cauſam ſuam agẽs, Non ſonibus inquit, neq; Theſſalis diuitibus patrocinor, id quod alij faciunt, vt ab ijs colantur muneribusque affician tur: ſed Macedonibus, imitans eorum diligensque frugalitatem & temperantiam, quæ ego ante omnes diuitias pono: lætorque tamen, quòd hoſtilibus bonis vrbem ditauerim. Steſimbrotus vbi huius iudicij meminit, Elpinicem ait deprecatum pro fratre ad Periclem (is enim erat accuſatorum vehementiſſimus) acceſſiſſe: eumq; ſubridentem reſpon-

*Vrbs à Cimone munita & ornata.*

*Cherronesum capit.*

*Causam dicit.*

respondisse, Vetula iam es ô Elpinice, & prouectiori ætate, quam vt huiusmodi res conficere possis: veruntamen in iudicio eum in Cimonem fuisse benignissimum, semelq; tantùm, vt accusatione sibi mandata defungeretur, surrexisse. Eo in iudicio Cimon absolutus est. Quod ad res ciuiles ab eo tractatas præterea attinet, præsens quidem superabat, compescebatq; populum in optimates insurgentem, summamque rerum ad sese trahentem. Postquam rursum dux factus ab vrbe soluit, multitudo absolutam nacta licẽtiam, ordinem reipub. institutionesq; maiorum, quibus Ephialte rerum potiente vsi fuerant, euertit, omniaque paucis exceptis iudicia Areopago ademit, sibique ius cognoscendarum causarum arrogans, vrbem sub immodicum populi imperium redegit: iam tum Pericle potentiam adepto, multitudinisque rebus fauente. Itaque vt Cimon Athenas reuersus indignè tulit circumscriptam esse senatus dignitatem, conatusque est rursus eò iudicia reuocare, optimatumque in republ. potestatem, cuius autor Clisthenes fuerat, reducere: inimici facta coitione eum clamoribus oppresserunt, populique aduersus ipsum animos irritauerunt: crimen vitiatæ sororis renouando, Laconismumque obijciendo. Et furuntur triti Eupolidis de Cimone hi versus:

*Crimina Cimoni obiecta.*

*Malus haud erat: sed negligens, bibaxq; erat:*
*Aliquando dormitauit & Lacedæmone,*
*Solam relinquens Elpinicen hic suam.*

Equidem si socors ille, ebriosusq; tot vrbes cepit, tot victorias reportauit: vtique sobrius & attentus rebus si fuisset, nemo rebus gestis eum neque priorum neque posteriorum Græcorum antecelluisset. Fuit autem iam inde ab initio Lacedæmoniorum studiosus. Et narrat Stesimbrotus, duobus eum gemellis sibi ex Clitoria vxore natis, alteri Lacedæmonio, Eleo alteri nomen posuisse: ideoque ijs Periclem sæpe maternum genus exprobrauisse. Diodorus Periegetes & hos, & tertium nomine Thessalum, ex Isodica Cimoni natos filia Euryptolemi, Megaclis nepte. Euectus autem est Cimon opera Lacedæmoniorum iam tum Themistoclem oppugnantium, cupientiumque vt is iuuenis in vrbe præualeret. Fuitque id initio gratum Athenienſibus beneuolentiæ Spartanorum erga ipsum haud exiguos fructus percipientibus. Cùm enim prima incrementa adhuc facerent,

socio-

sociorumq; rebus intenti essent, honores & gratiam Cimonis ægrè nõ ferebant: nam per eum pleræq; res Græcæ agebantur, cum ipsius consuetudo & apud socios mansueta, & Lacedæmonijs grata esset. Aucti iam opibus, cùm Cimonem haud obscurè Spartanis addictum cernerent, molestè id tulerunt. Passim enim Spartanorum laudes coram Athenienſibus prædicabat, & præcipuè (vt ait Stesimbrotus) sicubi eos reprehenderet, aut cohortaretur, dicere solebat: At verò Lacedæmonij non tales sese gerunt. ea re in offensas inuidiamq; ciuium incurrit. Quæ verò maximè omnium eum pressit calumnia, huiusmodi habuit originem. Archidamo Zeuxidami F. quartum Spartæ annum regnante, terræmotu (quo non maior vllus superioribus temporibus accidisse memoratur) Laconica concussa, multos hiatus accepit, Taygetoque tremefacto, quidam eius vertices abrupti deciderant: ipsam vrbem, quinq; exceptis domibus, terræmotus deiecerat. In media porticu cùm simul ephebi & impuberes exercerentur, paulò ante terræmotum (ita enim fertur) lepus prætercurrit: eum adolescentuli vt erant vncti cum per iocum insequerentur, interim in puberes gymnasium incidit, omnesq; oppressit. Sepulchrum eorum hodie etiam à terræmotu Sismatiæ nomen habet. Ibi tum Archidamus celeriter conspicatus quod vrbi immineret periculum, videnscq; in eo ciues esse, vt precioſissimas quasque res ex ædium ruinis eruerent, turba signum dare quasi irruerent hostes iussit, vt quàm primùm ciues ad ipsum armati conuenirent. Id vnum eo tempore Spartæ salutem attulit. Rustici enim vndique ex agris concurrerant, vt qui à terræmotu superstites essent Spartanos opprimerent: vbi eos in armis esse, & stare in acie viderunt, in oppida sua recesserũt, bellumque apertè fecerunt, multis ad eius societatem vicinorum pertractis, & Messenijs vnà etiam Lacedæmonios inuadentibus. Eam ob rem Spartani Periclidã Athenas petitum auxilium mittunt, quẽ Comicè exagitans Aristophanes ait pallentem in veste punicea, inq; ara sedentem auxilium postulasse. Ephialte autem repugnante, obtestanteque ne ijs succurrerent Athenienses, neque vrbem Athenis æmulam erigerent, sed iacere eam, fastumque Spartanum calcari sinerent: Cimonem ait Critias patriæ incremento vtilitati Lacedæmoniorum posthabito, populo diuersum

*Terræmotus Laconicus.*

persuasisse, multisque cum armatis ad opem ferendam exiuisse. Ion sermonem etiam commemorat, quo maximè Athenienses permouerit. hortatum enim esse, ne vel Græciam mutilari paterentur, vel vrbem quæ vnà cum Athenensibus iugum sustinuisset & pro Græciæ salute laborasset, neglige-
rent. Cum autem suppetias Lacedæmonijs ferens per agrum Corinthium iter faceret, Lachartus eum reprehẽdit, quòd Corinthum cum exercitu intrasset, non compellatis ea de re prius ciuibus. moris enim esse, vt qui alienum ostium pulsarent, non antè, quàm dominus ædium iuberet, introirent. Cui Cimon: Enimuerò, inquit, Lacharte vos Cleonas & Megara foribus non pulsatis, sed perruptis, armatuli stis, omnia ijs qui plus possunt aperta esse debere rati. Ita haud alieno tempore cum Corinthium libero & graui sermone redarguisset, cum copijs transiuit. Rursum deinde Lacedæmonij contra Heilotas & Messenios, qui Ithomæ erant, auxilium Athenienſium petierunt: atque cum ij venissent, audaciam eorum & armorum splendorem suspectum habuere, solosque omnium auxiliariorum tanquam nouis rebus intentos à se remiserunt. Irato animo domum reuersi sunt Athenienses, palamque ijs quos Lacedæmonijs fauere scirent infensi, Cimonem leui occasione oblata decennali exilio (id enim est exostraciſmus) puniuerunt. Interea temporis cum Lacedæmonij Delphos à Phocensibus liberatum profecti, ad Tanagram castra fecissent, & Athenienses obuiam ijs pugnandi causa iuissent, Cimon armatus ad hos peruenit, ciues suos in vlciscendis Lacedæmonijs adiuturus, atque inter tribules suos Oeneidas constitit. Verum quingentiuiri cum id percepissent, inimicorumq; sermonibus qui eum aciei perturbandæ, vbique Lacedæmonios inducendi causa adesse vociferabantur, adducti malè de eo iudicarent, mandauerunt ducibus, ne Cimonem in aciem reciperent. Ita repulsus abijt, cohortatus tamen antè Euthippum Anaphlystium, reliquosq; sociorum qui animis ad Spartanos inclinare putabantur, vt fortiter in hostẽ pugnarent, & de hoc crimine ipso facto ciuibus suis sese purgarent. Illi armatura Cimonis ad se recepta, in centuriam compositi acerrimè contra hostem prœliati, omnes cecide-
runt, centum numero: magnumq; suis desiderium, & pœnitentiam iniustè obiectorum criminum reliquerũt. Vnde

*Cimon Lacedæmonius opitulatur.*

*Ostracismo ejicitur vrbe.*

factum

factum est, vt contra Cimonē quoq; ira non esset diuturna, cum (vt par erat) meritorum eius recordantibus, tum temporis rationem habentibus. Victi enim ad Tanagram magno prœlio & primo vere exercitum ex Peloponneso hostilē adfuturum existimātes, Cimonem ab exilio reuocarunt: idq; de eius reditu decretū Pericles scripsit. adeò tum ciuiles discordiæ, animique erant moderati, & publicæ vtilitatis causa placabiles: ac quæ omnibus est superior affectibus ambitio patriæ bonis cōcedebat. Cimon in patriam reuersus, statim composuit bellum, vrbesque inter se in gratiam reposuit. pace facta, cū cerneret Athenienses quiescere non posse, sed opes incremētaq; belligerando expetere: ne Græcis ij molesti essent, aut multis nauibus circa insulas aut Peloponnesum vagantes, occasiones intestini socialisve belli contra vrbem præberent, ducentas triremes instruxit, rursus in Cyprum Ægyptumq; classem ducturus, vt simul & in certaminibus contra barbaros exerceret Athenienses, & iustè partas ij ex hostibus natura comparatis diuitias in Græciam referrent. Paratis iam omnibus, exercituque ad naues congregato, insomnium Cimoni tale apparuit. canis irata ipsum allatrare visa est, & vocem inde ex humana & canino latratu confusam edere in hæc verba,

*Reuocatur.*

*Pacē constituit.*

*Ostentæ.*

*Vade, mihiq́, meis catulisq́, futurus amicus.*

Cum in dubio esset, quidnam hoc sibi vellet, Astyphilus Posidoniates diuinus homo, & Cimonis familiaris, mortem ei prædici asseruit, hoc vsus argumento: Canis homini, quem allatrat, inimicus est: inimico autē nemo charus aut amicus est, nisi si moritur: porrò mixta vox, Medū hostem designat, cuius copiæ ex Græcis & barbaris mixtæ sunt. Post hoc insomnium cum Baccho sacrificaret, ac augur hostiam iugulasset, sanguinem iam concretum formicarum agmen paulatim ad Cimonē detulit, & pollici pedis eius illeuit. diu id nemo sensit: tandem & Cimon animum aduertit, & aruspex iecur attulit, capite carens. Nihilo minus Cimon (non enim erat expeditionē institutam subterfugere) cum classe abijt: missisque Ægyptum versus sexaginta nauibus, reliquis ipse vsus regiam classem ex nauibus Phœnicijs & Cilicijs constantem prœlio nauali superauit, vrbesq; in ora maritima circumuectus recepit, rebusque Ægyptijs animum intendit. Nihil.n. humile animo agitabat, sed totius Persici

regni euersionem: maximè ad hoc instigatus, cùm Themistoclem à barbaris susceptum in magna ibi esse gloria & potestate audiret, eumq; pollicitum regi bellũ contra Græcos molienti ducem se futurum. Eamq; sanè ferunt haud minimam Themistocli, cur mortem sibi conscisceret, causam fuisse, quòd de rebus Græcis desperasset, intelligens nequaquam se Cimonis felicitate & virtute superiorem futurum. Sed Cimon cùm magnorum certaminũ principia fecisset, classem apud Cyprum tenens, ad Ammonem misit, qui occulta quapiam de re oraculũ peterent. Neq; enim cuiquam constat, cuius rei gratia Deum consuluerit: neq; oraculum ei est redditum, sed qui sciscitatum venerant, eos statim abire Deus iussit, quòd iam ipsum Cimonem secum esse diceret. Illi his auditis cùm ad mare redijssent, vt peruenerunt ad Græcorum castra quæ tum in Ægypto erant, Cimonem fato defunctum perceperunt: numeroq; dierum supputato ad id tempus, quo ipsi oraculum consuluerant, deprehenderunt obliquè Cimonis mortem fuisse indicatam, qui iam ad Deos concessisset. Mortuus est autem Cimon ex morbo, in obsidione Citij, vt pleriq; perhibẽt. quidam aiunt ex vulnere, quod pugnans cõtra barbaros accepisset, obijsse. Moriens suos iussit statim in patriam cum classe redire, occultato ipsius obitu: atq; ita factum est, vt Cimon mortem eius & hostibus & socijs ignorãtibus incolumes suos in patriam reduxerit trigesimo quàm mortuus fuerat die, vti Phanodemus scribit. Post mortẽ Cimonis nemo quisquam Græcorum ducum quicquam contra barbaros insignis facinoris edidit: sed ad intestina bella ab oratoribus pertracti, interq; se commissi, nemine lites dirimente, respirandi facultatem Persarum regi concedentes Græcorum vires ipsi vltrà quàm verbis efferri possit attriuerunt. Longo pòst tempore Agesilaus exercitum in Asiam traiecit, bellumq; breue ducibus in ora maritima regijs fecit: nullaq; magna aut insigni ibi re gesta, rursum alio ab initio ortis inter Græcos seditionibus retractus, abijt, exactores stipendiorũ Persicos in confœderatis & socijs vrbibus relinquens: cùm quidem duce Cimone ne tabellarius quidem Persicus ibi fuisset conspectus, neque equus intra quadringentesimum stadium ad mare veniisset. Reliquias Cimonis in Atticam fuisse reportatas, monumenta docent, quæ etiamnum Cimonea dicuntur. Honorant

*Mors Cimonis.*

*Monumẽta.*

norant & Citienſes quoddã Cimonis ſepulchrum, vt Nauſicrates rhetor ait: quòd fame & ſterilitate laborantibus oraculum præcepiſſet vti non negligerent Cimonem, ſed numinis inſtar alicuius colerent atque venerarentur.

## IN CIMONEM ANNOTATA ab Interprete.

*Cimonis ætas ſatis illuſtris eſt, bello præſertim Perſico aduerſus Xerxẽ. De patre eius Miltiade, & matre Hegeſipyla, legi poteſt Herodotus libro ſexto.*

1 Coalemi.] κοάλεμον. *Vocabulum ductum παρὰ τὸ κοεῖν & ἀλᾶσθαι, quod eſt errare, & mentis impotem eſſe. Euſtathius annotauit in Iliad. 6. & ſic etiam interpres Ariſtophanis in Equitibus, exponens oraculi verſum:*

Γαμφυλῆσι λεάκονλα κοάλεμον αἰμαλοπώτιν.

2 Olim Piſianactios.] *Iuſtinianus Pleſianactium habet, neſcio quid ſecutus: & ne mendum typographi crederem, facit quod idem eſt apud Amiotum. In Græco eſt* Πλησιακλίῳ, *Pleſiactio quaſi dicas, quæ vicina ſit littori. Sed ex Pauſaniæ Atticis diuerſum apparet. Apud Diogenem Laertium libro ſeptimo in vita Zenonis legi, porticum eam antiquitùs Peiſianactiam appellatam: inde à pictura Polygnoti Pœcilen (id eſt variam) dictam fuiſſe. quod & Suidas & alij habent: & nomen Pœciles eodem modo interpretatur ipſe Pauſanias, itaque hic in Plutarch. mendum eſt,* τῇ πλησιακλίῳ τότε καλουμένῃ, *reponendúmque,* Πεισιανακλίῳ, *vel (vt Suidas & Varinus ſcribunt)* Πεισιανακλείῳ. *Meminit rei de qua hîc diſſeritur, Plinius etiam libro trigeſimoquinto, cap. nono. In pentametro autem Mellanthij verſu, mendoſa eſt vltima vox* ἀγορᾶσιν: *ſed aliam ſubſtituere non auſim.*

3 Palàm contractis nuptijs.] *Autor libelli de Viris illuſtribus ab Atticum, ſiue is omnino eſt Aemilius Probus,*

Cōiugium cū sorore.

licuisse Athenienſibus eodem patre natas vxores ducere aſ-
firmat. Quod tametſi ſcio quoſdam non indoctos homines
in dubium vocare, ac maximè eo niti argumento, quòd Ci-
mon ob conſuetudinem ſororis Elpinices præſertim apud ci-
ues culpatus, adeóque etiam teſtularum iudicio in exilium
actus perhibeatur: tamen eorum eſt veritati poſthabenda
autoritas. Non enim quòd matrimonio ſibi eam iunxiſſet
Cimon, ideò accuſatus fuit: ſed quòd ea citra nuptias abu-
ſus credebatur, quod facilè ex Plutarchi verbis intelligere
quiuis attentior poſſit. & apud Athenæum quoque huius rei
mentionem libro decimotertio inducentem, non ſimpliciter
ἐστ τῇ ἀδελφῇ σωόντϖ: ſed additum παρανόμως, quod
opus non erat, ſiquidem omnino & quouis modo corpus cum
ſorore miſcere apud Athenienſes vitio fuiſſet datum. Et verò
idem noſter Plutarchus in Themiſtocle refert, huius filium
Archeptolim, ſororem ſuam Mneſiptolemam, alia matre
Themiſtocli natam in matrimonium duxiſſe: eo ſcilicet ex-
emplo, quo Aemilius Athenienſibus vti permiſſum ſcripſit.
Quod monere volui, ne quis temerè ſecus de bonorum auto-
rum dictis ſtatuat.

4 Vt lapideas Mercurij ſtatuas.] Poſitæ ſunt A-
thenis in porticu Mercuriali. Vide hac de re orationem Ae-
ſchinis in Cteſiphontem: vbi & hæc carmina recitantur,
etſi paululum aliter quædam legantur. Quod de Meneſtheo
citatur Homeri præconium, eſt lib. 2. Iliadis, in Claſsis re-
cenſione.

5 Curialibus ſuis Laciadis.] Idem hoc ex Theophra-
ſto refert Cicero, lib. 2. de Officijs.

6 Ageſilae etiam.] Pentametrum oportet eſſe: itaque
ſic ſcriptum ab autore opinor:

Νίκας ἀγησίλεω τῦ λακεδαιμονίυ. In Cratini verſib. pro
κάτω γὰρ ἤυχουν, ſcribendum eſt, κἀγὼ, &c.

7 Auriq; metalla.] τὰ χρυσία, mallem χρυσεῖα. ſic &
ſuprà

*suprà eodem libro, de Thucydide. Iustinianus vtrobiq; Chrysia posuit, quasi nomen proprium esset. notæ autem Thasiorum sunt diuitiæ, & istorum locorum metalla.*

8 Rustici enim.] εἱλώτας. *intelligit autem seruos Lacedæmoniorum qui ipsis agros colebant, Heilotas. Loquitur enim de bello, quod ij Messeniorum auxilio contra Spartanos, eorum rebus terræ concussione afflictis, susceperunt. cuius etiam in Lycurgi vita est facta mentio.*

## PLVTARCHI LVCVLLVS, GVILIELMO Xylandro, Augustano, interprete.

LVCVLLI auus vir consularis fuit, auunculus Metellus Numidicus. Pater repetundarum damnatus est: mater Cæcilia infamis fuit ob suspicionem violatæ pudicitiæ. Ipse Lucullus adolescens etiamnum priusquam rempublicam attingeret, vllamve dignitatem ambiret, nihil antiquius habuit, quam Seruilium Augurem patris sui accusatorem publico crimine accusaret: idque factum Romani præclarum existimarunt, inque omnium ore fuit. Et alioquin etiam absque priuata occasione haud vitio dabatur accusandi munus, volebāq; planè Romani, adolescentes ijs qui deliquissent, vt catuli generosi solēt feris, infestos esse. Causa illa magna contentione acta, ita, vt quidam sauciarentur, aliqui occiderentur, euasit tamen Seruilius. Lucullus magnam vtriusque sermonis facultatem sibi parauit: ita vt & Sylla rerum suarum commentarios ei inscripserit, tanquam rectiùs composituro historiam. Nō enim ad vsum tantùm orationem paratam meditatamque accuratè habebat: sicuti aliorum facundia forum,

*Genus, & in patrem pietas.*

*Facundia eius.*

*Thymus & elur perturbat impetu fretum,*

concitabat, extra forum erat

*Exucca, inelegantiaq; emortua.*

sed à puero liberali etiam, quam vocamus, & accuratæ se disciplinæ pulcritudine rei ductus dediderat. Ætate prouectior, post obita varia certamina totum se ocio philosophico dedit, inq; contemplationibus rerum acquieuit, tempestiuè animi ardorem reprimēs, ex contentione cū Pompeio

natum. Additur & hoc de eruditione eius, iuuenem adhuc cum Hortensio causidico, Sisennaque historico per iocum primùm, seriò deinde contendisse ac professum, seu oratione seu carmine Latino Græcove, vtrum sors tulisset, bellum sese Marsicum descripturum. videtur orationem Græcam fortitus fuisse: extat enim adhuc Græca eius belli historia. Cùm multa certissima eius in fratrē Marcum beneuolentiæ signa, tum id primo loco Romani cōmemorant, quòd adultior eo, noluit tamen magistratum solus ambire, sed expectato tempore dum id fratri etiam per leges liceret: itaque populum sui studiosum effecit, vt cum eo, absens ipse ædilis crearetur. Bello Marsico iuuenis audacter multa prudēterq; egit: grauitatem tamen eius magis, mansuetudinemq; amplexus Sylla, eiusq; opera nunquam non est arduis in rebus vsus: sicut etiam in cudendo nomismate. Maximam enim eius nomismatis partem, quod ad bellum Mithridaticum est in Peloponneso factum, Lucullus signauit, ab eoque est Luculleum dictum: & propter varios in bello vsus subinde eum alijs atq; alijs rebus Sylla præfecit. Cū Athenienſi agro capto terra potiretur, commeatu autē ab hostibus, qui mare classe obtinebant, intercluderetur, Lucullū in Ægyptum & Africam, vt inde naues adduceret, emisit. Auectus est media hyeme Lucullus cum tribus Græcis myoparonibus, & totidem Rhodijs dicrotis, in magnum à mari vasto & hostilibus nauibus per occupatum mare passim vagantibus periculum se conijciens. Sed tamen & Cretam adiuit, eamque in suam potestatem redegit: & Cyrenæorum statum cùm reperisset ob continentes atque bella perturbatum, recepit eos, remque publ. constituit, oraculi Platonici ciuitatem admonens. Cùm enim (vt aiunt) ab ipso Cyrenæi petijssent, vti leges ipsis ferret, populumq; componeret forma reipubl. moderata, difficile esse responderat Cyrenensibus rebus tam secundis vtentibus leges statuere: nihil enim difficiliùs regi posse, quàm homine prospera vtentem fortuna: nihilq; vicissim faciliùs admittere disciplinam, quàm eum qui rebus aduersis esset fractus. quod ipsum eo tempore Cyrenæos vti obsequerentur Lucullo leges ferenti adegit. Inde Ægyptum versus naurgans, piratis ingruentibus pleraſq; naues amisit: cum reliquis magno cum splendore Alexandriam intrauit. Obuiam enim ei tota classis profecta

*Leges qui facile accipiant.*

est,

est, vt regi solet, ornata magnificè: fuit vnà etiam rex puer Ptolemæus. Is cùm alias mirificam in tractando humanitatem exercuit, tum in regia domicilium, victumque præbuit, cùm nullus vnquam antè peregrinus dux ibi fuisset acceptus. Sumptum quoque ei & stipendium non quantum aliis, sed quadruplum dedit: tametsi Lucullus neque præter necessaria accepit quicquam, & dona octoginta talentorum precio sibi missa repudiauit. Idem neque Memphim adiuit, neq; quicquam eorum quæ in Ægypto mirabilia celebrantur lustrauit: ocioſi enim animo indulgentis spectatoris ea esse censebat, non eius qui imperatorem sub dio ad hostium propugnacula morantem reliquisset. Ptolemæus metu Mithridatis cum Romanis amicitiam iungere non ausus, naues tamen quæ in Cyprum vsq; deducerent Lucullo dedit: eumque in discessu amplexus, cum officiosè salutasset, smaragdum auro inclusum dono dedit admodum magni precii. Lucullus autem tantisper recusauit, donec ei rex sculpturam ostendit, quæ faciem suam repræsentabat: ita demum veritus ne si omnino repudiaret, infensum animum gerere crederetur, in mariqué insidiis impeteretur, accepit. Inter nauigandum acceptis nauibus ab vrbibus maritimis (nisi si quæ piraticam exercebant) ita in Cyprum peruenit. Ibi cum audiuisset hostes in promontoriis cum classe ipsum exspectare, naues omnes subduxit, ac tanquam ibi vsque ad ver mansurus circum vrbes de hybernis & commeatu nuncios misit: vbi primùm nauigando aptum diem est nactus, repente deductis nauibus ex insula soluit, interdiuque demissis, noctu erectis velis vsus, Rhodum incolumis peruenit. Rhodiis ei naues præbentibus, Cois & Cnidiis persuasit, vt à regiis ducibus defectione facta ipsum in Samiis oppugnandis adiuuarent. Ipse Chio regios expulit, & capto Epigono tyranno Colophoniorum vrbem liberauit. Eo tempore Mithridates Pergamo iam relicto, Pitanem compulsus erat: atq; ibi terrestri obsidione cinctus à Fimbria, vndique classes suas ad se euocabat atque contrahebat, omnem in mari spem habens, quòd cum Fimbria, cui præter solitam audaciam victoria etiam animos auxerat, congredi & bellum gerere desperasset. Fimbria cum hoc sentiret, ac classe destitueretur, missis nunciis Lucullum hortatus est, vt cum

*Mithridates te obsidet Fimbria.*

classe veniret, seque in capiendo infestissimo rege adiuuaret: neve pateretur Mithridatem (quod illi præmium ingens tot certaminibus laboribusque captassent) iam intra casses compulsum deprehensumque effugere. quem si cepissent, vtique eius summam fore gloriam, qui fugam eius impediisset, elabique conantem arripuisset: à se nunc eum terra pulsum, si ab illo etiam mari excluderetur, vtriusque fore rei benegestæ laudem, & porrò Syllæ celebres istas apud Orchomenum & Chæroneam victorias, nullo nomine apud Romanos futuras. Horum ille nihil absurdè dixit: satis enim omnibus erat perspicuum, si tum Fimbriæ obtemperasset Lucullus, & vt erat in propinquo, statim naues Pitanæ circumdedisset, portumque classe obsedisset, belli eum finem futurum, immensarumque ærumnarum fuisse. Sed Lucullus, siue quòd fidem Syllæ debitam omni publico priuatoq; commodo antiquiorem duceret, siue Fimbriam auersaretur hominem nefarium, & qui nuper imperandi cupiditate motus amicum ducemque suum interfecisset, siue diuina quadam fortuna Mithridati parcens, eumque sibi debellandum reseruans, non paruit: passusque est Mithridatem Fimbriæ vires deridentem Pitana abnauigare. Ipse primùm apud Lectum (Troadis est promontorium) regias naues fortè oblatas pugna vicit. Deinde Neoptolemum maioribus cum copiis apud Tenedum stationem habere conspicatus, ante alios omnes contra eum iuit, vectus quinqueremi Rhodiaca, quam Damagoras vir Romanorum studiosus, naualiumque certaminum peritissimus gubernabat. Cùm Neoptolemus magno impetu obuium se ferret, Damagoras molem nauis regiæ, æreique rostri vim metuens, aduersa prora occurrere non est ausus: celeriterque inuersa naui, puppim obuertit, atq; ibi depressa naui ictum accepit minimè noxium, quippe quibus partibus nauis, quæ mari tegebantur, infligeretur. Interim sociis aduectis Lucullus, obuerti proram iubet, multis præclarè factis in fugam hostes coniicit, Neoptolemumque insequitur. Inde Syllæ apud Cherronesum traiecturo se coniungit, tutumque ei traiectum præstat, & in transmittendo exercitu adiuuat. Postea pace facta Mithridates ad Euxinum pontum nauibus abiit, Sylla viginti millibus talentorum Asiam mulctans, exactioni eius

pecuniæ

pecuniæ & nomisinati cudendo Lucullum præfecit. Is in tam graui seueroq; obeundo ministerio tanta non modò integritate & iusticia, sed humanitate etiam versatus est, vt afflictis Syllæ inclementia vrbibus aliquantum solatii attulerit. Mitylenæos, qui palàm deficerent, cùm leniter vellet ob peccatum amicitia Mariana admissum castigare, vt vidit contumacia sua sibi velle infortuniũ adsciscere, classe admota prœlio vicit, intráque muros compulit. Inde obsidione vrbem cingens, interdiu manifestò Eleam nauigauit: occultè reuersus, positis apud vrbem insidiis se continuit. Postquam Mitylenæi audacter nulloq; ordine eruperunt, tanquam castra Romanorum deserta direpturi: subitò eos adortus, quingentos se defendere ausos necauit, ingenteq; prædam, & sex millia hominum captiuorum auexit. Bono quodam fato dum in Asiaticis rebus expediendis tempus terit, à malis illis, quibus & variis & plurimis Italiam Sylla Mariusq; impleuerunt, abfuit. Neq; tamen à Sylla minus quàm reliqui amici consecutus est: qui & commentarios ei (vt retulimus) suos inscripsit, beneuolentiæ causa, & moriens filii sui tutorem eum, præterito Pompeio, instituit. Quæ res primùm Pompeio & Lucullo discordiarum videtur æmulationisque præbuisse initium, iuuenibus, & gloriæ cupiditate flagrantibus. Paulo post mortem Syllæ Lucullus cum M. Cotta consul fuit, circa centesimam septuagesimam sextã Olympiadem. Eo tempore multis Mithridaticum bellum resuscitantibus, Mithridatem Cotta non finisse bellum, sed requieuisse dixit. Vt sortiti sunt prouincias, Lucullus Galliam Comatã sibi obtigisse iniquè tulit, quòd ea nullam magnarum rerum gerendarum materiam haberet. Maximè autem Pompeius in Hispania præclaris facinoribus laudem adeptus ipsum vrebat, quē præ omnibus aliis putabat, finito Hispanico bello imperatorem contra Mithridatem delectum iri. Itaque cùm is pecuniam posceret, ac nisi mitteretur, omissa Hispania & Sertorio in Italiam se cum copiis venturum per literas minaretur, summo studio Lucullus in id incubuit, vt pecunia ei mitteretur, ne se consule vel leuissimam redeundi occasionem haberet. Metuebat enim, ne si cum tanto exercitu veniret, omnes res vrbanas esset in sua potestate habiturus. Nam qui tunc in republica primas obtinebat Cethegus omnia in gra-

*In Asianos aequitas.*

*Cõsulatus, & belli Mithridatici ambitio.*

in gratiam vulgi dicendo agendóq;, is Lucullo inimicus erat, vitam ipsius abominanti, turpibus amoribus, libidinibusq; & sceleribus deditam. Hunc Lucullus palàm impugnabat. L. verò Quinctium alium trib. pl. insurgentem contra Syllæ instituta, rerúmq; statum præsentem labefactare aggressum, sæpe priuatim allocutus, publiceq; castigans à proposito detraxit, ambitionemq; eius restinxit: quàm fieri potuit maximè ciuiliter & salubriter initium magni mali reprimens. Interim de morte Octauii, qui Ciliciæ præfuerat, renunciatum est. Cuius prouinciæ obtinendæ cupiditate cùm flagrarent multi, Cethegúmq; vt qui ad eam consequendam conferre posset plurimum, demererentur: Lucullus tametsi non magni faceret Ciliciam, ratus tamen si ea potiretur, quòd propè erat Cappadocia, neminem alium contra Mithridatem cum imperio missum iri, omnem mouit lapidem, ne ea alii concederetur. & ad extremum neque honestum neq; laudabile, sed vtile tamen ad id quod intendebat factum, contra suam ipsius naturam patrauit. Erat Romæ Præcia quædam, forma & proteruitate per vrbē celeberrima: quæ cùm publico scorto nihil præstaret modestia, eo tamen ad innatam gratiam addito, quòd qui cum ea consuetudinem habebāt, opera ipsius in amicorū conatibus promouendis & honoribus in repub. adipiscendis vtebantur, amicorum studiosa & efficax credita, plurimum potentiæ sibi parauerat. Hæc postquam Cethegum florentem tum gloria, résq; vrbanas suo arbitrio moderantem in suam potestatem redegit, amoréq; eius corrupto se adiunxit, omnis tum ciuitatis potestas ad Præciam peruenit: neque enim publicè quicquam actum est absque Cethegi opera, neq; is iniussu Præciæ fecit quicquam. Hanc vbi Lucullus donis adulandoq; suam fecit (& erat mulieri superbæ arrogantíq; haud exigua merces, quòd Lucullo opem ferre videretur) statim habuit Cethegum laudatorē suum, ac qui ei Ciliciam prouinciam conciliaret. Hanc semel nactus, nihil deinde neque Præciæ, neque Cethegi opera in diguit, sed vno omnes ore ducem eum Mithridatici belli delegerunt, nemini hoc rectiùs committi posse rati. Nam & Pompeius Sertoriano adhuc bello detinebatur, & Metellus iam ob senectutē re militari se abdicauerat: qui duo soli de laude imperatoris videbantur cum Lucullo posse

*Præcia.*

conten-

contendere. Obtinuit tamē Cotta eius collega multis precibus à Senatu, vt ad custodiendam Propontidem, propugnandumq́; pro Bithynia cum nauibus mitteretur. Lucullus vnam secum ex Italia legionem abduxit: postquam in Asiam traiecit, reliquas etiam copias recepit. Erant autem milites illi iam pridem omnes luxu auariciaq́; perditi: qui verò Fimbriani vocabantur, intractabiles etiam, quòd iam pridem parére imperio desueuissent. Hi erāt, qui cum Fimbria Flaccum consulem & ducem suum necauerunt, ac pòst ipsum Fimbriam Syllę prodiderant: contumaces & improbi homines, fortes tamen belliq́; & tolerantes & periti. Verùm breui temporis spacio Lucullus & ferociam eorum mitigauit, & reliquos correxit, tunc primùm, vt videtur, bonum ducem nactos, cùm priores ipsorum libidinibus obsecuti fuissent, voluptatibusque propositis eos ad officia militaria illexissent. Res autem hostium hac erant conditione. Mithridates, cùm ab initio ostentabundus, copiis futilibus, & aspectu splendidis tantùm superbus tumidúsque in Romanos insurrexisset, ac turpiter se dedisset: castigatus aduersa fortuna, vt denuo bellum in Romanos pararet, copias vtili & rebus gerendis accommodato apparatu instruxit. Omnigenas enim istas multitudines, multilinguésque minas barbarorum missas faciens & arma aurata, gemmisque exornata, quæ prædam magis hostibus quàm robur possidentibus adderent, gladios Romanos fabricatus est, & scuta valida: equos exercitatos magis quàm ornatos cōduxit, peditum CXX. millia, ad phalangem Romanam compositos, equitum XVI. millia, atq; quadrigas falcatas centum: naues etiam non auratis tentoriis, aut pellicum balneis gynæceisq́; ad luxum paratas, sed armis, telis, & pecunia onustas adornauit. Hoc ille fretus apparatu, Bithyniam inuasit, vrbibus eum promptè accipientibus, non Bithynicis modò, sed & per totam Asiam morbus defectionis iterum vagabatur, ciuitatibus intolerabiliter à fœneratoribus & publicanis Romanorū vexatis: quos postea temporis, tanquam harpyias alimenta Asianorum rapientes, Lucullus expulit: tunc monendo meliores efficere conabatur, populosq́; à defectione inhibebat, nemine propemodum non intento nouis rebus. His intento Lucullo, suum id esse tempus Cotta arbitratus, ad pugnam cum Mithridate

6

*Fimbriani milites.*

*Mithridatis apparatus.*

*Cotta à Mithridate vincitur.*

date conſerendam ſe parauit: multisque nunciantibus iam Lucullum aduentantem in Phrygia eſſe, ratus ſe triumphum tantum non in manibus habere, ne partem eius Lucullus capere poſſet, prœlium accelerauit. Verùm terra mariq; vectus, amiſſis ſexaginta cum claſſiariis & remigibus nauigiis, peditumque quatuor millibus, ipſe Chalcedone obſeſſus Luculli auxilium deinde operiebatur. Non defuerunt qui Lucullum neglecto Cotta iuberent rectà progredi, regnumq; Mithridatis deſertum occupare: & militum præſertim ea vox erat, indignantium quòd Cotta non modò ſeipſum ſuosque prauis conſiliis perdidiſſet, ſed & ipſis victoriam ſine vlla pugna obtinere ſperantibus impedimento eſſet. His Lucullus in concione reſpondit, Malle ſe vnum Romanum ex hoſtium manu eripere, quàm omnibus hoſtiũ bonis potiri: Cùm Archelaus, qui in Bœotia copias regis duxerat, & ad Romanos inde defecerat, eorumq; caſtra ſequebatur, contenderet Lucullum, ſi modò viſus in Ponto fuiſſet, toto ſtatim regno potiturum, Lucullus nequaquam ſeſe venatorib. timidiorem eſſe, & feris omiſſis inania earum luſtra ſectari velle dixit: ſimulq; contra Mithridatem duxit peditũ millia triginta, equites bis mille & quingentos. Vt in hoſtium conſpectum venit, admiratus eorum multitudinẽ, ſtatuit à pugna abſtinere, bellumq; terere: Mario tamen quem Sertorius ex Hiſpania cum copiis Mithridati auxilio miſerat, occurrente ac prouocante, in aciem ſuos eduxit. Iamiam cõflicturis exercitibus, ſubito aer, cùm nulla euidens mutatio præceſſiſſet, abruptus eſt, ingensque moles flammea in medium acierum delata eſt, forma dolii ſimilima, colore argenti candentis: perterriti vtriq; eo viſo, & ſine pugna in caſtra reditum eſt. Accidiſſe hoc ferunt apud Otryas Phrygiæ. Cæterùm Lucullus ratus nullo humano apparatu aut opibus poſſe tam multa hominum millia, quot ſecũ habebat Mithridates, diutius ali hoſtibus præſentibus, vnum de captiuis in medium adduci iuſſit, percontatusq; eſt, quótnam cum ipſo alii in eodem tentorio fuiſſent, tum quantum cibi reliquiſſet: hoc audito, aliũ adduci mandauit, iterumq; alium, & de iiſdem rebus inquiſiuit: ipſe multitudine alimentorum ad numerum eorum qui alebãtur comparata, perſpexit fore vt poſt tertiũ aut quartũ diem hoſtes cibus deficeret. Itaq; multo magis

*Luculli in cines amor.*

magis trahendo bello se dedit, inq; castra magnã frumenti vim conuexit, vt in copia rerum penuriæ hostium insidiaretur. Interim Mithridates Cyzicenos, qui in pugna apud Chalcedonem decem nauibus & trib. hominum millibus amissis, parum habebant virium, clam Lucullo opprimere intendens, noctem nactus obscuram atq; pluuiam statim à cœna motis castris, summa luce eregione vrbis apud Adriasteæ montem copias collocauit. Lucullus id sensit, insecutusq; hostem contentus se non incomposito agmine in hostem incidisse, apud Thracium pagum cum exercitu consedit, in loco ad vias & ea loca, vnde Mithridati opus erat subuehi commeatum, obtinenda commodissimè sito. itaque & quid futurum esset animo præcipiens, non celauit milites: sed simul atque castris factis ab operibus faciendis destiterunt, iactauit apud eos, se ipsis intra paucos dies victoriam absque sanguine traditurum. Cyzicenos Mithridates decem à terra castris cinxerat, & Euripo qui ad vrbem pertinet, nauibus occupato vtrinque oppugnabat: satis quidem fiduciæ eo in periculo habentes, ac grauissima quæque Romanorum causa ferre paratos, ignorantes tamen vbi Lucullus esset, perturbatosque eo, quod nihil de eo cognouissent. Erant quidem castra Luculli conspicua & aperta, sed hostes eos deceperant, Romanorum castra demonstrando, Armeniorumque esse & Medorum auxilia Mithridati à Tigrane missa dicendo: itaque tanta belli mole circumiecta perterrebantur, ne si venisset quidem Lucullus, locum ei opis ferendæ relictum esse putantes. Primus ab Archelao Cyzicum missus Demonax, de præsentia Luculli ciues certiores reddidit. Ei cùm fidem non haberent, sed consolandi causa fictum sermonem retulisse putarent, captiuus puer, qui ab hostibus perfugerat, in vrbem venit: isque interrogatus vbinam Lucullus esset, primum iocari eos putans risit: postquam serio quæri sensit, manu castra Romanorum demonstrauit: ita animos Cyziceni receperunt. Quia etiã Dascylitis palus lembis satis magnis nauigabatur, maximum lemborũ Lucullus inde subtraxit, quadrigaque ad mare deuexit, militesq; ei quotquot recipi poterat imposuit: hi noctu insciis hostibus in vrbem inuecti sunt. Videntur etiam Dii Cyzicenorũ fortitudinẽ admirati, eorum bonis signis animos cõfirmasse;

*Ostenta.* masse: ex quibus ea referam, quæ sunt præcipua. Proserpinalia cùm appetissent, & deesset nigra vacca ad sacrificium, ex pasta panis vnam effinxerant, araeq; admouerant. Sacra autem bos, quæ Deæ alebatur, vti reliqua etiam Cyzicenorum armenta in opposita pascebatur continente. Hæc eo die à cæteris bobus sese deiunxit, solaque ad vrbem tranauit, vt ei sacrificio sese sisteret. In somnis quoque Dea Aristagoræ scribæ publico visa est dicere, Vtique adero, & cõtra Ponticum tubicinem Africum ego tibicinem adducam. dic igitur ciuibus, vti bono sint animo. Cùm ea vox miraculo esset Cyzicenis, summo manè mare inhorruit, ventusque ingens obortus fluctus concitauit: & machinæ regiæ muris admotæ, præclara Niconidæ Thessali opera, stridore ac fragore quid futurum esset indicauerunt. Inde incredibili vi Notus erupit, & breui horæ momento cùm reliquas machinas, tum ligneam turrim in centum cubitos erectam vi deturbauit. Traditum est etiam Ilii multis per quietem Mineruam apparuisse sudore manantem, & pepli parte lacera corpus ostentantem, dicentemque se recens ab auxilio Cyzicenis lato redire: ostenderuntque statuam Ilienses, in qua eius rei argumenta & inscriptio inesset. Mithridatem autem, qui hactenus à suis ducibus derisus, quanta sui laborarent fame ignorabat, Cyzicenos non expugnari ægrè ferebat Postquam quibus in difficultatib. exercitus esset, ac de humanarum etiam carnium ingluuie resciuit, ibi verò arrogantia eius atque peruicacia planè in ventos abiit. Non enim ad ostentationem aut vana edenda spectacula belli gerendi rationes Lucullus accommodauerat: sed in ipsum (quod aiunt) ventrem insiluerat, omnia alimentorum subtrahendorum causa moliebatur. Ea causa castellum quoddam ipso oppugnante, Mithridates arrepta occasione in Bithyniam equos propè omnes cum iumentis emisit, & peditum eos qui nullo erant vsui. Hoc audito ipsa ea nocte Lucullus in castra rediit. Sub aurorã tempestate, cum decem cohortibus & equitatu hostes insecutus est, ita niue & laboribus conflictatus, vt multi militum frigore victi signa deseruerint. Cum reliquis hostes apud Rhyndacum fluuiũ assecutus, tantã edidit stragem, vt mulieres ab Apollonia egressæ clitellas diripuerint, cæsósque spoliauerint. Multis vtique cæsis, equorum sex millia,

*Clades Mithridatis ad Rhyndacum.*

iumen-

iumentorum infinitus numerus, quindecim virorum millia capti sunt: quos omnes Lucullus præter castra hostium duxit. Sallustium autem miror, quî tunc primùm visas Romanis camelos asserat: nisi fortassis putat ab iis qui Antiochum duce Scipione vicerant, aut nuper apud Orchomenum & Chæroneam cum Archelao decertauerant, non esse conspectam camelum. Mithridates, cùm fugere quamprimùm decreuisset, vt detineret ab insecutione Lucullum, morámque injiceret, Aristonicum classis præfectum in mare Græcum cum nauibus ire iussit. Hunc iam iam soluturum, per proditionem Lucullus in suam potestatem redegit, cúmque eo aureorum decem millia, quibus ille partem Romani exercitus corrupturus fuerat. Secundum hoc Mithridates mari aufugit, duces pedestres copias terra abduxerunt. Hos Lucullus apud Granicũ amnem adortus, permultos cepit, & viginti millia obtruncauit. Dicuntur ex tota militum, & eorum qui castra secuti fuerant multitudine, haud multo pauciores trecentis millibus periisse. Lucullus primò Cyzicum intrauit, voluptatéque ibi & honoribus sc dignis perfunctus est. Inde Hellespontum circumnauigando, classem adornauit. Cùm in Troadem peruenisset, in Veneris templo tẽtorium fixit. Noctu autem in somnis Deam sibi visus est videre adstantem, atque dicentem,

*Ad Granicum.*

*Quid dormis leo magnanime? haud procul hinnulei absunt.*

Surrexit illico, amicisq; conuocatis insomnium exposuit, nocte adhuc durante: cùm quidam ab Ilio renunciat, visas apud Achæorum portũ tredecim regias triremes, Lemnum tendentes. Statim igitur cum classe auectus, illas cepit, eorúmque ducem Isidorum interfecit: inde reliquos petiit. Hi cùm iam stationem tenerent, nauibus omnibus ad terram contractis de tabulatis propugnauerunt, plagásque Luculli militibus imposuerunt, cùm neque circumnauigando locus aptus esset, neq; nauibus in alto vectis vim facere hostilibus nauibus terræ firmiter innitentibus possent. Ægrè tamen, quà insula applicari naues vtcunq; patiebatur, militum optimos exposuit: hi à tergo hostes adorti partim interfecerunt, partim coegerunt abscissis retinaculis fugere à terra: quorum permulti perierunt, cùm & suas inuicem naues in fuga collideren, & in Luculli naues inciderent. Inter captiuos adductus est etiam Marius, quem à Sertorio

*Naues ad Lemnum captæ.*

missum fuisse suprà demõstrauimus. nam quia altero oculorum carebat, mandatum initio à Lucullo fuerat, ne quis vnoculus necaretur: nimirum vti prius probris contumeliisq; vexatus, ita tandem cæderetur. His confectis Lucullus ad insequendũ Mithridatem festinauit: sperauit enim hunc à Voconio (quem vt fuga regem intercluderet, cum nauib. Nicomediam miserat) obsessum, à se adhuc apud Bithyniam inuentũ iri. Sed Voconius in Samothrace sacris initiando, & vacãdo, occasionem rei gerendæ neglexerat. Mithridatem autem cum classe auectum, festinantémque ante reditum Luculli in Pontum abire, ingens tempestas adorta est: nauigiisque partim direptis, partim subuersis, omne litus maritimum eiectis vi vndarum fragmentis per aliquot dies constratum fuit. Ipse, cùm oneraria nauis qua vehebatur, neque ad terram commodè applicari ob molem posset, quæ eam rectoribus intractabilem tanto maris æstu, fluctuúmque incertitudine reddebat, & grauior iam esset, plúsque aquæ hausisset, quàm vt tutò in mari versari quiret, in piraticum myoparonem conscendit, corpúsque suum prædonibus commisit, ac præter omnium spem exacerto periculo Heracleam Ponticam saluus euasit. Quod autem arroganter Lucullus senatui, cùm is tria talentorum millia ad sumptus in classem faciendos decreuisset, missis literis respõderat, nolle se id fieri, iactauerátq; se citra tanta impendia, sociorum tantùm nauibus Mithridatem mari pulsurum. id eius dictum Nemesis non vt superbius vlta est: sed quod dixerat, id Dei ope effectum dedit. Nam Dianæ Priapinæ ira fertur Mithridatem tempestas inuasisse, vlciscentis templum suum à Ponticis direptum, & simulacrum ablatum. Porrò Lucullus spretis multorũ, qui differre bellum iubebant, monitionibus, per Bithyniam & Galatiam in Mithridatis regnum irrupit. Et ab initio ita laborabat penuria commeatus, vt triginta Galatarum millia secuti sint exercitum, singuli medimnum frumenti humeris portantes. Progressus autem, & obuiis quibusque in suam potestatem redactis, tantam omnium rerum copiam parauit, vt in castris bos denario, mancipium quatuor denariis veniret: reliquam prædam milites contemptim aut dimittebant, aut consumebant: neq; enim vendebatur quicquam, cùm omnes opibus affluerent. Cùm vastando agros equitationibus

*Mithridatis fuga.*

tionibus & excursionibus Themiscyram vsque, & campos iuxta Thermodontem fluuium progressus esset, incusauere Lucullum milites, quòd tam multis potitus vrbibus, nullam deleuisset, nullam ipsis diripiendam dedisset: iam nunc (dicebāt) Amiso vrbe opulenta, & expugnatu haud difficili omissa, duc nos, vt cum Mithridate de Tibarenorum & Chaldæorum solitudinibus decertemus. Verùm has querelas Lucullus spreuit atque nihil curauit: minimè ratus fore, vt tantæ, quantā deinde expertus est, insaniæ militibus cau- *Luculli callidum consilium.*
sam præberent. Iis potiùs sese purgabat, qui vitio dabāt tarditatem, quòd pagis & oppidis non multo dignis precio occupandis multum temporis exigeret, interimque Mithridatem vires acquirere pateretur. Hoc ipsum est, dicebat, quod volo. idque hic desidens molior, vt potens rursum fiat ille, contractisque iustis copiis me accedentem non fugiat, sed subsistat. Non videtis eum à tergo magnas & immensæ vastitatis solitudines habere? propè est Caucasus, alijque multi ingentesque montes, in quibus spacij ad sexcentos reges pugnam subterfugientes excipiendos & occultandos satis est. A Cabiris porro iter non multorum dierum est in Armeniam: Armeniam Tigranes tenet, rex regum, qui suis copiis Parthis Asiam adimit, vrbium Græcorum habitatores in Mediam abripit, Syriam, Palæstinámque obtinet, reges à Seleuco ortos interficit, filias eorum & vxores abducit. Is Mithridatis necessarius est, & gener: & supplicem vtique susciperet, nobisque bellum faciet: periculumque est, ne dum Mithridatē expellimus, Tigranem prouocemus, iampridem occasionem nos inuadendi quærentem, nunquam verò nacturum honestiorem, quàm si pro sua necessitate regi propinquo opituletur. Quorsum verò attinet id vt fiat nos efficere? & Mithridati ostendere, quorum auxilio vti ad bellum contra nos gerendum debeat? nolentémq; eum, & dedecori sibi ducentem, eò compellere, vt opem Tigranis imploret? Profectò tempus ei potiùs concedendum est, vt colligere se, & domesticis copiis instruere possit: præstatque cum Colchis, Tibarenis, & Cappadocibus, quos vicimus sæpenumerò, quàm cum Medis & Armeniis congredi. His rationibus ductus Lucullus, apud Amisum commoratus est, obsidionē de industria minus vrgēs. Hyeme elapsa, eam Murenæ mādauit: ipse contra Mithridatē duxit,

qui tum in Cabiris castra habebat, Romanósque subsistere statuerat, quadraginta peditum millibus. & (quibus maximè fidebat) equitum quatuor millib. collectis: iis cum copiis Lycum amnem transgressus, Romanos ad pugnam in campum prouocauit. Facto prœlio equestri, Romani fugerunt. Captus ea in pugna Põponius vir haud ignobilis vulneribus grauiter affectus, & ad Mithridatem adductus est. is, cùm rex quæsiuisset, amicúsne ipsi futurus esset, si ab ipso salute donaretur, respondit, Siquidem rex cum Romanis in gratiam rediret: aliâs se hostem permansurum. eúmque Mithridates constantiæ ergò admiratus incolumẽ dimisit. Secundum hæc Lucullo planiciem, quòd equitatu hostis præualeret, vitante, & montanum etiam iter longum syluestre ac difficile capessere verente, Græci duo forte fortuna capti sunt, cùm in speluncam quandam confugissent. Ex his maior natu Artemidorus pollicitus est, se ducturum Lucullum ad locum exercitui opportunum, & vbi arx Cabiris imminens esset. Fidem habuit Lucullus, noctúq; incensis ignibus castra mouit, superatisq; tutò angustiis locum tenuit: ita die facto superior hostibus conspectus est, milites collocans eo in loco, vnde & in hostem educere copias commodè posset, & si quietem prætulisset, ab insultibus eius tutus esset. Neutri tum imperatorum in præsentia prœlio decernere stabat sententia. Cæterùm ceruum ferunt regiis venantibus, Romanos auertendæ prædæ causa occurrisse: eo ab initio commissum prœlium, & vtrinque accedentibus multis, tandem superiores euasisse regios: Romanos ex castris suorum fugam conspicatos, indignè tulisse, concursúque ad Lucullum facto, educi se, & signum pugnæ dari postulasse. Ibi Lucullus vt suos doceret, quantum in pugna consp ectus & præsentia cordati ducis posset, reliquis quietem agere iussis, ipse in campum descendit, primisque fugientium se offerens, stare & secum aduersus hostem reuerti iussit. Hi cùm dicto paruissent, reliqui etiam coierunt, & se hosti opposuerunt, paruóque eum labore fuderunt, & ad castra vsq; insecuti sunt. Reuersus Lucullus, eos qui fugam fecerant ignominia pro more affecit, iussos fossam duodecim pedum agere tunicatos distinctósq;, adstãte & spectante reliquo exercitu. Erat in Mithridatis castris Olthacus Dardariorum regulus (sunt autem Dardarij populus ex iis barba-

*Mithridatis equestris victoria.*

*Ducis præsentia.*

*Olthaci in Lucullum insidiæ.*

barbaris, qui apud Mæotin paludem habitãt) vir manuum promptitudine, audaciaque bellica insignis, ad hæc consilij de rebus maximis prudentis, & in cõsuetudine colendóque alios accuratus. Is cùm perpetuam cum quodam genitili regulo de præstantia virtutis controuersiam æmulationémq; habuisset, Mithridati pollicitus est magnũ facinus: recepit enim se Lucullo vitam erepturum. Laudauit institutum rex, consultóq; nonnullis ipsum ignominiis affecit, vt simulandæ iræ prætextum haberet. Olthacus ad Lucullum eques se cõtulit, estq; ab eo ob nominis celebritatem statim receptus: móxq; facto periculo, sagacitatem eius & diligentiam ita amplexus est, vt mensa etiam assessúq; sit aliquando dignatus. Olthacus vt occasionem facinoris oblatam credidit, pueris vti equum extra vallum abducerent mandato, meridie militibus quieti deditis, ad prætorium accessit, existimans, se vt hominem imperatori familiarem, & de re non leuis momenti communicaturum cum eo dicentem, à nemine aditu prohibitum iri. Et intrasset sanè liberè, nisi qui multos duces perdidit, Lucullum seruasset somnus: dormiebat enim tum fortè. Et Menedemus vnus ex iis qui cubiculo præerant, alieno tempore ipsum venire dicebat, quòd Lucullus recens à longis vigiliis grauibúsq; laboribus somno se dedisset. Nolentem discedere, sed minantem vel inuito eo introiturũ, vt de re graui & necessaria colloqueretur: manu vtraq; Menedemus repulit, ad iram conuersus, nihilq; salute Luculli magis esse necessarium dicẽs. Sic Olthacus sibi metuens, extra vallum abiit, equóq; recepto, in castra Mithridatis re infecta rediit. Adeò rebus etiã perinde atq; medicamentis momentum, vel ad salutem, vel ad exitium temporis articulus confert. Secundum hęc Sornatius cum decem cohortibus frumentatum missus, insequenti Mithridatis legato Menandro se opposuit, manúq; conserta magnam cædem hostium edidit, & ad effusam reliquos fugam compulit. Missò rursum à Romanis frumentatum Adriano, vt abundè alimẽtorum militibus esset, Mithridates id non spreuit, sed Menemachum Myronémque cum multo equitatu peditatúque contra eum misit: hi omnes, vt fertur, duobus dẽptis à Romanis conciſi sunt. Eam quidem cladem Mithridates texit, non tantã fuisse, sed exiguam imperitia ducum acceptã fuisse simulans. Sed Adria-

nus exultans præter hostium castra suos reduxit, vnáque multas commeatu spoliisque onustas quadrigas: quæres ipsi trepidationem, militibus ingentem attulit terrorem, omninóque inde discedere statuerunt. Cùm verò regis familiares per ocium & securè sua bona transferenda aliò darent, & reliquis ne idem facerent obstarent, milites animis ad iram concitatis vi ad exitus perruperunt, & direptis opibus, ipsos regis aulicos trucidauerunt: cùm quidem Dorylaus dux propter purpuram solam, cùm nihil aliud secum haberet, occisus est, & Hermæus sacerdos in foribus castrorum pedibus cõculcatus periit. Ipse Mithridates, nullo neq; comite, neque equisone præsente, turbæ immixtus è castris se proripuit, ne vnum quidem de regiis equum nactus: eum serò in fugæ illius fluctu conspicatus Ptolemæus Eunuchus, ab equo suo desiluit, regémque ei imposuit. Iam instabant Romani, proximéque ipsi imminebant: & cepissent vtique, nisi cupiditas opum, militarisque auaritia Romanis tam multis certaminibus magnisq; periculis petitam prædam, Lucullóq; suarum victoriarum præmium abstulisset. Equus enim qui regem ferebat, iam ab insequentibus apprehendi poterat, nisi Romani mulum auro onustum, qui siue casu, siue consilio eius inter ipsum & hostes interuenerat, spoliando, ac de præda contendendo morati, eius capiendi occasionem dimisissent. Neque hoc tantùm auaritia militum damnum Lucullo dedit: sed & Callistratum, qui à secretis regis erat, adduci ad se iussũ, illi cùm in zona quingentos aureos habere sensissent, iugulârunt: nihilominus castra eis diripienda concessit. Cabiris captis, multisq; aliis arcibus, magnos reperit thesauros, & in vincula conditos multos Græcos, multos etiam regis cognatos: quibus iam pridem mortem certam expectãtibus, non salutem, sed nouam quasi vitam & alios natales Luculli beneficentia exhibuit. Capta est etiam, id quod salutem ei attulit, Nysla Mithridatis soror. Quæ enim longissimè à periculo captiuæ detineri videbantur apud Pharnaciam sorores eius & vxores, miserè perierunt, immisso ipsis à rege ex fuga Bacchide Eunucho: erãt autem cum multis aliis sorores regis Roxane & Statira, quæ ad quadragesimum annum virgines permanserant: duæq; vxores ex Ionia ortæ, Berenice Chia, & Monime Milesia. De Monima sermo inter Græcos est celebris, à

*Mithridatis fuga.*

*Mithridatis in suos crudelitas.*

bris, à rege attentatam, missis etiam quindecim aureorum millibus, nõ antè tamen obsecutam, quàm pactio nuptialis interesserit, missoq; eam diademate reginam Mithridates appellauerit. Eadémq; semper molestam sibi vitam egit, corporisq; sui pulchritudinem deplorauit, quæ pro marito dominum, pro cõiugio custodiam barbaricam cõciliasset: longéq; à Græcia remota, verisque quibus ibi erat vsa bonis spoliata, sperata felicitate quasi per somniũ frueretur. Tum quoq; Bacchida iubente, vt quo quæuis modo se facillimè & minimo cum dolore morituram putaret, eum deligeret: diadema capiti detractum collo circumposuit, seq; suspendit: eóq; celeriter rupto, O execrandum (inquit) pannum: ne ad hunc quidem vsum aptus es? idq; conspuit, & abiecit, iugulúmq; Bacchidæ præbuit. Berenice autem veneno parato, matri, quæ ei aderat, oranti partem bibendam dedit: & satis fuit ad ætate confectum corpus extinguendũ veneno virium: Berenice cùm non satis hausisset, & cum morte luctaretur, Bacchides suffocãdo mortẽ accelerauit. Ferunt etiam in nuptiarum regis sororum, quas suprà nominaui, alteram multis in caput fratris execratam, venenũ ebibisse: Statiram nullam maledicam aut ignobilem vocem emisisse, sed collaudato fratre, quòd in discrimine vitæ suæ, ipsarum vt liberę & libidinis inexpertæ morerentur curãm gessisset, ita periisse. Hęc Lucullum, miti & humano hominem ingenio, molestia affecerunt. Progressus vsq; ad Talaura, cùm quarto antè die Mithridatem in Armeniam ad Tigranem aufugisse acciperet, retrò iter conuertit: Chaldæisque & Tibarenis, minoriq; Armenia subactis, ac multis castellis oppidisque captis, misso ad Tigranem Appio, qui dedi sibi Mithridatem postularet, ad obsidionem Amisi reuersus est. Cur ea etiámnum duraret, in causa fuit Callimachus vrbis dux, qui peritia machinarum bellicarum calliditatéq;, qua quis tempore obsidionis vti posset, summa præditus, plurimas Romanis exhibebat molestias: quorum factorũ postea temporis pœnas dedit. Tunc arte Luculli deceptus, qui ea ipsa hora, qua is abducere & reficere solebat milites, impetu subitò facto muri haud magnam partem ceperat, vrbe incensa, aufugit: siue quòd prædam Romanis inuideret, siue fugam sibi expediens. Nemo enim fugam ex vrbe facientibus intẽtus erat, sed tametsi flamma copiosa ad ipsos

*Amisus à Gr. capta.*

quoque muros pertineret, nihilo minus ad direptionẽ milites se cõparabant. Lucullum autem vrbis miseratione permotum, & extrinsecus ad restinguendum incendium opem ferre iubentem, nemo militum curabat: sed efferentes ex ædibus bona, ac cũ vociferatione arma pulsantes, vi tandem cõpulerunt, vt in direptionem consentiret, sperans vel hac ratione vrbem incendio ereptum iri. Milites contrà omnia accensis facibus perscrutantes, & vbique lumen inferentes, pleraſque ipsi ædes cremauerunt. Itaque Lucullus interdiu in vrbem vt venit, illachrymans amicis dixit, se cùm antè sæpè Syllæ fortunam prædicasse, & nunc eo nomine maximè felicitatem eius admirari, quòd non voluerit modò, sed & potuerit Athenas ab excidio seruare: se cùm eius vestigiis insistere cupiuisset, aduerso fato Mummij similem factum. Statuit tamen vrbem eam ex præsenti calamitate subleuare: cúmque imbres bona quadam fortuna in ipso excidio oborti incendium restinxissent, pleraque ædificia ipse præsens instaurauit, Amisenos exules reduxit, habitandámque vrbem Græcis, si quibus esset volentibus, dedit, centum & viginti stadiis ad agri prioris fines adiectis. Fuit ea vrbs Athenienſium colonia, ab iis deducta eo potissimùm tempore, quo imperium maris obtinuerunt. Propterea qui Aristionis tyrannidem fugere volebant, eò profecti sunt, ibique ædes & ius ciuitatis habuerunt: elapsíque patriæ periculis, in partem alienæ calamitatis venerunt. Superstites tamen Lucullus honestè vestiuit, singulósque ducentis donatos denariis dimisit. Captus est tunc etiam Tyrannio grammaticus, & eum Murena ab imperatore precibus impetratum prædę exemit, acceptúmque libertate donauit, parum liberaliter dono eo vsus. Neque enim Lucullus virum eruditionis causa eximium habitum seruum priùs fieri, deinde manumitti voluisset: & donum libertatis, quod ostentabatur, veræ libertatis ademptio erat. Sed non hac tantùm in re Murena imperatoris sui virtute inferior fuit. Lucullus cùm à rebus bellicis ocium esset nactus, ad Asiæ ciuitates se contulit, vt iura in eas legésq; reduceret, quibus ea prouincia diu iam caruerat, infandisque & incredibilibus calamitatibus afflicta fuerat. Ita enim à publicanis & fœneratoribus agebatur ferebatúrq;, vt priuatim filios formosos, virginésq; filias, publicè donaria, tabulas, sacrásque imagines

*Asiam Lucullus recreat.*

vendere

vendere cogerentur: & ad extremum addicti in seruitutem abducebantur, antè tamen grauiora perpessi, funes, carceres, equos, stationes sub dio ardente sole, frigoris tempore in luto aut glacie, ita vt seruitus leuamen onerum istorum, & pax quædam esse videretur. Huiusmodi in ciuitatibus mala Lucullus offendens, paruo temporis spacio ciues ijs circumuentos liberauit. Primùm fœnoris nomine non amplius centesima exigi mandauit: deinde omnes vsuras antiquo more grauiores rescidit: postremò id quod maximum fuit, creditorem quadrantem reddituum annuorum debitoris accipere iussit, ac si quis vsuram cum sorte coniunxisset, eum vtrunque amittere. Itaque intra quadriennium effectum hac ratione est, vt omnia debita dissoluerentur, & bona libera dominis redderentur. Debitum autem commune fuit viginti millium talentorum, quam Asiæ mulctam Sylla irrogauerat, eiúsque duplum fœneratores acceperũt, cùm summam ipsi vsque ad centum viginti talentûm millia auxissent. Hi tanquam atroci affecti iniuria, Romæ Lucullum traducebant, quosdamq; tribb. pleb. contra eum pecunia data excitabant, cùm possent permultum, multósque sibi ciuium obstrictos haberent. Lucullum non modò ij quibus bene fecerat populi diligebant, sed & reliquæ eum prouinciæ desiderabant, beatos dicentes qui eum ducem essent nacti. Appius autem Clodius ad Tigranem missus (huius Clodij sororem Lucullus in matrimonio habebat) primum à ductoribus regijs per ambages longas miniméque necessarias circumductus, monstrante verum iter liberto, quem in Syria natũ secum habebat, missa prolixa ista & fallaci via, iussisq; valere barbaris ductoribus, paucis diebus traiecto Euphrate Antiocheam, quæ ad Daphnen cognominatur, venit: iussus ibi Tigranẽ operiri, qui ob quasdam adhuc in Phœnicia vrbes subigendas aberat. Interim Appius multos sibi conciliauit eorum, quibus Armenium regnum inuisum erat: inter quos & Zarbienus fuit Gordyenæ rex. Multis quoque in seruitutem à Tigrane redactis vrbibus quæ ad ipsum clàm nuncios miserant, auxilium à Lucullo promisit, ac in præsentia modò quiescere iussit. Erat enim Tigranis regnum Græcis intolerabile, præcipuè ob fastum regis nimium, ad quem res eum secundæ extulerant: cùm quæ vulgò expetenda ac summa iudicantur,

*Appius ad Tigranem legatus.*

ea non modò adeptus, sed sua ipsius opera omnia consecutus videretur. vili enim vsus initio, multos populos domuerat, Parthorum, vt nemo quisquam antè, potentiam fregerat, Græcis Mesopotamiam repleuerat, multis eò ex Cilicia & Cappadocia vi abductis: Arabes etiam Scenitas dictos à tabernaculis, in quibus degere solebant, à patria sua & consueto viuendi loco abduxerat, inque propinquo collocauerat, vt eorum opera in mercaturis vteretur. Multi erant reges, quibus administris vtebatur: quatuor autem semper habebat secum tanquam stipatores, qui equitante ipso pedites iuxtà currerent tunicati, sedenti & responsa danti adstarent consertis inter se manibus: qui maximè habitus seruitutis videbatur esse confessio, quasi tradita libertate corpora domino ad patiendum magis quàm ad agendum parata exhiberent. Hæc spectacula, hæ pompæ nihil perterruerunt Appium: sed vt primùm loquendi facultas data est, palàm dixit se Mithridatis, qui Luculli debeatur triumpho, abducendi causa veniisse: ac nisi is dederetur, bellum se Tigrani indicere. Et quidem Tigranes, tametsi conatus fuerat hilari vultu, simulatóque risu legationem audire, non fefellit tamen, libertate sermonis eius iuuenis vultum immutans: quippe qui vigesimo & quinto demum (tot enim annis regnum tenuit, siquidem vi & libidine omnia agere, regnare est) anno liberam vocem audiuisset. Respondit autem Appio, se Mithridatem non traditurum, & si Romani bellum intulissent, defensurum. Lucullo iratus, quòd regem ipsum modò, non regem regum in epistola appellasset, rescribens imperatoris nomine dignatus non est. Appio dona splendida obtulit, eáque illo repudiante, alia superaddidit: quare Appius, ne hostili animo ea reiecisse videretur, vnam phialam accepit, remisisque cæteris, celeriter ad imperatorem redijt. Porrò Mithridatem Tigranes cùm ne conspectu quidem aut alloquio dignatus antè fuisset, regem necessarium, tantísque opibus exutum, sed contumeliosè ac superbè procul à se in locis palustribus & insalubribus quasi in custodia morantem neglexisset: tum primùm honorificè & amicè ad se vocauit. Congressi in regia, occulto colloquio suspiciones mutuas contriuerunt, malo suorum amicorum, quibus causas offensarum imputabant. Fuit inter hos Metrodorus

*Tigranis fastus.*

*Mithridates à Tigrane receptus.*

dorus Scepsius, vir eximiè doctus, & non infacundus, cuius tanta in amicitia Mithridatis fuerat vis, vt pater regis cognominaretur. Hunc ab illo legatum ad se auxilij petendi causa missum Tigranes interrogauerat, quidnam ipse sibi hac in re consilij daret: & Metrodorus, siue Tigranis vtilitatem spectans, siue Mithridati salutem inuidens, pro officio legati se vt opem ferat suadere, pro consiliarij autem persona ab auxilio prębendo dehortari eum dixerat. Id tum Mithridati Tigranes retulit, non existimans Metrodoro periculum grauius inde extiturum: sed statim is iussu regis occisus est, pœnituitque Tigranem, quòd tametsi non planè causa exitij Metrodoro fuisset, odio tamen Mithridatis stimulos addidisset. dudum enim Metrodoro infensum occultè fuisse Mithridatem, secretis eius literis captis deprehensum est, in quibus etiam Metrodorus cædi destinabatur. Mortuum Tigranes magnificentissima sepultura affecit, quem viuum prodiderat. Amphicrates præterea rhetor apud Tigranem obijt, siquidem propter Athenas mentio eius facienda est. Is Amphicrates patria profugus Seleuciam, quæ est ad Tigrin fluuium, peruenisse traditur: orantibúsq; ciuibus, vt ibi oratoriam profiteretur, cõtemptim arroganterque respondisse, delphinem à pelui non capi: inde ad Cleopatram Mithridatis filiam, Tigranis vxorem se contulisse, statímque in suspiciones incurrisse, prohibitúmque Græcorum commercio spontanea morte obijsse: sepultum tamen & hunc à Cleopatra honorificè apud Sapham, qui est eius regionis locus. Interim Lucullus cùm Asiam summa pace optimísq; legibus composuisset, ne ea quidem neglexit, quæ ad voluptatem, gratiámque populi facerent: itaq; festiuitatibus, ludis triumphalibus, certaminibúsque gladiatorijs & athleticis Ephesi editis vrbes oblectauit. Atque eæ gratiæ referendæ causa, Lucullia in honorem eius egerunt: veráque eum, quæ honore gratior fuit, beneuolentia sunt prosecutæ. Posteaquam Appius redijt, & bellum cõtra Tigranem gerendum apparuit, rursus in Pontum abijt, militibúsq; receptis, Sinopem, aut verius Ciliçes Mithridaticos qui eam obtinebant, oppugnauit: ij multis Sinopensiũ necatis, vrbéq; incensa, noctu aufugere intenderunt. Quod vbi Lucullus sensit, in vrbem intrauit, & octo Cilicum millia ibi deprehensa interfecit: reliquis sua bona restituit,

*Sinope capta.*

vrbis-

vrbisque curam suscepit, tali potissimum motus insomnio. Per quietem imaginatus erat, quendam sibi adstare ac dicere: progredere paulisper Luculle: adest enim Autolycus, alloqui te cupiens. Cum surrexisset, neque intelligeret quorsum id insomnium tenderet, ea die Sinopen cepit, ac ſ Cilices qui nauigijs effugerãt insequens, in littore statuam iacére vidit, quam Cilices cùm vrbe exportassent, tantum tamen spacij eis non erat datum vt in naues imponerent. Statua ea ex præcipuis Sthenidis operibus fuit. Ibi quidam Lucullo indicauit, esse statuam eam Autolyci, eius qui Si- 10 nopen condiderat. Is Autolycus (vt traditur) Deimachi F. vnus eorum fuit, qui Herculem bello Amazonas petentem ex Thessalia comitati fuerunt. Inde reuertens nauigio cum Demoleonte & Phlogio, ad Cherrhonesum eo in loco qui Pedalion, hoc est gubernaculum, dicitur, nauim fregit: ena- 15 tansque cum armis & socijs Sinopen, vrbem eam Syris (hi enim tum tenebant, orti à Syro Apollinis, vt ferebatur, filio, & Sinopes Asopidis filiæ) eripuerunt. His auditis Lucullus præceptum Syllanum memoria recoluit: nam in commentarijs Sylla monet, nihil magis fide dignum & certum 20 putandum, quàm quod insomnijs monstratur. Cùm accepisset Mithridatem & Tigranem iam tantùm non in Lycaoniam & Ciliciam traducere copias, vt priores in Asiam inuaderent: mirari se Tigranem dixit, qui cùm in animo habuisset Romanos adoriri, non integro & validis viribus v- 25 tenti Mithridati se adiunxerit, sed passus eũ perire atq; frangi, nũc frigidas spes secutus bellum ordiatur, & cum eo qui resurgere nequeat, se ipse quoque in ruinæ det periculum.

*Insomniorum vis.*

*Luculli cõtra Tigranem expeditio.*

Cum vero Machares Mithridatis F. Bosphori rex coronam Lucullo mille aureis confectam misisset, orans vt inter P.R. 30 amicos reciperetur: prius bellum iam confectum existimãs, Sornatium, ibi rerum ciuilium custodem cum sex millibus militum reliquit. Ipse cum duodecim peditum, equitum non integris trib. millibus ad alterum bellum contendit. Et videbatur sanè impetu nimis audaci, parumque sano 35 cõsilio seipsum immittere in gentes bellicosas, multa equitum millia, vastamq; regionem, quę profundis fluminibus, montibusq; semper niuosis cingeretur. Ideò & milites, alioqui dicto non satis audientes, inuiti eum, & detrectantes iugum secuti sunt: & Romæ tribuni pl. criminabantur eũ publicè,

blicè, teſtabantúrq; bellum ex bello quærere, nulla reip. neceſſitate ductum, ſed imperiorum obeundorum cupiditate nunquam arma depoſiturum, neq; finem facturum opes publico periculo parandi. Et hi quidem tandem id quod quę-
5 rebant aſſecuti ſunt. Lucullus autem cõtinenti itinere cùm ad Euphraten peruenisſet, eúmq; tumentem & à tempeſtate turbidum offendiſſet, doluit ſibi moram faciendam in nauigijs conducendis, ratibúsque fabricandis eſſe: ſed aqua ſub veſperam ſubſidẽs per noctem ita decreuit, vt cauus ſub
10 auroram alueus cerneretur. Accolæ porrò fluminis, cum in traiectu inſulas quaſdam exiguas apparentes conſpexiſſent, ad quas fluuius limum alluueret, Lucullũ venerati ſunt, cui ibi, quod rarò antè euenerat, obtigiſſet, vt fluuius vltrò ſe ei lenem tranſitúq; facilem præberet. Hac occaſione ille vſus,
15 copias traiecit: eſtq; ei bonum in tranſitu omen oblatum. Boues ibi paſcuntur Dianæ Perſicæ (quam præcipuè Deam barbari trans Euphraten habitantes colunt) ſacræ, quibus ad ſacrificia tantùm vtũtur, aliàs liberæ paſcuntur, inſignitæ lampade, quod Deæ eſt ſignũ: & cùm vſus earum vna eſt,
20 haud ſine magno labore capi abducíq; poſſunt. Harũ tunc vna exercitu Euphraten tranſeunte in ſaxum quoddã Deæ ſacrum ſe recepit, ibíque ſtans caput perinde atque vinculo tracta demiſit, ſeq; Lucullo mactandam præbuit. Idem Euphrati taurũ ſacrificauit, gratias eo pro trãſitu agens: eamq;
25 ibi diẽ requieuit. Poſtridie, & quæ deinceps ſunt ſecutæ diebus, per Sophenẽ progreſſus eſt, abſq; omnium iniuria: accedentibus ei, & vltrò excipientib. vniuerſis. Quin & militibus cùm ij caſtellum quoddam opulentum occupare cuperent, commonſtrato eminus Tauro, Iſte, inquit, potiùs ex-
30 cindẽdus vobis in præſentia eſt: hoc victores manet. Magnis inde itineribus Tigrin trãſgreſſus, in Armeniam irrupit. At Tigrani, qui primo aduentus Luculli indici caput amputauerat, nemo porrò quicquam renunciare: itaque ille, cum iam hoſtili circùm igni vreretur, inſcius omnium ſedere,
35 adulationibúsque ſuorum aures præbere, qui magni imperatoris nomen meriturum Lucullum dicerent, ſi apud Epheſum Tigranis aduentum ſubſiſteret, neque primo tam immenſi exercitus conſpectu territus ex Aſia fugam faceret. Adeò neque cuiuſuis eſt corporis multum merum citra e- ‹‹
brietatem ferre: neque temerè inuenias, qui non in tanto ‹‹

*Euphratis traiectus.*

rerum

rerum ſecundarum affluxu de poteſtate rationis exeat. Primus ei amicorum Mithrobarzanes auſus eſt dicere veritatem: ſed ne huic quidem bene ſua libertas ceſſit. Statim enim aduerſus Lucullum miſſus eſt cum tribus equitum millibus, ingentíque peditum multitudine: iuſſuſque ducem viuum adducere, cæteros obterere. Luculli tum milites partim caſtra iam faciebant, partim in itinere adhuc erant. Itaque vt retulerunt exploratores de barbarorum aduentu, veritus ne ij exercitum ipſius diuulſum inuicem & incompoſitum adorti turbarẽt, inhibito itinere, Sextilium legatum cum MDC. equitibus, legionarijſq; & leuis armaturæ militibus haud multo pluribus ire contra hoſtem, propéq; eum dum ipſe caſtra locaſſet ſubſiſtere iuſſit. Et peregiſſet mandata Sextilius, niſi Mithrobarzanes ferociter impetũ dans coegiſſet confligere. Facto prælio, Mithrobarzanes pugnãs cecidit, cæteri barbari in fuga propè vniuerſi perierũt. Proinde Tigranes relictis Tigranocertis, magna vrbe, & quam ipſe condiderat, ad Taurum receſſit, ibíque omnes ſuas copias contraxit. Lucullus autem vt tẽpus apparandi hoſti eriperet, Murenam emiſit, qui ad Tigranem confluentibus obſtaret: & Sextilium, vt Arabum magnam manum ad regem proficiſcentem prohiberet. Simul & hic Arabes caſtra facientes adortus, pleroſque eorum deleuit: & ille Tigranem in aſpera anguſtáque conualle aſſecutus, illac copias longo ordine traducentem, occaſione arrepta, ita inſidijs circumuenit, vt Tigranes impedimentis relictis fugerit, Armenij multi occiſi, plures capti fuerint. Hunc in modum rebus ſuccedentibus, caſtra Lucullus mouit, & Tigranocerta obſidione cinxit. Erant ea in vrbe multi Græcorum qui ex Cilicia traducti fuerant, multíque idem paſſi barbari, Arabeni, Aſſyrij, Gordyeni, Cappadoces, quorum patrias ſolo æquauerat Tigranes, ipſos eò tranſtulerat. Erat & opum refertiſſima, donariorúmque ea vrbs, cùm nemo non regulus priuatúsve ad exornandam & amplificandam eam regi aliquid opis attuliſſet. Quare continenter eam Lucullus oppugnabat, Tigranem haud toleraturum exiſtimans, ſed præter animi etiam ſui ſententiam ira motũ eò ad prœlium venturum. Neque vana fuit hæc opinio. Enimuerò & Mithridates crebrò & nuncijs & literis miſſis, à pugna dehortatus Tigranem fuerat, equitatúque hoſtem commeatu

*Victoriæ de Tigrane.*

*Tigranocerta obſidentur.*

meatu excludere iusserat: Taxilésq; ab eodem missus, multis regem orauerat, vt inuicta Romanorum arma vitaret. Et initiò quidem benignas aures Tigranes præbuerat. Sed postquam ex omni Armenia & Gordyena collectæ aduenerunt copiæ, Medíque & Adiabeni vniuersi à regibus adducti sunt, tum à mari Babylonio Arabum, à Caspio Albanorum & Iberorum, aliorúmque ad Araxen habitantium sine regibus, gratiáque & donis ad bellum conductorum magni exercitus adfuerunt, spéque & fiducia & barbaricis minis regia conuiuia ac consilia repleta fuerunt: ibi & Taxiles pugnam dissuadere ausus in periculum de vita venit: & Mithridatem Tigranes, inuidere sibi tam præclari facinoris laudem suspicans, noluit expectare, ne socium eum gloriæ haberet. Itaque cum omnibus copijs aduersus Romanos profectus est, admódum iniquo animo (vt perhibent) ferés, quòd cum solo Lucullo, non cum omnibus Romanorum ducibus vno in loco coniunctis esset congressurus. Neque vsque adeò insanam eius fuisse temeritatem dixerit, qui eum comitantes tot nationes, tot reges, tot armatas phalanges, tot equitum millia consideret. Ducebat enim viginti sagittariorum & funditorum millia, equitum LV. millia, & ex his XVII. millia cataphractos, vt ipse Lucullus ad Senatum perscripsit: ad hæc grauis armaturæ militum, qui partim in cohortes, partim in phalanges disponerentur, CL. millia. eorum qui vias expedirent, pontes fabricarentur, flumina purgarent, materiam cæderent, aliáq; ministeria obirent, XXXV. millia, qui à tergo pugnantium constituti, terrorem hostibus, suis fiduciam præberent. Postquam cum his tantis copijs Taurum montem superauit, exercitumq; Romanum apud Tigranocerta despexit: multitudo quidé barbarorum obsessa, vociferationem ingentem & plausum ad aspectum suorum edidit, Romanisq; a muris minata Armenios monstrauit. At Lucullo de pugna deliberanti, quidam vt omissa obsidione in hostem duceret suadebant, quidam non esse a tergo tot hostes relinquendos, neque soluendam obsidionem dicebant. Imperator vtramuis non rectè, vtramque autem bene habere sententiam respondit: diuisisque copijs, Murenam cum sex peditum millibus ad obsidionem reliquit. Ipse cum viginti quatuor cohortibus, quæ haud vltra decé armatorũ millia continebant, vniuersoq; equitatu & fun-

*Tigranis copiæ.*

& funditoribus ac sagittarijs circiter mille, hosti obuiam cõtendit: positísq; iuxta fluuium in planicie ampla castris, planè imparatus à copijs Tigrani visus est, iociq; materiam eius adulatoribus præbuit. Quidam paucitatem subsannabant, quidam de prędæ diuisione nugabantur, duces autem & reges singuli ad regem adibant, orantes vt sibi rem gerendam committeret, ipseque spectator sederet: & Tigranes, vt ipse etiam faceti aliquid proferret, id, quod deinde vulgo iactatum est, dixit, Si legati venerint, multos, sin milites, paucos Romanos esse. Hoc modo illi ludendo ridendóque tempus exegerunt. Prima luce armatum exercitum Lucullus eduxit: vtque erant versus orientem hostium castra, quà fluuius ad occasum inclinat, & facilimè transitur, eò suos properè ducens, visus est Tigrani cedere. Itaque is Taxilem euocauit, ridensque, Non, ait, cernis inuictos istos Romanorum milites fugere? Cui Taxiles: Vtinam verò, inquit, ô rex bona tibi fortuna id contingat: est enim præter rationẽ. Sed enim isti homines neque splendido vtuntur vestitu, iter facturi, neque clypeis tersis, nudísq; galeis (vti nunc armorum coriacea integumenta detraxerunt) incedunt: is potius pugnam adeuntium splendor est, iámque hostem inuadentium. Nondum finierat sermonem Taxiles, cùm Lucullus conuertere primam aquilam, & ordines ad transeundũ flumen componere visus est: ac Tigranes quasi ex crapula vix tandẽ ad se rediens, bis térve exclamauit, In nos viri isti properant. Itaq; multo cum tumultu copiæ instructæ sunt: mediam aciem rex tenuit, sinistrum Adiabeno, dextrũ, in quo maxima pars cataphractorum in subsidijs erat, Medo commisit. Lucullum transiturum fluuium quidam ex ducib. monuerant, vti eum diem caueret: esse enim vnum ex nefastis, quos & atros vocant. eodem enim die exercitus Romanorũ cum duce Cæpione à Cimbris fuerat extinctus. Sed Lucullus respondit, (quæ deinde vox in ore omnium fuit.) Atqui ego hunc quoque diem Romanis fortunatum efficiam: erat autem pridie Nonas Octobris. His dictis, bonóque animo vti essent suos hortatus, fluuium transijt, primusque in hostem duxit, thoracem ferreis squamis compactũ rutilantem indutus, paludamentumq; fimbriatum, strictóque iam tum gladio innuens, præripiendum celeritate impetus spacium sagittando aptum, manumq; statim conserendã cum hoste

*Luculli cũ Tigrane pugna.*

hoste eminus iaculis pugnare consueto. cataphractos autem equites (quibus maximè fidebat hostis) cernens instructos sub colle quodam, qui supernè in latum planus esset, adscensumque quingentorum passuum haberet non admodum difficilem, neque præruptum: Thraces equites, Galatasque, quos secum habebat, ex obliquo cum illis congredi iussit, contorúmque ictus gladijs auertere: (omnis enim vis cataphracti in conto est sita, neque vllo alio modo aut sibi prodesse, aut hostem possunt lædere, mole & duricie armorum tanquam muro inclusi) ipse cum duabus cohortibus ad collem contendit, alacriter sequentibus ducem militibus, quem ipsum in armis primum labores perferre peditem cernebant. Vbi collem tenuit, stans in conspicuo omnibus loco, maxima voce, Vicimus, inquit, ô commilitones, vicimus: simul in cataphractos duxit, mandato suis, ne pilis vterentur, sed statim gladijs femora & tibias hostium (hæc enim sola armis nuda sunt cataphracto) ferirent. Sed nihil eo pugnæ genere opus habuit. Non enim excepit Romanos hostis, sed clamore sublato, turpissima fuga sese in peditatum coniecit, antequam is pugnæ initium fecisset. Quo factum est, vt nullo vulnere, nullo sanguine facto multa ista millia vincerentur. Magna fugientium cædes fuit, aut veriùs fugam molientium, nam ob ordinum densitatem ipsi sese mutuò impediebant. Tigranes initiò cum paucis prouectus fugit: filiúmque cernens eadem vti fortuna, diadema capiti detraxit, eíque flens porrexit, iubens vt qua posset alia via insisteret, suæque saluti consuleret. Adolescés se redimire eo non ausus, famulorum vni, quem maximè fidum habebat, asseruãdum tradidit: is forte fortuna captus, & ad Lucullum est adductus. Sic inter captiuos etiam Tigranis diadema repertum est. Ferunt supra centum millia peditum ea clade absumpta, equitum perpaucos admodum euasisse. Ex Romanis vulnerati sunt centum, amissi quinq;. Antiochus philosophus in volumine de Dijs pugnæ huius mentionem faciens, nullam huius similem a sole conspectã fuisse affirmat. Strabo, & ipse philosophus, in historicis commentarijs ait, Romanos sui tum puduisse, seque ipsos derisisse, qui armis contra talia mancipia opus habuissent. Liuius scribit, nunquam Romanos adeò numero inferiores hostibus, signis collatis dimicasse: nam victores victis comparati,

*Clades Tigranis.*

*Luculli laus.*

parati, ne vigesimam quidem partem expleuissent. Romanorum verò præstantissimi, bellóque exercitatissimi duces, id in Lucullo maximè laudauerunt, quòd duos maximos illustrissimósque reges duabus diuersissimis artibus, celeritate nimirum & tarditate vicisset. Mithridatem enim florentem bellum terēdo confecit, Tigranem celeritate attriuit: fuitq; ei hoc cum paucis eius tempestatis ducibus commune, quòd cunctatione in re gerenda, audacia ad se tuendum vsus est. Et hæc ipsa Mithridati causa fuit, cur non ad Tigranem festinaret, quòd Lucullum cautè vt semper, & cunctanter acturum crederet. Itaque lentè ad eum accedēs, primùm cùm in Armenios quosdam metu perculsos in via incidisset, qui tum domum se recipiebant, coniecit eladem acceptam: pòst pluribus iam nudis sauciisque occurrentibus, certior de re factus, Tigranem quæsiuit: Quem vt destitutum planè abiectúmque reperit, non profectò vicissim ei insultauit, sed equo descendit, communémq; fortunam deplorans, regium ei suum comitatum adiunxit, spéque futurorum consolatus est.

*Tigranocerta capta.*

Proinde hi nouis copijs contrahendis intenti erāt. Interim Lucullus Tigranocerta, vrbem Græcis ob discordiam cum barbaris ortam tradentibus, admoto exercitu cepit: thesaurisque qui in vrbe erāt receptis, vrbem diripiendam militibus dedit, in qua præter cæteras opes, octo millia talentorum nomismatis reperta sunt. Præter hæc octingētos viritim denarios de manubijs diuisit. Et cùm audiuisset multos in vrbe histriones relictos, quos Tigranes ad edendos in theatro à se ædificato ludos vndique conduxerat, illis ad ludos & spectacula pro victoria exhibita vsus est. Græcos viaticis donatos in patrias suas dimisit, itemq; barbaros, qui cò coacti commigrauerant: vnde factū est, vt vna ab vrbe disiecta multæ suis recuperatis ciuib. iterum habitari cœperint: atq; hę benefactorem suum, conditoremque Lucullum coluerunt. Reliqua etiam ita successerunt, vti dignum erat viro laudes iustitia & humanitate potiùs, quàm bellica gloria sectanti. quippe illarum partem haud exiguam exercitus, maximām fortuna sibi vēdicabat: hæ animum mansuetum probéque institutum ostendebāt, ijsque tum Lucullus citra armorum vsum barbaros subegit. Nam & Arabum reges ad eum venerunt, se suáq; ipsi dedentes, & Sopheni se ipsi adiunxerunt: Gordyenos quoque sua affecit,

affecit, vt vrbibus desertis sponte sua ipsum cum vxoribus & liberis sequi voluerint. Cuius rei hæc fuit causa. Zarbienus Gordyenorum rex Tigranis tyrannidem non ferens, clam Appij (vt demonstrauimus) opera cum Lucullo de societate egerat: is re ad Tigranem delata, antè quàm in Armeniam Romani peruenissent, cum vxore & liberis iugulatus fuit. Hæc non oblitus Lucullus, in Gordyenam profectus est, Zarbieno funus fecit, rogúmque veste & auro regali pompa, & spolijs Tigranis exornatum ipse succendit, libauitque eius manibus ipse, Zarbieni necessarijs præsentibus, socium cum P.R. amicúmque appellans: iussit & monimentum ei pretiosissimum extrui. nam in regia Zarbieni magna vis auri argentúque reperta fuit, & ter millies mille medimni frumenti: vt & milites præda ditauerit, & admirationi Lucullus fuerit, qui ne denarium quidem ex ærario publico sumens, bellum bello partis opibus gereret. Venit eodem & à rege Parthiæ legatio, ad societatem & amicitiã prouocans. Gratum id Lucullo fuit, & ipse vicissim suos ad regem legatos misit, qui eum in vtranq; partem inclinare, & auxilij ferendi causa Mesopotamiam à Tigrane petere deprehenderunt. Ea re cognita Lucullus statuit Mithridate & Tigrane, vt iam de victoria concedentibus, omisso, Parthorum vires facta in eos expeditione experiri: præclarum existimans, si vno belli impetu tres deinceps reges vicisset, inuictúsque, & quidem victor cum tribus toto orbe terrarum potẽtissimis regibus depugnasset. Eo consilio in Pontum misit ad Sornatium reliquósque præfectos, mandans eis vt sibi per Gordyenum, adscendenti cum exercitu obuiam venirent. Ibi demum militum, qui iam pridem intractabiles se, imperáque obtrectantes præbuerant, planè detecta est impudentia: cùm neque monendo, neque vi ad officium à præfectis adduci possent, sed testarentur clamarentque, se ne in Ponto quidem mansuros, verùm deserto regno abituros. Hæc vt in Luculli castra sunt renunciata, istos quoque milites corruperunt, qui iam antè diuitijs & luxu perditi cùm militiam detrectarent, postquam de alterorum libertate compererunt, viros eos dixerunt, eorúmque exemplo agendum: multis enim se iam salutem & requiem meruisse sermonibus. Hi, & alij etiam deteriores sermones vbi ad Lucullum delati sunt, expeditionem in Parthos dimisit, & æstate

*Lucullus Parthicũ bellum mouet.*

*Militũ contumacia.*

vigente, rursum contra Tigranem duxit: superato Tauro cum vidisset iam primùm virere campos (vt ob aeris frigiditatem eæ regiones tardiùs ęstatem habent) indoluit. Descendit tamen, & bis térve ausis congredi Parthis fusis, liberè pagos populatus est: frumentúmque Tigrani conuectum auferens, penuriam, à qua ipse sibi metuerat, hostibus induxit. Cæterum vbi prouocando ad pugnam, castra eorum munitionibus cingendo, inq; ipsorum conspectu agros vastando, Armenios toties ictos elicere non potuit, motis castris Artaxata petijt, regiam Tigranis, vbi & liberi eius infantes, & legitimæ vxores erant, ratus ea nequaquam Tigranem capi non tentato Marte passurum. Ferunt Annibalem Carthaginensem cùm Antiocho à Romanis debellato ad Artaxam Armenium venisset, cùm alia multa vtilia docuisse, tũ regionis eius opportunissimo loco conspecto, & amœnissimo, qui ocioſus tum neglectusque iacebat, vrbis in eo figuram descripsisse, eóque Artaxam adduxisse, & vt vrbem ibi conderet, autorem fuisse: regi id pergratum fuisse, & ab Annibale vti ædificationi præesset impetrauisse. itaque vrbem mirę & magnitudinis & pulcritudinis conditam, à rege nomen habuisse, & totius Armeniæ caput constitutam. Hanc tum Lucullo petente non continuit se Tigranes, sed assumpto exercitu quartis castris ad Arsaniam fluuium peruenit, quem transire Romanos ad Artaxata accessuros oportebat: ibi castra castris opposuit. Lucullus cum rem diuinam veluti certus victoriæ fecisset, exercitum traiecit, pręmissis duodecim cohortibus, totidémque, ne ab hostibus circumuenirentur, in subsidium retentis: etenim multi equites & delecti milites erant oppositi, atque ante hos Mardi & hastati Iberi, quibus inter peregrinos maximè fidebat Tigranes. Neque tamen vllum ab his præclarum est facinus editum: cùm parum per cum Romanis equitibus decertassent, pedites inuadentes non sustinuerunt, sed in diuersas partes fugientes equitibus insequendi occasionem præbuerunt. His dissipatis, Tigranis cum suo equitatu prouehentis splendore & multitudine territus Lucullus, equites ab insecutione hostium reuocauit, & primus ipse Satrapenos, qui cum prę-
stantissima militum manu proximi erant, inuasit, eósque ipso terrore, antequam manum conserereț, fugauit. Ibi cum tres reges simul contra Lucullum in acie starent, turpissimè

*Artaxata.*

*Tigranes iterum victus.*

omnium

omnium videtur fugisse Mithridates, qui ne clamorem quidem Romanorum sustineret. Insequendo hostem, & per totam eam noctem non cædendo tantùm, sed & captiuos abducendo, & pecuniam spoliáque congerendo Romani defatigati sunt. Liuius priori pugna plures, hac nobiliores hostium captos cæsosque dicit. Auctus exinde animo fiduciáque Lucullus, pergere in superiora, planéque euertere opes barbari statuit. Verùm circa æquinoctium autumnale grauis tempestas incidit, pleraque niue obruens, & in aperta loca pruinam glaciémque deijciens: itaque & potum difficiles ob frigus equis fluuij reddebantur, & transitu, cùm perrupta glacies neruos eorum dissecaret. Pleræque etiam regionis eius partes, vt erant syluestres, arctæque subinde milites niue decussa in itineribus madefaciebant, & in vdis locis pernoctationes affligebant. Itaque diebus haud multis à pugna Lucullum secuti, primùm missis tribunis supplicantes expeditionem deprecabantur: mox tumultuosiùs congressi, per castra noctu strepitum, qualis solet initio conflictus edi, tollebant, quod signum videtur esse ad defectionem spectantis exercitus. Lucullus cùm eos multis esset cohortatus ad patientiam, vtque tantisper durarent, dum Carthagine in Armenia capta, infensissimi hominis (Annibalem nominabat) opus delerent, postquam nihil obtinuit, retrò eos abduxit: alióque in loco Taurum transgressus, in Mygdoniam descendit, regionem fertilem, apricámque, & in qua vrbs erat magna, atque populosa, quam barbari Nisibin, Antiocheam Mygdonicam Græci nominabant: obtinebat imperio Huras Tigranis frater, arte autem & peritia machinarum Callimachus, qui & apud Amisum plurimum Lucullo exhibuerat negocij. Hanc obsidione cùm cinxisset, & omne genus oppugnandi tentasset, breui temporis spacio expugnauit: Hurâq; sese dedente humaniter vsus, Callimacho magnâ vim recõditæ pecuniæ monstraturum se pollicenti non gessit morem, sed in compedib. iussit auehi daturum pœnas incendij Amiseni, qua vrbe vastata Lucullo suæ liberalitatis humanitatisque Græcis demonstrandæ occasionem præripuerat. Hactenus in bello gerendo adfuisse Lucullo fortunam haud ineptè quispiam dixerit. ex illo autem, quasi vento secundo concidente, vi omnia agens, & vbique offendens, virtutem sanè, & æquanimita-

*Militũ tumultus.*

*Nisibis capitur.*

*Fortuna Luculli & mutata.*

nimitatem bono duce dignam ostendit, gloria tamẽ & gratia actiones caruerunt: parúmq; abfuit, quin frustra & infeliciter laborando partam quoq; iam antè gloriam amitteret. Cui ipse rei haud minimam causam præbuit, à colenda multitudine militari alienus, idq; omne ad dedecus & inritum magistratus spectare existimãs, quod in gratiam subditorum fieret: &, quod maximi fuit momenti, ne cum potentibus quidem, & dignitate paribus conueniens, sed præ se omnes contemnens. His inter tot virtutes Lucullus vitijs laborauit, cætera magnus, honestus, facundúsq; & prudens domi militiæque habitus. Sallustius autor est, initio statim belli milites odium aduersus eum cõcepisse, cùm eos apud Cyzicum, rursumq; apud Amisum duas continuas hyemes in hybernis sub dio continuisset: reliquæ etiam hyemes molestia afficiebant, partim in hostico, partim apud socios sub cœlo exactæ: neq; vnquam in sociam aut Græcam vrbem cũ exercitu Lucullus intrauerat. Hoc modo affectis militibus, maximas in vrbe tribuni plebis occasiones præbuerunt, inuidia Luculli, calumniantes, eum imperij opumque cupiditate ductum bellum trahere, atque interea tantùm non possidere Ciliciam, Asiam, Bithyniam, Paphlagoniam, Galatiam, Pontum, Armeniam, & vsq; ad Phasin porrectas regiones: nunc etiam regiam Tigranis diripuisse, perinde ac si non ad debellandos sed spoliandos reges missus esset. hæc enim sunt, quæ tribunorum plebis vnus L. Quinctius dicitasse traditur. Hunc maximè autorem habuit populus, Lucullo successorem decernendi, multósque qui sub eo militabant exautorandi. Accessit ad hęc incõmoda id, quod potissimùm res Luculli perdidit, P. Clodius, homo petulans, omnisque superbiæ & ferociæ plenus, frater vxoris Luculli, cum qua & incestam cõsuetudinem (vt erat impudicissima) habere ferebatur, Luculli in castris eo tempore erat. Is cùm non in tanto, quãtum sibi poscebat, honore haberetur (primus enim haberi cupiens, multis ob morum peruersitatem postponebatur) Fimbrianos milites occultè contra Lucullum incitauit, sermones apud homines quibus dicendo pellici neque inuitis neque insuetis erat, gratos spargens. Erãt hi milites, qui antè Fimbriam sibi persuadere passi fuerant, vti Flacco consule cæso, ipsum ducem assumerent. Quare tunc quoque Clodium lætis animis acceperunt, militúmque

*P. Clodius Fimbrianos corrumpit.*

que amicum appellarunt: nimirum qui se vicem eorum dolere simularet, nullum bellorum laborumque tantorum finem reperientium, sed contra omnes populos dimicando, omnes terras penetrando vitam terentium, nullum eius militiæ præmium dignum ferentium, tantùm Luculli currus & camelos aureis & gemmatis poculis refertos comitantium. At verò (dicebant) Pompeiani milites bello defuncti cum vxoribus & liberis suis iam Romę sedent, terram felicem possidentes, inque vrbibus habitantes, non Mithridate & Tigrane in vastas solitudines compellendis, neque regias Asiæ euertendo, sed exulibus in Hispania, & fugitiuis in Sicilia debellatis ocium nacti. Quorsum ergo attinet, nos nullum militiæ finem facere? quin nos quod reliquum est corporum animorumque ei reseruamus duci, cui nullum pulcrius decus esse videtur, quam ditare milites? Ita corruptus exercitus, Lucullum neq; contra Tigranem euntem sequi voluit, neque aduersus Mithridatem, qui statim ex Armenia in Pontum irrumpens regnum suum recuperabat: sed hyemem causantes, in Gordyena morabantur, mox Pompeium alium ve Lucullo datum successorem aduturum sperantes. Posteaquam renunciatum est Mithridatem Fabio superato, aduersus Sornatium & Triarium tendere, pudore moti milites Lucullum secuti sunt. At Triarius victoriæ gloriâ Lucullo iam appropinquanti præripere cupiens cum hoste congressus, magnáq; pugna victus est. Etenim vltra septem millia Romanorum cæsa dicuntur, inque his CL. centuriones, XXIIII. tribb. militũ, & castra Mithridates cepit. Paucis pòst diebus Lucullus superuenit, & Triarium ab iratis militib. quæsitum subduxit: Mithridate autẽ pugnam detrectante, & Tigranem expectante qui iam magnis cum copijs aduentabat, statuit priùs quàm ij inter se coniungerentur, Tigrani occurrere, & cum eo pugnare. In itinere Fimbriani milites coitione facta à signis discessêrunt, senatusconsulto se exautoratos esse, neque Lucullum alijs decreta prouincia cum imperio esse præterea dicentes. Nihil adeò indignum Lucullo fuit, quod eo tempore non sustinuerit: singulos, & circum tentoria iens vniuersos tristi vultu ac lacrymans deprecatus est, atq; prensauit. Milites autem dextram eius à se reijcere, marsupia vacua proijcere, solum iubere cõtra hostes pugnare, qui solus inde discescere

*Mithridatis victoria.*

*Lucullus à militib. deseritur.*

teſcere noſſet. Tandem reliquorum militum victi precibus, polliciti ſunt ea æſtate ſe cum Lucullo manſuros, atque ita ſi nemo pugnaturus occurriſſet à militia liberos futuros. Has conditiones neceſſitate compulſus accepit, ne deſtitutus regionem eam barbaris traderet. proinde non vi eos continuit, neque ad prœlium duxit, contentus eos non diſcedere. Interim & Cappadociam à Tigrane vaſtari videre cogebatur, Mithridatémque rurſus ferocire, quem à ſe debellatum ipſe ſenatui ſcripſerat, iámque legati ad res Ponticas, vt planè confecto bello, componendas ei aderant. Ij ſanè coram inſpexere, Lucullum non Ponti modò, ſed ne ſui quidem eſſe compotem, qui ludibrio militibus haberetur. Tanta enim ij in imperatorem petulantia abundabãt, vt ſub exitum æſtatis arma induti, ſtrictis gladijs hoſtes abſentes procul, iámque belli feſſos prouocarint, ac clamore militari ſublato, vmbratilíque pugna edita, ex caſtris diſceſſerint, teſtati tempus, ad quod ſe Lucullo obſtrinxiſſent, exijſſe. Reliquos per litteras ad ſe Pompeius vocabat, dux belli contra Mithridatem & Tigranem gratia populi & adulatione tribb plebis creatus. Enimuero graui iniuria afſici Lucullum ſenatus optimíque cenſebant, cui non bellum, ſed triumphus à ſucceſſore eriperetur, neque imperium, ſed præmia rerum geſtarum alij cogeretur tradere. Auxit indignitatem rei apud præſentes, quòd neque honorum neque ſuppliciorum poteſtas Lucullo relinquebatur, neque quenquam ad eum accedere Pompeius ſinebat, illiúsve obtemperare edictis, quę cum decem legatis fecerat: verùm ipſe edicto propoſito id vetabat, terroremque ob maiores quas ſecum habebat, copias incutiebat. Effecerunt tamen amici, vt in pago quodam Galatiæ congrederentur. Amicè ibi ſe conſalutarunt, inuicemque de rebus præclarè geſtis gratulati ſunt. Lucullus natu maior erat, Pompeij ob imperia plura, duosque triumphos actos maior dignitas. Et cùm vtrique ob partas victorias faſces laureati præferrentur, Luculli milites Pompeij lauros, vt longum iter per loca ſicca & ſqualida erat profectus, exaruiſſe cernentes, honoris cauſa de ſuis lauris recentibus viridibúsque largiti ſunt: id quod boni ominis loco acceperunt Pompeiani. Et verò Pompeij imperium rebus geſtis Luculli exornatum eſt. Id tamen colloquium ad beneuolentiam recolligendã nihil

*Pompeius Lucullo ſuccedit.*

*Cõgreſſus eorum.*

contu-

contulit, verùm animis magis inuicem abalienatis discessérunt. Pompeius Luculli constitutiones rescidit, milites ei omnes ademit, mille ac sexcētis tantùm relictis qui triumphantem comitarentur: qui ipsi quoque inuiti eum secuti sunt. Adeò ad id quod in regendo exercitu summum est, vel ingenium Lucullo, vel fortuna defuit: atque hoc vnum si ad cæteras eius viri tot tantásque virtutes accessisset, fortitudinem, diligentiam, prudentiam, iustitiam, non equidem Euphrates Romani in Asia imperij terminus, sed extremi tates & Caspium mare fuisset. quippe & deuicti iam reliqui cum Tigrane populi erant: neque ea tum Parthorum, quæ Crasso bellum mouente apparuit, potentia, neque respub. constituta fuit, cùm bellis ciuilibus finitimisque attriti, ne Armeniorum quidem insultus defenderēt. Nunc mihi Lucullus aliquanto plus per alios damni patriæ dedisse videtur, quam ipse ei profuerit. Trophæa enim in Armenia fixa, Parthis vicina, item Tigranocerta, Nisibisque captæ, & opes inde amplæ Romam aduectæ, Tigranisque diadema in triumpho inuectum, Crassum cupiditate belli in Asia gerendi inflammarunt, barbaros nihil aliud quàm prædam esse opinantem: tametsi mox ille Parthicas sagittas expertus, ostendit non vecordia sua aut mollitie barbaros, se autem à Lucullo audacia & peritia victum. Verùm hæc aliò pertinent. Lucullus cùm Romam peruenisset, Marcum fratrem offendit à C. Memmio ob res in quæstura sub Sylla gestas in ius vocatum. Marco absoluto, in ipsum Lucium se conuertit Memmius, eúmque multa peculatum, & bellum consultò traxisse clamitans, populum ne triumphum ei concederet iritauit. Magnum aggresso certamen Lucullo, primi & potentissimi ciuium tribubus se permiscentes, multis precibus enixóque studio populum ad decernendum ei triumphum adegerunt. Fuit is Luculli triumphus, non, vt aliorum, longa pompa, eorúmque quæ inuecherentur multitudine terribilis atque varius, sed armis hostium, quorum erat ingens copia, regiisque machinis Flaminium circum exornauit: quod ipsum vel solum spectaculum haud parum splendoris habuit. In pompa, non ita multi equites cataphracti, decémque currus falcati ducti sunt: ad hæc sexaginta regij amici atque duces, naues longæ æreis rostris aptæ centum & decem: præterea Mi-

*Lucullus à Memmio accusatus.*

*Triūphus Luculli.*

thridatis colossus aureus sex pedes longus, clypeus gemmatus: item decem argenteorum poculorum feretra, aureorum, armillarumque, & nomisinatis triginta duo. Hęc viri gestabant. Muli porrò octo lectos aureos portabãt, quinquaginta & sex argento conflato onusti incedebant, alij centum & decem nomisma argentea; cuius summa fuit circiter centies & octies sestertiũm: & in tabulis signata erat summa pecuniæ, quam ad bellum Piraticum gerendum Pompeio dederat, & quam in ærarium publicum intulerat, & seorsim dati militibus singulis DXC. denarij. Post hæc & ciuibus epulum splendidum, & vicis circumiacentibus præbuit. Porrò Clodiæ, impudicæ malæque mulieri nuncio remisso, Seruiliã Catonis sororem duxit. Sed ne hæ quidem nuptiæ ei felices fuerũt: id enim vnum Seruilia Clodiæ præstabat, quòd fratrem criminibus obnoxium nullum habebat: alioquin perinde impudica. Catonis tamen reuerentia tolerauit aliquandiu, ad extremum ipsam quoq; repudiauit. Cùm autem Senatus incredibilem de eo spem cõcepisset, quasi is vir tyrannidi Pompeianæ esset reluctaturus, & pro optimatũ principatu propugnaturus, quippe qui gloria potentiáq; tanta fretus certamini par esset: ipse rempub. destituit, ab eáq; totum se traduxit: siue quòd iam ita laborantem cerneret, vt seruari posse desperaret, siue quòd (vt multorum fert sententia) plenus iam gloriæ, post multas ærumnas haud feliciſſimũ finem cõsecutas vitę genus quietum & molliſſimum sibi delegisset. Non desunt enim, qui eam viri istius mutationem laudẽt, quòd non Marij exemplum secutus sit: qui post Cimbricas victorias, magnámque illam præclaris facinoribus quæsitam gloriam non satis habuit se admirationi omnib. ob ingentes honores esse, sed inexpletæ gloriæ imperijque cupiditate abductus, senex cum iunioribus in repub. contendens, in facta turpia, turpioresque factis affectus sese præcipitauit. Rectiùs quoque sentiunt Ciceronem sibi consulturum fuisse, si post oppressum Catilinam se in ocio cõtinuisset: & Scipionem, si euersæ Carthagini addita Numãtia quieuisset. Esse enim quendam etiam ciuilium ambituum finem: & vt in athleticis, ita in ciuilibus etiam certaminibus reprehendi, qui ætate viribúsque deficientibus ea subeant. At Crassus & Pompeius Lucullũ subsannabant, qui se deliciis sumptuosis, voluptatibúsque

*Matrimonium.*

*Lucullus ocioſe dedit, & voluptatib.*

tibúsque dediſſet: quaſi verò non id genus vitæ à tanti viri ætate prouectiore alienum eſſe, perinde atque adminiſtratio reipub. & bellorum deberet. Equidém Luculli vita ſimile quiddam antiquæ comœdiæ referebat: nam priora reip. & bellorũ functiones obitas habent, poſteriora cœnas, conuiuia, ac tantùm non cõmeſſationes, faces, & omnia ludicra. In ludicris enim ego ſumptuoſa iſta ædificia, ambulationúmq; & balneorum apparatus, tum picturas & ſtatuas, impenſasque in eas artes factas ingentes pono. nam in has res pecuniam, quam bello gerendo ingentem fecerat, profundebat. Cui rei argumento vel maximo eſſe poſſit, quòd hodie etiam, cùm tanta luxus incrementa fecerit, Lucullini horti inter Cæſarios precioſiſſimi habentur. Iam illa in ora maris, & apud Neapolim ędificia, cùm exhauſta infernè terra colles penſiles effeciſſet, curſuſq; in mari, & piſcoſos tranſitus ædibus ſuis circumduxiſſet, habitationes in mari extruxiſſet, vt inſpexit Tubero Stoicus, Xerxem eum togatum nominauit. Habebat & in Tuſculano habitationes ex quibus tanquam ſpecula circumſpicere vicina poterat, cubiculis & ambitionibus apertis. In eas cùm Pompeius veniſſet, reprehendit Lucullum quòd ad ætatem optimè accommodaſſet ædes, ſed ita vt hyeme habitari non poſſent: cui Lucullus ſubridens, Adeóne, inquit, minùs tibi gruibus & ciconiis ſapere videor, vt non poſſim ſecundum anni tempus locum mutare? Prætori cuidam, qui ſpectaculum edere quàm ſplendidiſſimè cupiens ad eum venerat petitum chlamydes aliquot, quibus chorum exornaret, inſpecturum reſpondit an tot habeat, & ſi habeat, daturum: poſtridie ex eo quæſiuit, quótnam cuperet, centúmque ſatis eſſe reſpondentem, ducentas accipere iuſſit. Cui rei Horatius hoc epiphonema attexuit:

*Exilis domus eſt, vbi non & multa ſuperſunt,*
*Et dominos fallunt.*----

*Luxus Lucilli.*

Nouum autem genus diuitiarum in quotidianis cœnis Lucullus oſtentabat, non modò veſte ſtragula purpurea, poculis gemmatis, choris & cantilenis, ſed & omnibus generibus ciborum, cupediarũmque ſummo artificio apparatarum varietate illiberalium excitans æmulationem. Itaque Pompeio laudi datum eſt, quòd cùm æſtate ægrotanti ipſi medicus ſuaſiſſet vti turdo veſceretur, famulúsq; negaſſet eo rem-

eo tempore inueniri turdum, nisi altilem apud Lucullum posse: ab eo peti prohibuisset, medicóque dixisset, Ergo nisi Lucullus deliciis operam daret, Pompeius non viueret? atque aliud comparatu facile dari iussisset. Cato etiam qui & amicus Luculli & necessarius fuit, ita viuēdi rationem eius improbauit, vt cuidā iuueni in senatu de frugalitate & temperantia prolixum importunúmque sermonem intempestiuè habenti, assurgens dixerit: Non cessabis tandem, Crassi instar dives, viuens vt Lucullus, Catoniano more disserere? Quidam hoc ita dictum fatentur: à Catone, id verò negant. Cæterùm Lucullum non delectatum modò hoc vitæ instituto, sed & gloriatum, ex his, quæ eius dicta memoriæ tradita sunt, apparet. Græci quidam (ita enim narrant) Romam venerant: quos cùm per aliquot dies Lucullus conuiuio accepisset, Græcanica verecundia tandem moti, cùm inuitarentur, recusarunt, quòd propter se tantos quotidie sumptus fieri nollent. His Lucullus subridens: Sanè inquit, nonnihil horum propter vos fit, sed pleraque propter Lucullum. Solus cùm cœnaret, essetque vna tantùm mensa, & mediocris cœna apposita, succensuit, & ad se vocatum seruum, qui ei rei præfectus erat, obiurgauit: cúmque is diceret, se non existimasse opus fore sumptuosa cœna, cùm nemo esset inuitatus: Quid, inquit, hoc rei est? an nescibas hodie Lucullum cum Lucullo cœnaturum? Ea de re cùm, vti fieri solet, multus esset in vrbe sermo, ad ipsum in foro fortè ociosum sedentem Pompeius & Cicero accesserunt (ex his Ciceroni cum Lucullo summa intercedebat familiaritas: cùm Pompeio etsi bello Mithridatico discordia inciderat, solebant tamen amicè sæpenumerò conuenire atque colloqui) & Cicero salutatum percontatus est, essétne ei commodum conferre sermones. Cùm respondisset esse sibi lubentissimo, vtque accederent hortaretur. Volumus, inquit Cicero, hodie tecum cœnare, ea tamen lege, vt nihil propter nos apparetur. Lucullo excusante, orantéque vt in alium diem differrent, non destituros ab incepto dixerunt, neque passi sunt cum seruis eum colloqui, nequid amplius solito fieri præciperet: id tantum ab ipsis obtinuit, vt coram ipsis diceret vni seruorum, se hodie in Apolline « cœnaturum. Erat autem is Apollo cœnaculum vnum de preciosis: eóque astu illis imposuit. Nam vnumquodque

cœna-

cœnaculum definitum cœnæ sumptum habebat, suúmque apparandi modum: vt famuli audientes vbi esset cœnaturus, statim quo sumptu, quo ornatu apparari deberet cœnam scirent. Sumptus autem cœnæ in Apolline erat ducenta sestertia: talisque tum præbita cœna Pompeio præter sumptuum magnitudinem apparatus celeritatem admirandam proposuit. Hos ille in vsus opibus abutebatur, tanquam verè captiuis atque barbaricis. Cæterùm id eius factum & commemoratione est & laude dignum, quòd multos, beneque scriptos libros conduxit, vsumque eorum possessione laudabiliorem instituit. Omnibus enim bibliotheca Luculli, & quæ iuxtà erant ambulationes atque scholæ, patebant: eóque se Græci, tanquam in Musarum aliquod diuersorium liberè recipiebant, aliisque negociis euitatis iucundè dies ibi commentando exigebant. Ipse frequenter in ambulationes eas se contulit, ac cum philosophis disputauit: rebus quoque ciuilibus, sicubi opus erat, non defuit. Omnino autem Græcis Romam venientibus hospitij Prytaneique publici vsum Luculli domus præstabat. Philosophię omnia genera Lucullus amplexus est, & familiaria habuit: Academiam verò iam inde ab initio miro studio & amore coluit, non nouam illam, quæ tum maximè Philonis opera disputationibus Carneadicis florebat: sed veterem, cuius tum princeps erat Antiochus Ascalonita, vir magna dicendi vi præditus. Hunc Lucullus cùm omni studio amicum suum domesticúmque effecisset, Philonis auditoribus, inter quos erat etiam Cicero, opponebat. Et conscripsit Cicero volumen de Academica secta perelegans, eique Lucullum titulum fecit: in quo de eo, vtrum comprehendi aliquid sciríve possit disputans, affirmantis partes Lucullo, sibi negantis tribuit. Erant, vti diximus, summa inuicem amicitia iuncti Cicero & Lucullus, idémque in repub. sentiebant. Neq; enim totum se à repub. Lucullus abstraxerat, sed dimisso de principatu certamine tot periculis tótque contumeliis obnoxio, Crasso id Catoniq; tractandum reliquit: hos enim, postquam ipse primas sibi partes vendicare desiit, principes de Senatu habebant ij, quibus Pompeij potentia erat suspecta. Amicorum causa in forum venire solebat: in Senatum, quoties Pompeij conatui alicui obsistendum duceret. Nam & constitutiones, quas is deuictis

*Bibliotheca Luculli.*

*Philosophia eius.*

regibus

regibus fecerat, rescidit, & cùm is de diuisione quadam inter milites retulisset, ne fieret, effecit, vsus opera & auxilio Catonis. His motus causis Pompeius ad Crassi & Cæsaris amicitiam, aut rectiùs coniurationem confugit, vrbéque armatis militibus repleta, per vim leges suas pertulit, Catone & Lucullo foro pulsis. Quam rem cùm optimates iniquo animo ferrent, Vectium quendam produxere Pompeiani, captum dicentes, cùm Pompeio insidiaretur. Atque is quæstione habita in Senatu quosdam alios, apud populum verò Lucullum nominauit, à quo ad occidendum Pompeium submissus fuisset. Nemo ei indicio fidem habuit, statimque apparuit eum calumniandi causa à Pompeianis subornatum fuisse: id quod paucis pòst diebus deprehensum est. Nam cadauer Vectij ex carcere proiectum inuentum est: & à Pompeianis, qui eum casu mortuum fuisse dicebant, cùm tamen strangulationis & verberum vestigia conspicerentur, satis patuit eundem factum cæsumque esse. Eo magis in posterum se à republica abduxit Lucullus: postquam Cicero in exilium actus, & Cato in Cyprum missus est, planè ocio se totum dedit. Ferunt ante obitum mente ex morbo quodam alienata, paulatim desipuisse. Cornelius Nepos non senectutem, neque morbum delirij causam fuisse ait, sed venenum ei à Calisthene liberto exhibitum, propinatum autem ab hoc, vt se magis diligeret, amatorij poculi loco: id tamen ita rationem eius læsisse, vt viui adhuc tutelam frater gesserit. Mortuum, perinde ac si in media reipublicæ bellive administratione decessisset, dolens populus concursu facto, cùm esset corpus à nobilissimis adolescentibus in forum prolatum, in campum Martium efferre, ibique, vt & Syllam, sepelire contendit. Quod cùm omnibus insperatum accidisset, neque facili apparatu fieri posset, frater eius populum exorauit, vt funus ei fieri in prædio Tusculano, sicuti comparatum erat, sineret. Non multum temporis ipse etiam superuixit: vtque paulo inferior ætate gloriáque fuit, fratris in vita amantissimus tempus quoque mortis ab obitu eius non multum distans sortitus est.

*Vectij indicium.*

*Obitus Luculli.*

## CIMONIS ET LVCVLLI COMPARATIO.

*Mors.*

Finem vitæ Lucullus eo maximè beatum nactus est, quòd ante

ante mutationem eam, quam Romanæ reipub. per bella ciuilia machinabatur fatum, in laborãte quidem, sed tamen adhuc libera patria expirauit. Qua in re apprimè ei cum Cimone conuenit, qui & ipse nondum conturbatis Græcię rebus, sed ipso initio intestinorum tumultuum legi naturæ satisfecit. Hic quidem in castris, & imperium gerens: non rude iam donatus, neque ocio & deliciis deditus: neq; postquam armorum, imperiorum, trophæorúmq; pręmia conuiuia sibi & compotationes statuisset. quo nomine Plato Orpheum subsannat, quod his, qui vitam suam rectè egissent, præmij loco apud Manes æternam crapulam paratam dixisset. Ocium quidem, requies, studiúmque literarum voluptatem contemplationémq; rerum afferens, conuenientissima est seni laboribúsq; domi & militię defuncto recreatio. At voluptati, tanquam is finis rerum præclarè gestarum esset, se dare, & post bellicos ciuilésq; magistratus Veneris sacris studere ludendo, luxuriandóq;, id verò indignũ præclara Academia est, neque eius qui Xenocratem imitetur, sed qui ad Epicurum inclinet. Quo magis miror Cimonis iuuentutem vitiosam & intemperãtem, Luculli contrà bene institutam modestámq; considerans: & quidem is melior habendus est, cui mutatio in melius accidit. est enim ea natura præstantior, in qua deteriora consenescunt, meliora vigent atque adolescunt. Iam cùm eadem ratione opes parauerint, dissimiliter planè iis vsi sunt. Nam thalami Luculliani, speculæque circumfluæ apud Neapolim ex manubiis barbaricis ædificatæ, ne conferendæ quidem sunt cum Australi muro arcis, qui pecunia à Cimone aduecta absolutus est. An verò Luculli magnificas & regias cœnas cum Cimonis frugali & populari comparandas victu putas? quando hic multos quotidie paruo impẽdio aluit, illæ ingenti sumptu paucorum luxuriæ seruierunt. Nisi tamen temporum ratio diuersitati huic causam præbuit. Est enim in incerto, vtrum Cimon, si post res gestas senectutem à militia reipublicæq; cura vacantem attigisset, luxuriosa & voluptati dedita vita fuerit Lucullũ superaturus: quippe ebriosus, vitæq; dissolutæ, & mulierosus etiam. Nam rerum gerendarũ pręclarorúmque facinorum studium, cùm suas peculiares habeat voluptates, ciuilibus & honorũ cupidis ingeniis turpiorum cupiditatum obliuionem inducit: & si Lucullus in

*Mutatio vitæ.*

*Vsus opũ.*

belli

belli administratione mortuus fuisset, existimo sanè neminem adeò calumniandi & reprehendendi studiosum esse, qui quicquam in eo viro quod culparet inuenire potuisset. Bellicam laudem haud dubiè rebus terra mariq; gestis vterque meruit. Sed vt ex athletis eos qui eadem die lucta pancratióque coronam meruerunt, mira quadam consuetudine Victores excellentiæ ergò nominant: sic Cimon cùm vna die victoriæ nauali terrestrisque coronam Græciæ imposuerit: primum inter imperatores locum meretur. Quid, quòd Lucullo patria imperium mandauit, Cimon patriæ imperium peperit? alter patriæ sociis iam imperanti, hostilem ditionem adiecit, alter aliis subiectam patriam simul & illorum ducem, & hostium victorem reddidit? cùm & Persas è mari profligauit, & Lacedæmoniis vt Athenis de imperio concederent persuasit. Sin illud ducis præcipuum opus est, vt milites beneuolentia sibi obstrictos, dicto audientes habeat, Lucullus quidem à militibus contemptus, Cimon sociis admirationi fuit: ab illo defecerunt, ad hunc transiuerunt. ille cum quibus imperator domo exierat, ab iis destitutus rediit: hic missus vt aliorum imperatis pareret, horum dux domũ reuersus est, cùm tria difficillima patriæ suæ confecisset, pacem cum hostibus, principatum inter socios, concordiam cum Spartanis. Vterq; magnum regnum euertere aggressus, totámque subigere Asiam, imperfectum id quod cœperant reliquerunt. Cimon quidem nulla alia de causa, quam quòd ita fortunę visum fuisset: bellum enim adhuc gerens, prosperóque rerum successu mortuus est. Lucullum non facile est omni culpa liberare, siue nescierit, siue noluerit offensis & reprehensionibus militum suorum mederi, vnde tantum in ipsum odium tãdem exarsit. Tametsi id quoque ei cum Cimone cõmune videri possit, quem in iudicium pertraxerunt ciues, ac denique ostracismo vrbe pulerunt, vt vocem eius (quod ait Plato) decennio non audirent. Nam qui ingenio eo sunt, vt optimarum in repub. principatui studeant, ij pauca in gratiam multitudinis agunt dicúntq;: ideo cum corruptos & peruersos ciues corrigere vehementiùs contendunt, perinde molesti iis sunt, vt medicorum vincula corpori, quibus luxatos artus in suam redigunt sedem. Itaq; eo crimine vtrunque absoluamus. Enimuero longè progressus est armis Lucullus, qui & primus

*Victoria.*

*Res imperfectæ.*

Roma-

Romanorum cum exercitu Taurum montem transiit, & Tigrim, qui regias Asiæ ciuitates in ipso regum conspectu cepit & incendit, Tigranocerta, inquam, Cabira, Sinopen, & Nisibin, qui boreales reges vsq; ad Phasin fluuium, orientales Media tenus, Australes & rubrum mare Arabicorum regum opera subiugauit: qui vires regum attriuit, ac tantũ non ipsos manu cepit, ferarum instar in syluas inuias solitudinesq; inaccessas elapsos. Magnum argumentum est, lõge priorem hac in parte Lucullũ Cimone fuisse, quod Persę nulla magna clade ab hoc affecti, statim arma cõtra Grecos tulerunt, magnamq; Græci exercitus partem in Ægypto victam deleuerunt. Tigranes & Mithridates post Lucullum nihil quicquam egerunt. Hic enim attritus viribus, certaminibusq; prioribus fractus, ne semel quidem exercitum extra castra in conspectum producere ausus fuit, sed in Bosphorum fugit, atq; ibi vitam finiuit. Tigranes nudum se & inermem ad Pompeij pedes proiecit, eodemq; diadema capiti suo detractum deposuit: nõ suis iam rebus, sed iis de quibus triumphauerat Lucullus, fauorem quærens. Satis quidem habuit, insignia regni recipere, fassus prius ea amisisse. Itaq; vt athleta, sic & dux præstantior is habendus est, qui successori aduersarium infirmiorem tradit. Præterea Cimon Persas, quorum à Themistocle, Pausania, & Leotychida magnis cladibus affectorum, perpetuisq; fugis iactatorum & vires fractæ erant, & collapsi animi, adortus, facile corpora vicit, cum animi iam ante concidissent. Lucullus integrum, & multis victoriis superbum aggressus est. Numerus verò eorum quos Cimon vicit, non est dignus qui cum ea multitudine comparetur, quæ contra Lucullũ conuenerat. Inde efficitur, vt omnibus his collectis, sententiam de hac contentione ferre sit perdifficile: quando & Deos vtriq; videmus propicios fuisse, & alteri quæ res gerendæ alteri quid vitandum esset prædixisse. itaq; & numinum suffragiis constat bonum diuiniq; ingenij vtrunque fuisse.

## IN LVCVLLVM ANNOTATA AB INTERPRETE.

*QVæ sequuntur in hoc opere Romanorum vitæ, ad idem propè tempus pertinent. Nam Gracchis exceptis, qui*

*Lucullum ac cæteros, & ipsum etiã Syllam non ita multum ætate antecesserunt, reliqui oẽs Syllã statim subsecuti sunt. eoq́ ferè ordine quo eorũ vitæ hîc exponuntur, claruerunt, bello cùm Mithridatico, tum ciuili Põpeiano, & quæ id subsecuta sunt, nobiles. vt non opus habeam de eorum porro æqualibus aut ætate plura annotare: cùm nihil ista tempestate sit in historia Romana celebratius, atq́ notius.*

1 De publico crimine accusaret.] *Ita prope ad verbum est in Græco. Quod aũt hîc ἀδικεῖν δημοσίᾳ dicitur, Iustinianus peculatum in specie expreßit, idq́ Amiotus etiam habet (in Pompeio aliter describitur peculatus: diserte enim dicitur, κλοπὴ δημοσίων χρημάτων) ego malui relinquere in genere. nihil enim mihi constat de eo crimine, quod à Lucullo intẽtatũ Seruilio sit. Cic. in Acad. quæst. editionis prioris lib. 2. qui Lucullus inscribitur, mentionẽ huius rei facit: sed neq́ reum, neq́ crimẽ nominat. in oratione aũt de Prouincijs consularibus inimicitias Seruiliorum & Lucullorũ grauißimas commemorat. Quod de accusationibus hîc dicitur, idem lib. 1. Offic. copiose explicat.*

2 Thynnus velut.] Θύνος βολαῖος πέλαγος ὡς διεστρόβει. *Iustinian. male*, thynnus irretitus. *Senarius est iambicus, nescio vnde depromptus. Thynnus piscis dictus est παρὰ τὸ θύω, τὸ θύω, ὃ ἐστὶν ὁρμῶ, à dando impetu, & motus vehementia nam sub ortum Canis œstro agitatur. Multa de eo ex Aristotele & alijs habet Athenæus libr. 7. haud pauca Eustathius in ξ. Iliad & μ. ac χ. Odyss. qui quidem etymologiam istam confirmant.* βολαῖος *non irretitum, sed incitatum siue impetuosum significat,* παρὰ τὸ βολὴ *iactus. teste eodem Eusthatio.* στροβεῖν *satis notum est vocabulum. Sensus itaq́ est quemadmodum thynnus œstro suo incitatus per mare se cum impetu fert, idq́ conturbat: ita consueuisse suis orationibus forum Romanum oratores cæteros concitare. Id quoq́ quod statim infert,* αὖος ἀμουσίᾳ τεθνηκὼς,

*ex a-*

*ex aliquo poeta puto esse desumptum, & ni fallor, etiam alibi legitur sed non succurrit.*

3 Græcis myoparonibus.] *Annotator margini alleuerat, nauigij esse genus: idq; ex Suida. quasi verò id nõ vnus quilibet statim potuisset intelligere. Nauigiũ fuisse piraticũ, vel ex Cicer. constat, qui in Verrinis ei piratici adiectiuũ adiungit, vt & paulo infra* λησεικὸν μυοπάρωνα *dicit Plutarchus: & lib. 3. de Repub. quem locũ, & alium Sallustianum, citat Nonius Marcellus. Sex. Pompeius ait, nauigium esse ex duobus dissimilibus formatum, midio & parone. Ego quidẽ vtrunq; esse nauigij genus scio, & vtriusq; eo nomine mentionem facit Gell. lib. 10. cap. 25. vt verò myoparon inde componatur, vel vox, vel nauigium, non intelligo.*

4 Amium ducemq;.] *L. Valerium Flaccum consulem. vide Epit. Liuian. 82. & paulo pòst ipsum Plutarch.*

5 Deinde Neoptolemum.] *Interpres hunc locũ peruertit, & aliò transtulit, quæ perspicue ad Neoptolemum pertinent.* κατιδὼν *autem* negligens *transtulit, negligens ipse. Est enim* κατιδεῖν *non despicere, sed conspicere aliquid. Lectum promontorium est, Æolidem à Troade distinguens. Plinius 5. 30. & alij.*

6 Propugnandum pro Bithynia.] προπολεμήσων τῆς Βιθυνίας. *Iustinia.* debellandam Bithyniam. *quod si legisset* προπολεμήσων, *tamen constructio eum poterat monere, id verum non esse. hoc enim verbũ cum dativo construi, notissimum vel ex nostro autore est: cum hic patrius sit casus. Ne dicam notum esse ex historia, Bithyniam tunc fuisse Romanorum. Paulo pòst Fimbrianos milites affectasse imperium dixit: quod neq; verba Plutarchi habent, & falsum est. Sed persequi omnia id genus σφάλματα, aut etiam pleraq; nimis est longum.*

7 Mario tamen, quem Sertorius.] *In vita Sertorij à nostro hic M. Marius appellatur. Et quidem etiam alij*

*Marij præter magnum illum, ac* VII. *consulatibus insignī Marium, Romanis fuerunt, vt Gratidiani. Sertorius autem cùm à partibus Marij steterit, verisimile est eum istos secum inter alios habuisse, quos proscripserat Sylla. Apud Appianū in Mithridatico legitur M. Varius.*

8 Et ad extremum addicti.] αὐτοῖς δὲ τέλος μὲν ἦν προσθέτοις γενομένοις δουλεύειν. *Iustinian. malè*, Tributi vice impositum erat illis. *quasi* τέλος *hîc non sit aduerbij loco positum, & postremum significet. Quidam in Lexico Græco ex his verbis (citat enim locum) colligit ac docet,* πρόσθετος *aliquando esse, id quod Latinis creditor. id & innumera alia, magnam temeritatem imperitiamq́ hominū arguit. Est autem similis dictio, ac cum dicitur,* συνέβη αὐτῷ αἰχμαλωτῷ γίνεσθαι, *accidit ei vt in bello caperetur, & similia: quorum ratio in Grammaticis exponitur.* πρόσθετος *autem nihil est minus quam creditor. eum autem significat, qui ære alieno obligatus, cùm soluendo non sit, creditori addicitur (* προστίθεται *) & in seruitutem ei deditur. Latini addictum appellant: & ipsa res, addicere. Quod multis locis Ciceronis, & Liuij præsertim lib. 2. & 6. demonstrare possem, si res adeo esset obscura. nam & hoc notum est, inde factum, vt qui summo studio & opera aliquem colunt, eive inseruiunt, eos addictos appellemus illi. Hoc modo, & simili origine ac ratione, autor noster de Antonio Cleopatræ dedito, & quasi mancipato dicit,* ὁ δὲ οὕτως ἄρα ἦν προσθήκη τῆς γυναικὸς, *&c. Antonius verò adeo Cleopatræ addictus erat, vt &c. Asseclam in Lexico, & comitem ineptè verterunt.*

πρόσθετος, προσθήκη.

ἦθος. 9 Consueto viuendi loco.] ἐκίνησεν ἐξ ἠθῶν, Ex Ethis amouit, *interpres.* ἦθος *non modo significat morem, ingenium, indolem, & similia: sed & locum eum, in quo aliquis vitam degere consueuit. sicut Arabes illi in suis tabernaculis, & Scythæ* ἁμαξόβιοι *in suis plaustris, Troglodytæ in*

*cauer-*

*cauernis, &c. Vtrunque* παρὰ τὸ ἔθω *est, &* τὸ ἔθος. *Sic & Herodot. lib. 1. vsurpauit:* κιμμερίοι ἐξ ἠθέων ὑπὸ σκυθέων τῶν νομάδων ἀναστάντες. *& alij. Atque etiam Homer. Iliad. ζ. sub finem.*

ῥίμφα ἑ γοῦνα φέρει μετά τ' ἤθεα, καὶ νόμον ἵππων, *de equo à præsepi liberato. & Odyss. ξ. de suum stabulis:*

τὰς μὲν ἄρα ἔρξαν κατὰ ἤθεα κοιμηθῆναι.

10 Tribunorum plebis L. Quinctius.] ἕνα τῶν στρατηγῶν λ. κόϊντον. στρατηγὸς *crebrò ponitur pro eo quod Latinis est prætor. Sed hoc loco arbitror generalius sumptum, ac ēt tribuno plebis attributum. Nihil enim hæc ad prætores: & quidem non modò hîc dicitur tribunos plebis Romæ Lucullū traduxisse, sed & Sallust. lib. 5. (citatur locus à Prisciano) lege Gabinia ait successorem Lucullo missum μ' Aciliū Glabrionem consulem. fuisse autem tribunum pl. Gabinium, ex Dione & alijs cōstat. Similis locus est in Cicerone de Roscio, qui gradus equitum in theatro distinxit, M.* ὄθων στρατηγῶν: *cùm fuisse tribunum plebis ex Liuij libr. 99. & multis alijs sit notißimum autoribus. In Græco hîc cùm essent duo prænomina, ex altero nomen feci: tametsi fateor, nihil mihi de L. hoc Quinctio constare.* στρατηγὸς.

11 Horatius.] *lib. 1. epist. ad Numicium.*

12 Vectium quendam.] βρέττιον. *inde Iustinianus Brutium. est autē L. Vectius, de cuius à P. Clodio ad hoc subornati indicio Cic. sæpe, præsertim in Vatinium, pro Sestio, & lib. 2. ad Atticum. Appianus lib. 2. Dio lib. 38. cap. 3.*

13 Cornelius Nepos.] *Amatorio veneno perijsse Lucullum, testatur etiam Plinius lib. 25. cap. 3.*

IN COMPARATIONEM.

1 Plato Orpheum.] *Locus est valdè elegans lib. de Repub. 2. vbi Hesiodi etiam, Homeri, Musæiq; de felicitate defunctorum nugæ refelluntur. alterum Platonis dictum de exostracismo Cimonis, est in Gorgia.*

## PLVTARCHI NICIAS, GVILIELmo Xylandro, Augustano, interprete.

CVM Niciæ Crassum, Siculisq; cladibus Parthicas haud absurde comparaturus videar, primo loco monendum orandumque mihi lectorem censui, ne in earum rerum expositione, in quibus narrandis Thucydides affectus mouendo, grauitate, varietateq; fuit longe seipso superior, ne dum imitatione eum aliquis æquare vt posset, idem mihi quod Timæo vsu- *Timæi inepta.* uenisse arbitretur. Is enim cum speraret se & grauitatis laudem Thucydidi præreptarum, & ostensurum quam rudis & plane plebeius scriptor esset Philistus, in historia se per media illa certamina, & naualia prœlia, & conciones, quas isti præcipue res summa cum laude descripserant, ingerit, vt nõ pedes Lydium (quod ait Pindarus) currum sequi, sed puer plane, & qui optimum neglexisset discendi tempus, videatur, crassusq; secundum Diphilum, & adipe Siculo inquinatus. Sæpe ad Xenarchum delabitur: vt cum dicit omen Athenienſibus factum fuisse, quod Nicias dux, cui à victoria nomen est, imperium recusauerit: item quod mutilatis Hermis, id est Mercurij statuis, portentum fuerit, plurima illos damna eo in bello ab Hermocrate Hermonis F. accepturos: item verisimile esse, Herculem Syracusanis auxiliũ tulisse in gratiam Proserpinæ, quæ ei Cerberum tradiderit: Athenienſibus autem succensuisse, quod Ægestæis Troianorum posteris salutem attulerint, cum ipse a Laomedonte iniuria affectus Troiam euertisset. Verùm eodem studio, vt opinor, ille ductus & hæc scripsit, & dictionem Philisti correxit, & Aristoteli Platonique conuicia fecit. Mihi quidem plane sordidum rhetorculorumq; proprium videtur de dictione aliis obtrectare aut contendere: stupidi aũt hominis, velle cum iis certare, quos imitando assequi nõ possis. Ergo quas Niciæ actiones Thucydides & Philistus memoriæ mandarunt, quandoquidem omittere non licet, eas potissimum paucis perstringam pro instituti mei necessitate, quę ingenium eius naturamq; multis & magnis calamitatibus occultatam continent: ne negligentiæ ignauiæque crimine me onerem. Præterea si quæ plerisq; ignota sunt, ea aut ex aliorum, apud quos sparsim extant, libris, aut ex donariis

nariis antiquiſve decretis colligere conabor: non vt inutilem hiſtoriam, ſed quæ ad mores ingeniumque viri perſpiciendum faciat, proponam. De Niciaid primo poteſt dici loco, quod Ariſtoteles ſcripſit: tres fuiſſe optimos ciues, ac qui paterno amore & beneuolentia ciues ſuos amplecterẽtur, Niciam Nicerati, Thucydidem Mileſij, Theramenem Agnonis filium. quanquam hic quidem minorem reliquis laudem meretur, quod & in Ceo ignobilitas ei, & quod peregrinus eſſet, obiecta eſt, & ob inconſtantiam iudicij volubilitatemq; Cothurni cognomentum eſt adeptus. Thucydides ætate Niciam anteceſſit. Pericliq; in gratiam populi plurima agenti partes optimatium ipſe defendens frequenter in repub. reſtitit. Nicias minor natu, viuente tamẽ adhuc Pericle alicuius fuit exiſtimationis: nam & huic in prætura collega fuit, & ipſe ſolus non vnum geſſit magiſtratum. Pericle mortuo, ſtatim ad principatum euectus eſt, potiſſimum à diuitibus & nobilibus, qui eum Cleonis improbitati oppoſitum, audaciæque volebant: habebat tamen & populum ſui ſtudioſum. Nam Cleon plurimum potentiæ ſibi parauerat ſenum cauſam agendo, de nouo ſtipendia faciendi poteſtatem eis concedens: & tamen auariciam eius, impudentiamq; & audaciam multi eorum, quorum gratiam captabat, videntes, ad Niciam ſe conferebant. Erat enim huius grauitas non ſeuera aut importuna nimium, ſed eam cautionem adhibebat, vt ipſius etiam timiditatis opinione multitudinis animos ſibi cõciliaret. Quippe natura puſillanimus, in re bellica proſpero ſucceſſu metũ occultabat: nam rem plerunq; bene gerebat. At in repu. omnem ad ſtrepitum pertimeſcendo, calumniatoreſq; formidando, cum popularis habitus eſt, tũ benenolentia populi magnã ex eo conſecutus potentiã. Solet enim is ſublimes metuere, ideoq; abiectos extollere: & nõ contemni ſe à potẽtioribus, vulgus ſummi honoris loco habet. Et Pericles quidem vera virtute, eloquentiaq; fretus, non erat quod aliam perſonam indueret, fidemve ſibi arte aliqua apud plebem faceret, in reip. adminiſtratione verſans. At Nicias iſtis rebus deſtitutus, diuitiis autem præſtans, his ipſis in plebe ſibi obſtringenda vſus eſt: Athenienſeſque facilitate & ſcurrilitate Cleonis delinitos, cum iiſdem rebus allicere nõ poſſet, liberalitate & gymnaſiorum exornatione ſuos

*Æquales Nicia.*

*Cleon homo malus.*

*Ingenium Nicia.*

*Liberalitas.*

fecit: eoq; sumptuum genere & superioris, & suæ ætatis oēs superauit. Nostro quoq; tempore eius adhuc donaria quædam extant, Palladium in arce, cui quidem aurum, quo inductum fuit, defluxit: & ædes, in Bacchi templo tripodibus qui ad edenda spectacula vsurpantur, subiecta. Et sæpe quidem vicit liberalitate sua reliquos in edendis spectaculis, inferior nunquam discessit. Quibusdam (vt traditum est) ludis seruus eius personam Liberi patris gerens productus est, pulcritudine & magnitudine corporis præcipua, imberbisque etiamnum: cuius aspectu se delectatos cùm diutur-
no plausu Athenienses significassent, assurrexit Nicias, Deoq; dedicatum corpus seruire nefas se putare inquiens, adolescentem manumisit. Memoriæ prodita sunt etiam alia splendida eius, & pia Deli edita facinoca. Chori, qui ad canenda in honorem Apollinis carmina in eam insulam mitti à ciuitatibus solebant, simul atque appulissent, à populo qui ad nauim concurrebat, statim canere cogebantur: id quod nullo ordine aut decore fiebat, cùm raptim inter exscendendum & coronarentur & vestem mutarent. Id vt caueret Nicias, cùm dux chori esset eò missus, ad Rhenā cum choro appulit: & per noctem ponte, quem Athenis confectum auro, & tincturis, coronis, aulæisq; exornatum pulcerrime secum aduexerat, Rhenam Delo (vt fretum haud spacioſum interiacet) coniunxit: ortaq; luce per eum pompam, chorumq; precioſe ornatum & canentem duxit. Sacrificio, certaminibus, epulisq; confectis palmam ęream Apollini dedicauit: agrumq; centum minis emptum eidem consecrauit, cuius reditus in sacrificium & solenne conuiuium Delij insumerent, Niciæ multa à Diis bona precantes. Sic enim in columna, quam eius doni quasi custodem in insula reliquit, inscriptum fuit. Palma, quam dixi, vento fracta, in magnam Naxiorum statuam incidit, eamq; subuertit. In his multum ineſſe splendoris, liberalitatisq; ad ostentationem compositæ, nemo non videt. Verùm qui ex moribus & ingenio eius coniecturam facere velit, is religionis quasi appendicem fuisse istam liberalitatem donaq; in gratiam populi collata dicet. Fuit enim homo superstitiosissimus, vt Thucydides de eo affirmat. In quodam Pasiphontis dialogo scriptum est, quotidie eum Diis sacrificasse, aruspicem secum habuisse, & cùm simularet se adsiduo

*Superstitiosus.*

adsiduo de publicis reb. consultare, plerunq; de suis reb. quę siuisse, potissimum de fecturis argentariis. In Laureotico enim agro eas habebat, multosq; & amplos ex iis reditus, sed qui non sine periculo pararentur, & magnus mancipiorum numerus ibi esset alendus. Pleraſque autem suas opes in argento habebat, multosq; circumse, postulantes munera, & auferentes: non pauciora enim iis qui lædere ipsum possent, quam qui beneficio digni essent, largiebatur: omninoq; timiditas eius malis, bonis humanitas pro reditu erat. Licet huius rei à Comicis sumere testimonia. Telecli- *Timiditas*
des in quendam sycophantam hæc scripsit:

*Charicles minam illi non dedit, ne diceret esse eum*
*Matris filium primum, pecunia emptum scilicet.*
*Quattuor minas dedit sed illi Nicias tamen:*
*Quamlibet causam scio, tamen indicare non volo,*
*Nicias enim amicus est, & arbitror bonum virum.*

Et alius in Marica ab Eupolide exagitatus, pauperem quendam & ociosum producens, ita quærit:

*P. Cum Nicia tibi res quandiu fuit?*
*R. Ne vidi eum quidem, nisi nuper in foro.*
*P. Visum fatetur à sese is homo Niciam:*
*Qui nosset autem? nt tunc illi prodidit:*
*Audisti is æquales mei.*
*Depransum in ipsa re teneri Niciam.*
*R. Sicne ergo vecordes virum vos optimum*
*Facinoris inueneritis vt mali reum?*

At Cleon apud Aristophanem, ita minatur:

*Rhetoribus ora comprimam, perturbaboq; Niciam.*

Phrynichus etiam quam fuerit timidus & abiecti animi Nicias, his verbis significat:

*Ciuis quidem fuit (noui) satis bonus:*
*Nec pauidus incessit, trepidansq; vt Nicias.*

Itaque qui tantopere calumniatores formidaret, neque cœnare cum vllo ciuium, neque in colloquia & quotidianas consuetudines se ingerere, neq; cuiquam id generis oblectationi vacare: magistratum gerens, in prætorio vsq; ad noctem permanere: primus in Senatum venire, postremus discedere: vbi nihil in publico agendum esset, domi se continere, neminem ad se admittere. Eos qui limina Niciæ adibant, amici eius compellabant, ignoscerentq; Niciæ orabant,

bant, tum quoque publicis occupationibus detento. Qui maxime Niciam in ea sibi gloria & maiestate comparanda augendaque adiuuaret, Hiero fuit enutritus in familia eius, ab eoq; in litteris & Musica institutus: filium se credi vo lebat esse Dionysij eius, qui Aerei cognomentum habuit, cuius & carmina extant, & dux coloniæ in Italiam missæ cõ stitutus, Thurios condidit. Is Hiero & arcana ista Niciæ cũ vatib. cõmercia cõposuit, & rumore apud populum sparsit quam ille vitam boni publici causa toleraret, quippe quine balneo quidem aut cœna tractationem publicorum negotiorum intermitteret: qui de ciuitatis commodis solicitus, suas res negligeret, vix circa primam vigiliam somno se daret: quib. reb. & corpus suum afflixisset, & amicis se comem iucundumq; præbere nõ posset: quos vnà cum pecunia sua studio reip. amisisset: cum reliqui amicos pararent, eosq; ex publico ditarent, voluptatibusq; perfruentes rempub. quasi periocum haberent. Et erat sane is vitæ status Niciæ, vt de se illud Agamemnonis dicere potuisset.

*Hiero Niciæus.*

*Nos nempe maiestate, & imperio modo*
*Populo sumus priores, serui cætera.*

Cũ animaduerteret autem eloquentia & sapientia qui præstarent ciues, eorum virtutibus populum vti aliquando, vitare autem, suspectamq; habere potentiam, fastumq; reprimere & gloriam, (quod Pericles damnatus, Damon ostracismo iectus, & aduersus Antiphontem Rhamnusium diffidẽtia vulgi, ac præsertim in Pachetem, qui Lesbum cum cepisset, iussus rationem gestæ rei in iudicio reddere stricto gladio sese interfecerat, satis demonstrabant) laboriosas & exiguas istas præturas omni studio subterfugit: ipse quoties rei gerendæ esset præfectus, tutissima cõsectans, quoties (vt fere ei contigit) feliciter propositum confecisset, inuidiam gloriæ vitans, nõ suæ sapiẽtiæ, potentiæ, aut virtuti, sed fortunæ exitum acceptum retulit. Testimoniũ ei res ipsæ perhibuerunt. Cum enim & sæpe & grauiter tum Athenienses offendissent, nunquam plane ipsi accepti detrimẽti ne pars quidem imputari potuit. Victi sunt in Thracia à Chalcidensib. Calliade & Xenophonte ducib. ab Aetolis, Demosthene: apud Delium Hippocrate duce mille viros amiserunt: pestis causam Pericles potissimum sustinuit, qui agrestem turbam in vrbem belli causa conclusisset, quæ mutatio locorum

eorum & vitæ insolēs luem excitauerit. Horum nihil Niciæ adscribi potuit. Verum dux ipse Cythera cepit, insulam opportune contra Laconicam regionem positam, & a Laconibus habitatam: multa etiam in Thracia, quæ defecerant, recepit, multa Athenienſibus adiecit: Megarenſibus in vrbem a ſe compulſis, ſtatim Minoam inſulam, mox ex hac armis elatis Niſæam occupauit: in agrum Corinthium facta impreſſione, prælio Corinthios vicit, multosque eorum & ducem Lycophronem occidit: ibi duos de ſuis mortuos cum reliquiſſet, qui in auferendis cadaueribus latuerant, re cognita ſtatim profectionem inhibuit, miſſoque caduceatore ab hoſtibus cadauera repetiit. Equidem ſeu lege, ſeu conſuetudine receptum erat, vt qui reddi ſuorum cadauera ſibi poſcerent, ij victoriam diffiteri viderentur, & trophæum eos ſtatuere nefas haberetur: viciſſe enim eos a quibus peteretur, quod qui petit, videtur iniuſſu accipere nequire. Maluit tamen victoriæ gloriam dimittere, quam duos ciues inſepultos relinquere. Populatus oram Laconicæ maritimam, fuſis qui ſe oppoſuerant Spartanis, Thyream cepit, Aeginetasque, qui tum tenebant, quos cepiſſet, viuos Athenas abduxit. Poſteaquam Demoſthene Pylum muris muniente, claſſem terreſtremque exercitum eo admouerunt Peloponneſij, facto conflictu, in Sphacteria inſula circiter trecenti Spartani relicti ſunt. Hos capere cum rem, vt erat, magnā putarent Athenienſes, obſidio autem difficilis tardaque videretur, quæ in loco aqua deſtituto æſtiuo tempore longam & ſumptuoſam commeatum ſubuectionem requireret, hyeme autem ea periculoſa & plane impedita futura eſſet: grauiter tulerunt, pœnituitque non admiſiſſe legationem Spartanorum de pace & fœdere miſſam: cuius præſertim rei autor fuerat Cleon repugnante Nicia. Cleon enim Niciæ inimicus, cum eum impē ſius cupere Lacedæmoniis videret, populo perſuaſit vt decreto facto pacificationem prohiberet. Itaq; tracta obſidione Athenienſes cum ſummis in difficultatib. conſtitutum exercitum audirent, Cleoni irascebātur. Qui cum in Niciam culpā cōferret, quaſi is timiditate ac mollicie ſua ne hoſtes expugnarentur obſtaret, qui ſe duce haud tam diu fuiſſent Athenienſium vires euaſuri: in mentē venit ciuib. dicere, Cur ergo non ipſe ad id bellum iret? Niciasque in concione

*Res à Niciageſtæ.*

*Pylū Cleon capit.*

cione

cione surgens, imperium ei belli Pylij, potestatemque quãtas vellet copias eo ducendi concessit, iubens non verbis vti ferocib. extra periculum, sed facinus memorabile in vsum reip. edere. Primum tergiuersatus est Cleon, improuiso id iussus: acclamantibus tamen Athenien sibus, & Nicia increpante, ambitione exuscitata & inflammato animo, imperium occepit, pollicitusq; simul est, se intra vigesimũ quam nauigasset diem aut occisurum Spartanos qui in Pylo erãt, aut viuos Athenas perducturum. Sane ridere magis quam credere Athenien sib. subiit, alioquin etiam futilitatem eius & væcordiam delectationi & risui habere solitis. Etenim ferunt aliquando concione coacta eum cum à populo diuesset multumque expectatus, tandem aduenisse coronatum, petiisseq; vt res in crastinum differretur: se enim sacrificasse Diis, hospitibusq; conuiuio parando occupatum esse: atq; ita populum risu sublato discessisse. Enimuero tum fortuna vsus secunda, laudeq; post Demosthenem belli gesti clarissima parta, intra eum quem constituerat diem Lacedæmonios omnes, nisi qui in prælio occubuerant, cum arma vltro tradidissent, Athenas adduxit. Id factum magnam Niciæ infamiam conciliauit. Nõ enim clypeum abiecisse, sed turpius aliquid deteriusq; videbatur egisse, qui præ timiditate vltro se imperio abdicasset, inimicoq; rei tam præclare gerendæ occasionem prodidisset. Quo eum nomine tursum exagitat Aristophanes in Auibus:

*Non oscitare nunc profecto conuenit,*
*Diuve cunctari nos more Niciæ.*

Et in Rusticis.

*R. Agrum volo colere. N. Quis ergo te vetat?*
*R. Vos. Mille sed vobis dabo lubens drachmas,*
*Me libereris vt magistratu. N. Placet:*
*Bis mille erunt, quas Nicias dedit additis.*

*Cleonis protervitas.*

Equidem ciuitati haud exiguum damnum dedit, quod Cleoni passus est tantum gloriæ potentiæque accedere, quib. ille ad audaciam fastumque elatus effrænem, multorum malorum, quæ in ipsum quoq; Niciam redundarunt, causa Athenien sibus fuit: atque idem sublato tribunalis decore, primus inter dicendum exclamare, vestem reducere, femur percutere, currere inter differendum cœpit: vnde primum apud eos qui in rep. versabantur leuitas, neglectusque decori, quæ

ri, quæ duo omnibus rebus confusionem intulerunt, exorta sunt. Iam tum Alcibiades quoque ad orandum, & rempub. tractandam se contulerat, non vsquequaq; ille incontinens. Vt enim Aegyptus dicitur ob fertilitatem

*Multa venena, & multa salubria ferre medendo:*

sic Alcibiadis in vtranque partem locuples ingenium multas nouis rebus magnisq; mutationib. occasiones præbuit. Quæ causa fuit, vt Nicias ne liberatus quidem Cleonis importunitate ciuitatem componere & ad tranquillitatem reducere potuerit: sed cum res ad salutarem viam retraxisset, cœpto suo excidit, vehemente Alcibiadis ambitionis impetu rursum ad bellum compulsus. Res ita acta est. Qui maxime pacem Græciæ impediebant, Cleō erat & Brasidas, quorum alterius maliciam bellum occultabat, alterius virtutem exornabat, alteri magnorum flagitiorum, alteri præclarorum facinorum materiam suppeditabat. Hi cum vno eodemq; in prœlio iuxta Amphipolin periissent, Nicias cō tinuo Spartanos nactus iampridem pacis cupidos, Atheniensesq; etiam bello iam diffidentes, vtrosq; quasi fatigatos iam, & manus ab armis detrahētes: id agere instituit, vt reconciliata ciuitatum gratia, depulsisq; tot à Græcia malis, & reducta quiete, certam consecuturis temporib. felicitatē stabiliret. Qua in re sibi diuites, & seniores, rusticamq; multitudinē statim obsequentem habuit: reliquorum multos cum priuatim cōpellasset, docendoq; vt minus iā minusq; bellum vellent effecisset, Spartanos bona spe ostensa cohortatus est, vt paci studerent. Fidem ei Spartani habuerunt, cū ob notam eius probitatem, tum quod apud Pylum captos & in vincula coniectos humaniter curando, calamitatem eorum leniisset. Iam ante induciæ fuerant in annum factæ, in quibus cum conuenirent inter se, rursumq; securitatem, ocium, hospitia, & cum amicis commercia degustassent, cupiditas eos vitæ nullo bello inquinatæ incesserat. Libenter audiebant choros, qui id genus carmina canerent,

*Pilum iaceat mihi, dum circundet aranea filum:*

suauiter etiam recordabantur eius dicti, Eos qui in pace dormiunt, non tubis, sed à gallis excitari. Conuicia itaque facientes iis, qui in fatis esse dixerant, vti hoc bellum per nouem triēnia traheretur, communicatis toto de negocio sermonibus, pacem constituerunt. Fuit hæc apud plerosq; opinio,

7 *Alcibiades fax belli.*

*Pacificatio Nicia.*

opinio, liberatos tandem magnis malis Græcos: eratque ei in ore omnium Nicias, quem Dijs charum hominem iudicabant, diuinaq; fortuna nomen præstantissimo bono vicinum nactum. Vere enim statuebant pacis eius autoré Niciam, vti belli Periclem: quorum hic ob leues causas in maximas calamitates Græciam coniecisset, ille reducta amicitia finem grauissimis malis imposuisset. Itaq; pacem eâ hodieq; Niciam vocant. Facta pace hac cum conditione, vt vrbes oppidaq; & homines capti mutuo redderentur, priores que id quibus obtulisset sors facerent, clam sortes pecuniis Nicias corrupit, ita vt priores Lacedæmonij redderent. autor est Theophrastus. Corinthiis & Bœotis indigne ea quæ agebantur ferentibus, ita vt causando reprehendendoque renouare bellum viderentur: suasit Nicias Atheniensibus & Lacedæmoniis vt paci sociale fœdus tanquam vinculum & firmamentum adderent, quo maiori terrori esse deficienti b. ipsiq; mutuo fideliores possent: idq; vt ita fieret obtinuit. At Alcibiades, vt erat natura à quiete alienus, insuper Lacedæmoniis infensus, à quibus coli Niciã, se sperni videbat, ab initio statim, tametsi frustra, pacem impugnauerat. Paulo post animaduertens Lacedæmonios Atheniensibus displicere, iniuria affectos se putantibus quod ij cum Bœotis societatem cõiunxissent, Panactum non euersam, Amphipolimq; non reddidissent: causas has arripuit, singulisq; exaggerandis populi animos irritauit: tãdem accitis legatis Argiuorum, cum iis de fœdere ineundo egit. Posteaquam vero legati a Sparta plena cum potestate missi Athenas peruenerunt, collocutique cum senatu, visi sunt nihil iniquum agere: ibi vero metuens, ne populum iisdem illi rationibus in ipsorum partem traherent, fraude eos circumuenit, iuramento confirmans, se in omnib. quæ proposita haberent conficiendis auxilio ipsis futurum, sineque ostenderet, neque fatererentur se cum plena potestate adesse: atq; hac maxime ratione impetraturos quę cuperent. Cum persuasisset, iique à Nicia ad ipsum transiuissent, ad populum eos produxit, primoque omnium ex iis quæsiuit, cum plenane de omnibus rebus potestate missi veniissent: id vbi negauerunt, inopinantibus iis alium se præbuit, ac senatum eorum quæ ij dixerant antè testem vocauit, populumque monuit, ne fidem haberent hominibus tam aperte mẽtienti-

*Alcibiades pacem perfidè irritã facit.*

tientibus, & modo hoc, modo diuersum eadem de re dicentibus. Perturbatis, vti par erat, legatis, & Nicia, qui nihil quod diceret habebat, dolore miraculoq; rei perculso, populus statim Argiuos vocare, & fœdus icere contendit: Niciam terræmotus, qui subito existens concionem soluit, adiuuit. Postridie populo rursum coeunte, omni conatu vix tandem impetrauit vt fœdus illud differretur, ipse legatus Spartam mitteretur, pollicitus omnia se probe compositurum. Eo cum venisset, habitus quidem in honore est, vt virorum bonum & Spartanæ reipub. bene cupientem dignum erat: re tamen infecta, quod ij qui ad Bœotos inclinabant, præualuerant, domum rediit, non modo male audiens, sed & ciues metuens, offensos sibi ac iratos, quod ipsius suasu tot tantosq; viros reddidissent: qui enim Pylo adducti fuerant, ex principibus Spartæ familiis erant, potentissimosq; in rep. habebant cognatos atq; amicos. Nihil tamen obeam iram populus in eum grauius statuit: nisi quod Alcibiadem prætorem creauerunt, Mantinensesque & Eleos, cum ij à Lacedæmoniis desciuissent, cum Argiuis in societatem acceperunt, prædonesq; Pylum miserunt, qui fines Laconicos infestarent. Hæc noui belli causam præbuerunt. Vigente maxime inter Niciam & Alcibiadem discordia, proposito ostracismo (quod fieri solebat à populo statis temporibus, suspectum aliquem, aut gloriæ opumve nomine inuisum exilio decennali mulctandi causa) in magno vterq; tumultu & periculo versatus est, cum haud dubie alteruter eã calamitatem subiturus videretur. Nam Alcibiadis vitam vulgo abominabantur, audaciamq; pertimescebant, vti in eius vita copiosius ostendimus: Niciam & diuitiæ, & vitæ præsertim ratio non facilis illa, neque popularis, sed solitaria, & aliorum de contemptu suspecta, eoque à vulgari alienа, tum quod sæpe inuitus publicæque vtilitatis rationibus compulsus cupiditatibus plebis restitisset, exosum reddiderant. vtque vno verbo dicam, iuuenes belliq; cupidi contra pacis studiosos & seniores de eo vter esset eiiciendus contendebant. Enimuero

*Pessimus est vt honorem è seditione reportet:*

quando tunc quoque in diuersas partes abiens populus locum fraudulentissimis perfrictissimæque frontis hominibus dedit. Erat inter hos Hyperbolus Perithœdes, nulla ad

auda-

*Hyperbolus ostracismo eiicitur*

audaciam à potentia, sed ad hanc ab illa progressus, & qui ob gloriam qua in vrbe erat, vrbis esset infamia. Is eo tum tempore tutissimũ sese ab ostracismo ratus, quippe qui carcere se, & compedibus digniorem sciret, sperans alterutro horum eiecto, sibi alterum aduersarium fore, haud obscuram læticiam, quam ex eorum dissensione ceperat, ferebat, contraq; vtrunq; populum instigabat. Itaq; Nicias & Alcibiades eius malicia cognita clã inter se collocuti, factiones inter se conciliatas in vnũ corpus redegerunt, eoq; effecerunt, vt neuter ipsorum, sed Hyperbolus ostracismo pelleretur. Quod vt initio risum populo iocosq; mouit, ita postea pessime eos habuit, contumeliam arbitrantes, quod dignitatem supplicij tam impuro homini irrogati imminuissent. Quippe Thucydidi & Aristidi, eorumq; similibus hoc modo iniunctum exilium, pro supplicio, & quidem graui esse, facereq; ad eorum reprimendam potentiam: at Hyperbolo honori id esse, eoque impudentiam ipsius auctum iri, quod eadem cum præstantissimis viris pœna diguatus esset. Quam in sententiam Plato Comicus de eo scripsit:

*Passus quidem est suis bene digna moribus,*
*Sed se, suis indignaq; stigmatibus tulit:*
*Non est enim propter ea inuentus ostracus.*

Itaq; vltimus omnium Hyperbolus ea pœna, neq; post eũ quisque alius affectus est: primus omnium ita punitus fuit Hipparchus Cholargensis, tyranni cognatus. Cæterum in præsenti negocio cernere est, quam confusa sit, & ratione incomprehensibilis fortunæ ratio. Nam si Nicias cum Alcibiade in contentione de ostracismo perseueraſſet, aut eo eiecto tuto ipse ciuitatem administrasset, aut victus ipse ante extremam calamitatem abiisset, optimi ducis integro adhuc sibi nomine. Neq; sum nescius Theophrastum in ea esse sententia, Phæace, non Nicia cum Alcibiade contendente, Hyperbolum esse exilio damnatum: sed ego plures autores secutus sum. Proinde Aegesteorum & Leontinorũ legati cum Athenien sib. suaderent, vti expeditionem in Siciliam facerent, Nicias id impugnaturus, consilio & studio Alcibiadis victus est: qui spes iniiciendo, verbisq; corrumpendo, populum etiã priusquam in cõcione de re ista ageretur in suam sententiam pertraxerat. Adolescentes adeo in palæstris, senes in officinis & hemicyclis vna sedentes, figu-

*Bellum Siculense cõflatur.*

ram

ram Siciliæ depingebant, marisq; circũiecti naturam, portusq; & loca eius insulæ versus Africam obuersa considerabant. Non enim præmium victoriæ Siciliam, sed belli arcẽ fore putabant, vnde Carthaginiensibus impetitis, Africam essent, mareque quod intra columnas Herculis est omne in suam potestatem redacturi. His rebus intentis ciuibus Nicias contrarium suadens, neque multos, neque graues habuit adiutores: diuites enim veriti ne publica ministeria & præfecturas viderentur subterfugere, etiã præter animi sententiam quiescebant. Neq; tamen defatigatus est, animum ve despondit: sed cum bellum decretũ esset, primus ipse dux belli cum Alcibiade & Lamacho creatus, rursum in concio ne populum dehortatus est, obtestatusq;, & orationem traducendo Alcibiade finiit, qui sua auaricia ambitioneq; ductus ad difficile & trãsmarinum bellum populum extruderet. Nihil tamen eo consecutus est: quinimo id ipsum suffragio populi confirmauit, quod peritia rei bellicæ præstãtiore ipso, cõmixta eius timiditas cum Alcibiadis audacia & Lamachi mansuetudine, eo magis tuta omnia pręstitura credebatur. Et Damostratus, qui maxime omnium ciues ad bellum suscipiendum stimulabat, progressus in concionem effecturum se dixit, vt Nicias prætextus quærendi finem faceret: rogationeq; lata, vti imperatoribus plena daretur potestas domi forisque consultandi agendique, populo vtetam haberet ratam persuasit. Equidem etiam multos auspices fertur prodigiis motos, bellum prohibuisse. Verum alij vates, quos secũ Alcibiades habebat, oracula quædam vetusta proferebant, magnam ex Sicilia gloriam Athenienses adepturos affirmantia: & quidam ab Ammone aduenerant sortilegi, oracului ferentes, quod vniuersos Syracusanos in potestatem Athenienſium venturos diceret: contraria enim, ne malum omen offerrent, occultabant, quando ne manifesta quidem ostenta videbant animos Athenienſium ab instituto dimouere. Cuius generis fuit, quod vna nocte omnes Hermæ membris exteriorib. mutilati fuerunt, vno excepto, quem Andocidæ appellant, quod donarium Aegeidis tribus ante ædes, quas tum Andocides habebat, stetit. Homo quidam subito in aram duodecim Deorum insiluit, cumque circumiuisset, pudenda sibi saxo amputauit. Delphis Palladium aureum super palmam æream fixum A-

*Prodigia.*

thenienſes ex manubiis Medicis dedicauerant: id tum per aliquot dies corui aduolantes roſtris percuſſerãt, fructumque palmæ aureum auulſerant & deturbarant. Hoc Athenienſes in gratiam Syracuſanorum à Delphicis confictum dicebant. Oraculo autem iuſſi, vt Mineruæ antiſtitam Clazomenis Athenas adducerent, executi hoc ſunt: nomen mulieri erat Heſychia, quod Latine quies dicitur. atque hoc nimirum fuit, quod eo tempore Dij præcipiebant Athenienſibus, vti quieſcerent. Itaque Meton aſtrologus ſiue hiſ territus ſignis, ſiue ſuas rationes ſecutus, metuens ne dux ad id bellum mitteretur, cum iam tum aliquem magiſtratum gereret, ſimulata inſania domum ſuam incendit: quidam nõ furorem finxiſſe, ſed noctu aiunt domum inflammaſſe, poſtridie abiecto habitu in forum veniſſe, & à ciuibus petiſſe, vt in tantæ calamitatis ſolatium filium ſuum, qui erat triremis præfectus in Siciliam iturus, militia liberarent. Socrati etiam ei qui ſapiens eſt vſurpatus, iis quibus conſueuerat aliis quoq; in rebus vti indiciis Genius oſtendit, ad pernicie patriæ iſtam ſpectare expeditionem: ipſe familiaribus amicisq; retulit, & ſermo eius ad multorum aures peruenit. Non paucos etiam tempus, quo claſſis amandata fuit, perterruit. Adonidi enim tunc ſacra faciebant mulieres Atticæ, & paſſim per vrbem ſimulacra iacebant, circùm ſepulturæ, & planctus muliebres videbantur: itaque ſubiit quibuſdam ominari, & vereri ne claſſis illa ſplendide adornata, paulo poſt emarceret. Et Nicias quidem quod decretum eo de bello impugnauit, ac neq; ſpe elatus, neq; imperij magnitudine perculſus ſententiam mutauit, boni moderatiq; viri functus eſt officio. At poſteaquã neq; auertere à bello populũ, neque ſe eius adminiſtrationi eximere valuit, ſed eum populus veluti vi abreptum copiis ducem impoſuit: non iam porro illa nimis anxie cauendi, cunctandiq; erat retinenda ratio. Is vero pueri inſtar à naui retro oculos retorquens, crebroq; animo ſuo reuoluens quod ſuis conſiliis non eſſet obtemperatum, collegas etiam ſegniores reddidit, occaſionemque primam rei gerendæ prodidit. Etenim initio ſtatim periclitanda fortuna hoſtesq; inuadendi fuerant. At Nicias Lamacho monente, vt recta ad Syracuſas iretur, & pugnæ copia hoſti proxime eam vrbem fieret, Alcibiade vrbes prius ad defectionem à Syracuſanis ſolicitare iubente,

*Meton.*

*Nicie timiditas.*

ab vrto-

ab vtroque dissentiens, quiete præter Siciliam nauigare, armaque & triremes ostentare, atque ita postquam suæ potentiæ gustum quasi aliquem Aegestensibus præbuissent, Athenas redire iussit: quo consilio & rationes suorum conturbauit, & animos deiecit. Quin & paulo post Alcibiade ad causam dicendã Athenas reuocato, cum verbo quidem collegam haberet, potentiam autem solus omnem obtineret, desidendi, circumnauigandi, consultandi, non ante finem fecit, quam & spei vigor cõsenuisset, & stupor metusque, quem hostes ad primum copiarum Athenienſium conspectum conceperant, euanuisset. Cum adesset adhuc Alcibiades, sexaginta nauibus ad Syracusas nauigarunt, & reliquis extra portum instructis, decem explorandi, & Leontinos in suam possessionem per præconem reuocandi causa intra portum perrexerunt. Hæ nauim hostilem ceperunt, asseres vehentem, in quib. tributim descripti erant Syracusani: eosque asseres alias extra vrbem in Iouis Olympij fano repositos tum ob recensionem & delectum eorum qui ætate essent ad bellum integra afferri iusserant. Vt igitur ij asseres ad duces Athenienſium allati sunt, ac nominum multitudo cognita: perturbati sunt vates, veriti ne iam tum oraculum esset repræsentatum, quod omnes Syracusanos in potestatem Athenienſium peruenturos dixerat: quanquam id alias quoque Athenienſibus eueniſſe traditur eo tempore, quo Callipus Athenienſis occiso Dione Syracusas obtinuit. Haud multo post Alcibiade ex Sicilia auecto summa rerum penes Niciam fuit. Lamachus autem fortis quidem erat iustusque vir, & in pugna manu promptus: adeo interim pauper, vt rationes Athenienſibus singulorum a se obitorum imperiorum reddens, exiguum pecuniæ in vestem crepidasque sibi insumptæ iis adnotauerit. Niciæ cum alias, tum ob diuitias & gloriam ampla erat maiestas. Fertur quodam tempore, cum inter collegas esset de re qua piam in prætorio deliberatio, Sophoclem poetam iussum ab eo primo loco dicere, vt qui ætate cæteros præcederet, respondisse: Ego quidem, Nicia, annorum, tu venerationis plurimũ habes. Ita tũ quoq; Lamachũ imperatoriis artib. superiorem ipso sub se habens, solita sua timiditate & cũcta tione bellum administrauit. Primũ lõgissime ab hostib. circumnauigando, fiduciam iis auxit. Deinde Hyblã exiguum

*Lamachus*

oppidum oppugnare adortus, cum re infecta obsidionem soluisset, in summum contemptum venit. Denique Catanã accessit, neq; ibi quicquam egit, nisi quod Hyccara oppidulum barbaricum cepit. Ex hoc oppidulo Laidem, quæ nobilis deinde meretrix fuit, puellam adhuc inter captiuos vẽditam, & in Peloponnesum abductam ferunt. Præterita iam æstate, cum Syracusanos audiuisset eo fiduciæ peruenisse, vt contra ipsum vltro proficisci statuerent, equitib. eorum etiam per ludibrium ad ipsa castra adequitantibus, quærentibusq;. Habitatum ne cum Catanensibus, an reductum in sua Leontinos venerint: vix tandem nauigare ad Syracusas animum intendit. Vt autem tuto, & nemine interturbãte exercitum ibi collocare posset, à Catana quendam misit, qui Syracusanis indicaret, vt si castra Athenienſium vacua, armatq; capere cuperent, ad certum diem omnib. cum copiis ad Catanam venirent: Athenienſibus enim plerunq; in vrbe commorantibus, statuisse amicos Syracusanorum cũ hos aduenire cernerent, simul & portas occupare, & nauale incendere. esse autem multos, qui ea de re conspirarint, ipsorumq; aduentum expectẽt. Nihil hac arte præclarius in Sicilia Nicias ostendit. Hostes enim cum toto exercitu ex vrbe abducens, ita vt prope vacua ea virorum esset, ipse Catana auectus, cum portus Syracusanos occupauit, tum eo in loco castra posuit, qui & tutum aduersus ea quæ hostib. potiora esse putabat, præstare posset, & bello absque cuiusquam impedimento gerendo commodus videretur. Cum à Catana reuersi Syracusani ante vrbem aciem instruxissẽt, celeriter eductis contrà suis, victoria potitus est. Ibi hostiũ quidem non magnam stragem edidit, equitibus insecutioni obstantibus: fluuij vero pontes abrumpens, Hermocrati occasionem dedit in confirmandorum Syracusanorum causa habita oratione dicendi, Ridiculum esse Niciam, qui omnia sua consilia eo accommodet, vti ne pugnet, perinde atque non pugnandi causa aduenisset. Enimuero id facinus tantum Syracusanis terrorem incussit, vt loco quindecim ducum, tres tum constituerint, iisq; populus iureiurando fidem fecerit, plena iis cum potestate imperium permissum iri. Iouis Olympij templum Athenienſib. capere cupientib. quod multa in eo erant aurea argenteaq; donaria, Nicias consulto rem tantisper distulit, dum per eius negligentiam

Syracu-

Syracusani præsidium eo imponerent: ratus direptis templi opibus, nihil ad remp. vtilitatis, ad se totius flagitij infamiã redundaturam. Illustri autem victoria nullam ad rem vsus, paucis post diebus in Naxum recessit, magnisq; ibi sumptibus hyemauit, nihil agens interim, nisi quod cum paucis quibusdam Siculis ad se desciscẽtibus pactus est. Itaq; Syracusani animo recepto, ad Catanam profecti agrum vastauere, & Athenienſium castra combusserunt. Quapropter omnium in reprehensionib. Nicias fuit, qui consultando, cunctando, & cauendo occasionem rei gerendę amitteret. nam actiones eius vituperari non poterant: vtq; erat in efficiendo eo quod semel conatus esset strenuus, ita cunctanter, & timide rem aliquam aggrediebatur. Postquam rursus exercitum Syracusis admouere statuit, ea arte, eaq; celeritate & securitate vsus est, vt & insscio hoste Thapsum naues aduerterit, militesq; exposuerit, & occupauerit Epipolas, & milites delectos, qui ad defendendum locum accurrerant fuderit, trecentosq; ceperit, & equitatum hostilem, qui inuictus putabatur, repulerit: ac, quod & maxime Siculos perterruit, & incredibile Græcis visum est, muro Syracusas circũuenit modico temporis spacio, vrbem Athenis nonminorem, sed ob inæqualitatem locorum, maris vicinitatem, paludesq; circumiectas eiusmodi operibus faciendis iniquiorem. Atque hæc ille fere omnia perfecit, cum ne prospera quidem inter tot curas vteretur valetudine, sed ex renib. laboraret: cui morbo æquum est imputari, si quid ab eo perfectum nõ fuit. Miror autem cum ducis diligentiam, tum militum virtutem, in iis quas prospere gesserunt rebus. Et vero Euripides victis perditisq; epitaphium scribens, hæc fecit:

*Hyberna.*

*Syracusa muro circumuenta.*

*Octo Syracosios hi cladibus affecerunt,*
*Dum neutris fatum prosperiora dedit.*

Sed non octies tantum, verum sæpius victos ab iis Syracusanos inuenies, antequam deus quispiam aut fortuna Athenienſium res ad summam potentiam euectas subuertit. Plerisq; rebus gerendis ipse vim suo corpori faciens interfuit Nicias. Aliquando morbi vehementissime ingruentis vi oppressus, in castris iacuit, paucos secum famulos habẽs. Lamachus interim cum exercitu in Syracusanos pugnauit, ab vrbe murum versus Athenienſem extruentes, quo prohiberent, ne hostis quod interiectum erat spaciũ munitioni-

bus occuparet. Ibi cum Athenienſes pulſos Syracuſanos in cõpoſito agmine inſequerentur, deſtitutus à ſuis Lamachus Syracuſanorum equites ſeſe inferentes ſubſtitit. Primus inter eos erat Callicrates, homo belli gnarus & ferox: cũ hoc vt ſe mutuo prouocauerant, ſingulari pugna congreſſus, iactus prior ipſe, cum hoſtem lethali vulnere affeciſſet, iuxta vterq; expirarunt. Lamachi corpore & armis potiti Syracuſani, ad muros Athenienſium curſim contenderunt, vbi Nicias propugnatoribus carens iacebat. Verum hic neceſſitate tamen compulſus ſurrexit, periculoq; præſenti cõſpecto, quos ſecum habebat, ignem lignis, quæ tum multa ante muros iacebant ad fabricandas machinas cæſa, ipſisq; machinis immitti iuſſit. Id conſilium Syracuſanos (nam ingentem flammam de medio loco aſſurgere videntes, retro auerſi ſunt) repreſſit, & Niciam, murosq; & pecuniam Athenienſium ſeruauit. Secundum hæc Nicias ſolus belli dux relictus, præclara in ſpe fuit: nam & vrbes ad ipſum deficiebant, & multæ vndique annona onuſtæ naues in caſtra eius conueniebant, omnibus ſe ei, vt qui proſpero vteretur ſucceſſu, adiungentibus: quin & ſermones iam Syracuſanorum ſalutem vrbis deſperantium de pacificatione adipſum deferebantur. Quando Gylippus quoque Lacedæmone ad opem iis ferendam nauigans, vt in itinere cognouit vrbem munitionibus clauſam ſummis eſſe in angustiis, ita porro nauigauit, vt qui teneri iam ab hoſte Siciliam putaret, & Italicas tantum iam vrbes ab eo defendendas, ſiquidem poſſet, duceret. Late enim fama tenebat, Athenienſes omnia ſua in poteſtate habere, & duce belli vti ob fortunæ fauorem prudentiamq; inuicto. Et ipſe tum contra naturã ſuam Nicias præſenti rerum fortuna aucta fiducia, ac potiſſimum iis fidens, quæ ex clandeſtinis cum iis qui Syracuſis nuncios ad ipſum mittebant colloquiis acceperat, iamiam vrbem conditiones pacis accepturam ratus, Gylippum aduenientem nihili fecit, neq; accurata eſt vſus cuſtodia. Itaque Gylippus dum ab eo plane contemnitur atq; negligitur, ſcapha in Siciliam neſcio Nicia appulit longiſſime à Syracuſanis, copiasq; magnas conduxit, neq; aduenisſe his eum ſcientib. neq; expectantib. Iam concione aduocata, vt de pace cum Nicia facienda ageretur, quidam conuenerãt, qui eam cõponendam exiſtimabant, priuſquã prorſus munitioníb.

nitionib. vrbs circumueniretur: (per enim exiguum ei operi deerat adhuc, & iã omnis ad id perficiendum parata erat materia) cum iam id in discrimen adductis rebus, Gongylus à Corintho Syracusas vna triremi peruenit, concursuq; (vt fit) ad ipsum facto, mox adfuturum Gylippum, aduehi etiã alias auxiliarias naues indicat. Nondũ fidẽ iis Gongylo habentib. à Gylippo nuncius venit, obuiam ire sibi Syracusanos iubente. Ita demum receptis animis Syracusani, armati Gylippo occurrerunt: isq; statim ex itinere instructas copias contra Athenienses duxit. Postquã aciẽ opposuit Nicias, Gylippus in conspectu Athenienſium depositis armis, præconem ad eos misit, impunitatem se Athenien sib. siquidem ex Sicilia abeant, dare edicens. Nullo respon so id Nicias dignari, quidam militum irridere, & percontari, ecquid vnius pallioli & baculi Laconici præsentia ita res Syracusanorũ corroboratæ essent, vti Athenienses despicerent, qui multo robustiores Gylippo, magisq; comatos triginta Lacedæmonios cum in compedib. habuissent, eos suis reddiderint. Timæus ne Siculos quidem Gylippum alicuius precij hominẽ duxisse ait: sed & postea auariciam eius sordesq; damnasse, & vt primum in Sicilia visus est, lacernã eius & comã risisse: deinde tamen (inquit) ad eum, tanquam ad noctuam subito visam, multi aduolauerunt, eumq; ducem sunt secuti. id quod verius est, quam priora ista. Etenim in scipione & pallio maiestatem Laconicam conspicati, ad eum se adiunxerunt: ac totius rei gestæ gloriam Gylippo deberi, non Thucydides modo, sed & Philistus Syracusanus, qui rebus istis interfuit, scribunt. Primo conflictu Athenienses superiores fuerunt, paucosq; Syracusanorum aliquot, & Gongylum Corinthium interfecerunt. Postridie, quæ vis esset experientiæ, Gylippus ostendit. Iisdem enim armis, equis, locisque vsus, ordine modo instruendæ aciei mutato, vicit Athenienses: fugientibusque in castra Syracusanos circundans, lapidibus materiaque ab hoste aduectis propugnacula excitauit, hostilesque munitiones interrupit, inutilesque iis fecit. Inde animis confirmati Syracusani, classem instruere, equitibus suis & ministris passim vagantib. multos homines capere. At Gylippus circum vrbes proficisci, eas cohortari, sibi adiungere, & ad mandata sua exequẽda, opemq; ferendam promptas reddere. Quare Nicias rursus

*Athenienses Syracusa tur.*

ad pristina sua consilia mentem reuoluit, rerumq; mutatione perspecta, æger animi Athenienſib. ſcripſit, vt aut alium mitterent exercitum, aut hunc ſuum etiã ex Sicilia reuocarent: ſe aũt omnino militia ſolui ob morbum poſtulabat. Iã ante etiã mittere in Siciliã copias ſtatuerant Athenienſes: verum ea res à potentioribus variè impedita fuerat, qui Niciæ felicitati inuidebant, eiq; omnibus modis obſtare conabantur. Tunc demũ omni ſtudio vt mitteretur ſubſidiũ, ciuitas egit. Ipſa hyeme in Siciliam Eurymedon ab Athenis peruenit, pecuniam adferens, & Niciæ collegas ex iis qui tum in caſtris erant, Euthydemum & Menandrum conſtituens: Demoſthenes eodem cum magna claſſe ſub exitum hyemis erat nauigaturus. Interea tẽporis Nicias rurſus terra mariq; rem gerere ſubito aggreſſus. claſſe primum ſuperatus, diſiecit tamen hoſtium naues, multasq; ſubmerſit. Terra nõ ſatis mature ſuis ſubuenit: ſed Gylippus Plemmyrium repente adortus cepit, quo in oppido triremium inſtrumenta, & multum pecuniæ Athenienſes repoſuerant: omnia ea, multiq; mortales in Gylippi poteſtatem venerunt, cæſiq; ſunt haud pauci. Maxime id dãno fuit Athenienſibus, quod eo oppido capto commeatu excludebantur, neq; ſine prœlio (hoſtib. ibi in ſtatione claſſem habentib.) petere eũ porro licebat, cũ ante eius ratio & tuta fuiſſet, & expedita. Quin & Syracuſanis ſua claſſis non tã vi hoſtium, quam obſolutos in iis inſequendis ordines videbatur detrimentum paſſa: itaq; ſplendidius inſtructa, hoſtẽ ad prœlium nauale prouocauerunt. Id vero Nicias detrectare, ſtolidiq; eſſe dicere, cũ integra claſſis aduentaret, cum qua mox eſſet adfuturus Demoſthenes, interim minori & male inſtructa velle decertare. Cæterum Menander & Euthydemus, nuper imperium adepti, vtrique ſuorum duci æmulabantur: cum & præclarum aliquod edere ante Demoſthenis aduentum facinus, & ſuperare Niciæ gloriam cuperent: itaque prætexentes maieſtatem patriæ, quæ imminueretur omnino & periret, ſi Syracuſanos ipſi ad pugnã prouocantes timerent, naualem pugnam inuito Nicia commiſerunt, arteq; Ariſtonis Corinthiorum gubernatoris circumuenti, à ſiniſtro cornu (vt Thucydides ſcribit) victi omnino, permultos ſuorum amiſerunt. Quæ res nouum Niciæ dolorem attulit, cum & ſolus totius belli adminiſtrationem ægre ſuciperet, & collega-

*Demoſthenis claſſis.*

& collegarum culpa cladem accepisset. Interim Demosthenes portum intrare conspectus est, apparatu splendidissimo, & hostibus admodum terribili, nauibus septuaginta tribus quinq; armatorum millia, iaculatorum, sagittariorum & funditorum tria millia aduehēs, armorū ornatu, & nauium insignibus multitudineq; magistrorū & tibicinum ita instructa classe, vt plurimū is splendor ad ostentationē, & terrorē hostibus incutiendum faceret. Rursus itaq; (vt erat cōsentaneum) in magnū timorem Syracusani peruenerunt, cùm nullū finem laborum, sed alias ex aliis ærumnas & clades frustra se tolerare iudicarent. Niciæ gaudiū, quod ex aduentu earū copiarum percepit, perbreue fuit. Primo enim statim colloquio Demosthenes continuo adoriri hostē, & rem quam primùm in summum discrimen deducere, Syracusas capere, & domum inde redire iubebat. Ibi Nicias metuens rebus à mira ista properatione & temeritate, orare ne quid inconsiderate, ne quid stulte actū vellet: docere, morā hostibus damnosam fore, qui & à pecunia iam laborent, neq; diu porro cum iis sint permansuri socij: mox eos in difficultates cōiectos, rursum (vt ante) ad se de pacis conditionibus missuros. Et verò erant Syracusani quidam non pauci, qui clandestinis cū Nicia colloquiis vtētes, manere eum iubebant, Syracusanos iam & bellū ægrè sustentare, & Gylippū molestum iis esse, omninoq; si difficultates istę augerentur, animos despōsuros affirmantes. Hæc Nicias partim obscure innuens, partim proloqui nolens, timiditatis opinionē de se apud collegas excitauit: dicentesq; antiquas illas eius artes, cunctationem, curas, nimiamq; diligētiam, quibus ab initio vigorem exercitus extinxisset, non hostes inuadendo, sed in anibus cōsiliis sese in despectum adducēdo, eas nunc renouari, in Demosthenis sententiam concesserunt: & vix tandem vi adactus Nicias, reliquis morem gessit. Proinde noctu Demosthenes cum peditatu, pfectus, Epipolas aggressus est, quibusdamq; antè quam hostē adesse sentirēt occisis, aliis qui se opposuissent fusis, locum obtinuit. Verùm hoc non contentus, eò vsq; progressus est, dum in Bœotos incidit: hi enim primi agmine facto aduersis hastis cum magno clamore in Athenienses impetum dederunt, multosq; eorum prostrauerunt. Statim trepidatio, tumultusq; totum exercitum peruasit, fugientesq; victori-

*Clades eius temeritate accepta.*

bus permixti, & qui adhuc descendebant & in hostem contendebant, à suorum fugientium turba repressi, inuicem in se inciderunt: neq; inter fugientem & persequentem, sociũ vel hostem discernere quisquam poterat. quippe concursus incompositus tot in vno loco hominum per terrorem & ignorationem, incertusque conspectus in nocte neq; tenebris maris obscura, neq; luce certa illustrata (iam enim luna ad occasum vergens, arma & corpora multa variè agitata ita irradiabat, vmbrasq; eorum proiiciebat, vt conspici certò nihil quicquam posset) hostium metu etiam amicos suspectos inuicem faciebat, summasq; in miserias Athenienses deducebat. Habebant à tergo lunam, atque ita suis sese vmbris tegentes, armorum suorum nitorem & multitudinem obtegebant: contrà hostes ob scuta ad lumen lunæ renidentia, multo quam erant plures & splendidiores apparebant. Tandem terga dederunt, & quidem ab hostibus effuse fugientes insequẽtibus alij à se mutuo cæsi sunt: nonnulli per præcipitia delapsi perierunt, multos hinc inde palantes facto die equites deprehenderunt ac perdiderunt. Duo Athenienſium millia cæsi, eorum qui euaserunt pauci cum armis in castra reuersi sunt. Nicias nõ inopinata accepta clade, cum accusaret Demosthenis temeritatem, hic se excusans, suasit quam celerrime Siciliam relinquendam esse: nam neq; venturum alium exercitum, & præsentibus copiis hostem superari non posse: & quidem etiam victis hostibus, fugiendum tamen fore locum hunc, qui cũ semper diceretur iniquus esse & insalubris militibus, tum verò satis appareret propter anni tempus pestilentem esse. iam enim autumnus inierat, multiq; ægrotabant, animis omnes ceciderant. At Niciæ consilium de fuga & discessu magnopere displicebat, non quod non metueret Syracusanos, sed quia magis iis Atheniẽsium iudicia & calumnias formidaret. dicebatq; se quidem non timere, ne quid præterea aduersi in Sicilia accideret: sin verò secus eueniret, malle ab hostibus, quam à ciuibus necari: (à qua eius sententia alienus fuit posteriori tempore Leo Byzantinus, qui ad ciues suos dixit, malle se ipsorum manu, quam vnà cum ipsis mori) cęterum de loco in quem castra sunt transferenda, per ocium se deliberaturum. Hæc illo disserente, Demosthenes, vt qui sua sententia haud feliciter Niciæ consilium

*Deliberatio de relinquenda Sicilia.*

filium victum ante sciret, vrgendi finem fecit: concesserunt & reliqui, quod subiret eis cogitare Niciam ideo discessum tam vehementer improbare, quod Syracusanorum pollicitationibus fidem haberet, euentumq; earum præstolaretur. Sed posteaquam & alius Syracusanis accessit exercitus, & lues apud Athenienses aucta est, tum demũ Nicias quoq; in sententiam Demosthenis concessit, militibusque mandauit, vti ad abnauigandum parati essent. Omnibus iam ad abitum instructis, cum nemo hostium obseruaret (neque enim quisquam discessum Athenienses moliri putabat) noctu luna defecit: ea res Niciæ, aliisq; qui seu imperitia seu superstitione decepti id genus ostenta timent, magnum iniecit terrorem. Solis enim lumen nouilunij tempore interdum obscurari, idq; lunam efficere, iam tum vtcunq; etiam vulgò intelligebatur. Quid verò rei esset, quod Luna subito cum plena luce splendet, eam amittat, varioſque colores exhibeat, non facile intelligebatur, & in prodigium trahebatur, quo diuinitus magna aliqua præmonstraretur calamitas. Qui enim primus, apertissime quidem & libertime ausus est de Lunæ illuminatione & obumbratione scripto edere rationem, is Anaxagoras fuit, non vetustus ipse: neq; celebris tum disputatio habebatur, sed occulta adhuc apud paucos & caute tractabatur. Non enim ferebant eo tempore eos qui naturam rerum & cœlestia sublimiaq; explicare profitebantur: tanquam qui diuinum numen in absurdas causas, efficaciasq; nullum certum finem propositas habentes, & affectiones necessitate constrictas discerperent. Itaq; & Protagoras in exilium actus est, & Anaxagoram in carcerem coniectum vix seruauit Pericles, & Socrates eiusdem philosophiæ causa (cum quidem nihil esset ipsi cum ea rei) interiit. Platonis primũ gloria, quæ & ob vitæ eius honestatẽ effulsit, & quod diuinis præstantioribusq; principiis naturales istas necessitates subiecit, inuidia eam Philosophiæ partem liberauit, eiq; aditum ad omnes homines expediit. Socius quidẽ Platonis Dio, quo tempore à Zacyntho soluens contra Dionysium ibat, Lunę defectu, qui tum forte accidebat, nihil turbatus, Syracusas perrexit, ac tyrãnum eiecit. Nicias tum casu vatem peritum secum habebat nullum: familiaris enim eius, & qui multum superstitionis solebat eximere Stilbides, paulo ante fato functus erat.

*Physice Athenienſibus inuiſa.*

Namq;

Namq; (vt Philochorus asserit) signũ id fugientibus nequaquam malum est, sed percommodum: tenebras enim & latebras quæ cum metu aguntur, requirunt, iisq; lux est aduersa. Et alioquin quę circa Solem Lunamve accidunt portenta, in triduum tantũ cauere iubent: vt in exegeticis Autoclides tradit. At verò Niciasalium Lunæ circuitum expectare iubebat, quasi non statim eam esset conspecturus suo nitori restitutam, postquam ea per locum ab oppositа terra luci solis obstructum transiuisset. Interim reliquis prope omnibus rebus omissis, sacrificando tempus traxit, eò vsque dum hostes Athenienſibus superuenerunt, pedestribus copiis muros eorum & castra oppugnantes, nauibus aũt portum circumquaq; occupantes: neq; ipsi solum triremibus id agebant, sed & pueri lembis piscatoriis & scaphis conscensis Athenienses per ludibrium prouocabant. Ex his pueris vnum illustribus natum parentibus Heraclidam, cùm is cymba sua præter reliquos esset prouectus, Attica nauis insequuta est & apprehendit. Illi timens Pollichus auunculus, decem triremibus, quibus præerat, cõtra hostes prouectus est, idemq; tutandi Pollichi causa cæteri fecerunt. Cõmisso acri nauali prœlio, vicerunt Syracusani, & Eurymedontem cum multis aliis interfecerunt. Iam verò nullo modo manendum sibi in insula Athenienses rati, multis clamoribus à ducibus contendebant, vt se vel terrestri itinere abducerent: nam Syracusani statim à victoria fauces portus obstruxerant. Niciæ autem id minime probabatur: indignam enim rem existimabat, tot naues onerarias, triremesq; prope ducentas hostibus relinquere. Itaq; centum & decem triremes (reliquis enim remigia deerant) peditum & iaculatorum optimo quoque impositо repleuit, reliquam turbam ad mare assistere iussit, maioribus castris, & munitionibus quæ ad Herculis fanum pertinent, relictis. Quo factum est vt intermissum hactenus Herculis sacrificium à Syracusanis, duces eorum & vates eò profecti peragerent. Iam triremes exercitus conscenderat, cùm aruspices Syracusanis ex hostia gloriam & victoriam polliciti sunt, si non inferrent vim, sed defenderent: eodem enim modo Herculem semper vicisse. Itaq; in altum deductæ sunt ad pugnam naues. Fuit ea pugna ingens & acerrima, neque minus perturbauit varie spectatores, quam ipsos eos qui dimicabant:

*Victoria Syracusanorum.*

cùm

cùm illi certamen tam diuersas subinde mutationes inspe-
rataſq; accipiens contemplarentur. Ipſe autem apparatus
non minus quam hoſtibus incommodum attulit Atheniē-
ſibus. Hi enim cum grauibus nauigiis iiſq; confertis contra
leuia pugnarent, hinc inde inſultantia, icti lapidibus, qui
vndique eandem ictus vim perferebant, ipſi iaculis & ſagit-
tis hoſtem petebant, quæ ne directe omnia, & cuſpide inci-
derent, maris fluctuatio efficiebat. Hoc præceptum Ariſto
Corinthius gubernator Syracuſanis dederat, qui in ipſo
prœlio ſtrenue dimicans, iam vincentibus Syracuſanis oc-
cubuit. Athenienſibus ingenti clade fuſis, & facultas mari
effugiendi omnis prærepta ab hoſte fuit, & cùm terra ſe dif-
ficulter euaſuros cernerent, neq; Syracuſanis naues abduc-
centibus comminus repugnauerunt, neq; ſuorum cadaue-
ra ad ſepulturam petierunt, rati maioris eſſe miſeriæ, ſau-
cios alios & ægrotos hoſti, quàm iſtos inhumatos relin-
quere: quæ tametſi ante oculos cernebant, vtrorunque ta-
men deteriore conditione ſeipſos eſſe exiſtimabant, qui ad
eundem vtique finem per plura aduerſa tenderent. Cum
autem noctu ſtatuiſſent diſcedere Athenienſes, Gylippus
ne in animum quidem ſuũ induxit, poſſe Syracuſanis per-
ſuaderi, vt à ſacrificiis & potationibus (quibus ſe victoriæ &
ſolennis feſtiuitatis cauſa dederant) ad inſequendos hoſtes
ſe conferrent. At Hermocrates ſuo ex ingenio dolũ aduer- *Hermo-*
ſus Niciam commentus, quoſdam ad eum miſit, qui tan- *cratis do-*
quam ab iis miſſi Syracuſanis, quibuſcum clandeſtina agi- *lus.*
tare colloquia ipſe conſueuerat, monerent ne ea nocte pro-
ficiſceretur: inſidias enim à Syracuſanis poſitas, obſeſſaq; eſ-
ſe itinera. Hac fraude Nicias deceptus ea nocte ſubſtitit, id-
que quod falſo metuebat, poſtridie expertus eſt. Summo e-
nim mane Syracuſani anguſtias viarum occupauere, tranſ-
itus fluuiorum clauſerunt, pontes deturbarunt, campeſtria
& plana loca equitibus inſederunt, ita vt ſine pugna nullus
Athenienſibus vſpiam pateret progreſſus. Hi cum & diem
eum & inſequentem noctem manſiſſent, inde cum fletu &
eiulatu profecti ſunt, tanquam ſi non ex hoſtili, ſed ex pa-
tria terra diſcederent: adeo penuria rerum neceſſariarum,
& amici familiareſque imbecilli relicti eos afficiebant: &
tamen præſentia mala futuris leuiora ſperabant. Inter plu-
rima, quæ eo in exercitu miſeranda videbantur, nullum

ſuit

*Misera Athenienſiũ fuga.*

fuit ipſo Nicia ſpectaculum miſerabilius. Quippe vi morbi afflictus, præter dignitatem ſuam ad neceſſariarum ad victum rerum penuriam redactus, cum quidem ob infirmitatem plurimis opus haberet, multa in tanta imbecillitate tamen agebat atq; tolerabat, quæ multi ſani & validi non ſuſtinerent: omnibus manifeſtò demonſtrans, ſe non vitæ amore, ſuive cauſa ea perferre, ſed exercitus cauſa non oẽm ſpem abiicere. Et cum reliqui ad lacrymas & queſtus ſeſe demitterent præ metu atq; mœrore, ipſi, ſi idem facere cogeretur ſatis liquebat, recordatione turpitudinis infamiæ que ea militia partæ, eiusq; cum magnitudine & gloria rerum quas ſe geſturum ſperauerat, comparatione iſta extorqueri. Neque tantum vultum eius inſpicientes, ſed multo magis ſermones eius bellum hoc diſſuadentis, admonitioneſque memoria repetentes, indigna circumuentum calamitate cenſebant: neq; boni iam a diis quicquam ſperabãt, reputantes cum animis ſuis hominem piiſſimũ, & qui ſumma liberalitate deûm honores auxiſſet, nihilo quam flagitioſiſſimos & viliſſimos in toto exercitu homines meliore eſſe conditione. Neq; tamen non conatus eſt Nicias voce, vultu, & ſuis compellandis ſuperiorem ſe fortuna oſtendere: totoq; octo dierum itinere ab hoſtibus iaculis impetitus & ſauciatus, inuictum ſuum exercitum cõſeruauit. At poſtquam Demoſthenes cum exercitu apud villam Polyzeli inter pugnandum à reliquis copiis aulſus in poteſtatem hoſtium peruenit, ac ſibiipſi quidem ſtricto gladio ictum intulit, non tamen mortuus eſt, hoſtibus eum mature corripientibus: hæc vbi & Syracuſani adequitantes Niciæ indicauerunt, & ipſe miſſis equitibus captum eſſe cum Demoſthene exercitum cognouit: ita demum à Gylippo petiit vt Athenienſes factis induciis, acceptiſq; obſidibus, dum omnis in bellum hoc impenſa pecunia Syracuſanis redderetur, Athenienſes ex Sicilia dimitteret. Id vt impetraret tantum abfuit, vt ab hoſtibus contumelioſe inſultantibus telis etiam impeteretur, omnibus iam deſtitutus rebus neceſſariis. Perdurauit tamen eam noctem, & poſtridie ad Aſinarũ fluuiũ proceſſit. Ibi Athenienſes partim equitatus hoſtium impetu facto in profluentem detruſit, alij ſiti victi vltrò ad aquam procubuerunt: ibiq; ingens cædes edita eſt, amniſq; ſanguine repletus. Tandem Nicias ad pedes Gylippi accidens,

*Athenienſes capiuntur.*

dens, Miseremini, inquit, victores non quidem mei, cuius gloria nomenq; illustre ad hoc calamitatis deuenit, sed Athenienſium reliquorum, & cogitate communem esse fortunam belli, qua mediocriter vti sunt & clementer Atheni-
5 enses, quoties ea illis contra vos fauit. Cum aspectus Niciæ sermoque Gylippum mouit, non ignarum in pacificatione olim Lacedæmonios ab eo beneficium accepisse: tum verò quod magnæ sibi futurum gloriæ censebat, si aduersæ partis duces viuos abduceret. Itaq; & Niciam bono esse ani-
10 mo, & capi, non cædi reliquos iussit. Verùm tardius eo mãdato per milites dilato, multo minores captiui interfectis fuerunt: quamuis haud paucos ipsi milites cædi subtraxerint. Ergo collectis in vnũ iis, qui palam capti fuerant, maximas & pulcerrimas iuxta fluuium arbores captiuis armis
15 decorarunt: ipsi coronati, suisq; eleganter exornatis equis, hostium tonsis, in vrbem rediuerunt: cùm quidem ex certamine, quo Græcorum contra Græcos nobilius fuit nullũ, perfectissimam victoriam summa roboris, alacritatis, virtutisq; vi peperissent. Aduocatis deinde in concionem vniuer-
20 sis & Syracusanis & auxiliariis, Eurycles populi tum princeps legem tulit: vt dies quo Nicias captus fuit, festus esset, eoq; ab operibus vacantes Asinaria festiuitatem solennem (sic a fluuio nominatam) celebrarent: (fuit is dies XXIIII. Carnij mensis, quem Metagitnionem Athenienses cogno-
25 minant) vt Athenienſium serui & socij venderentur, ipsi & Sicilienses in lapidicinas custodiæ causa dederentur: vti duces eorum occiderentur. Approbantibus hæc Syracusanis, Hermocrates cum diceret victoria recte vti, præclarius esse quam ipsum vincere, haud mediocri tumultu est ex-
30 ceptus: Gylippum verò duces Athenienſium poscentem, vt ij sibi Lacedæmonem viui perducendi traderentur, luxuriantes iam rebus secundis maledictis incesserunt, cum in ipso alioquin bello haud facile seueritatem eius & Laconicum imperandi morem tulissent. Timæus addit, ob
35 sordes etiam & auariciam eum male apud ipsos audiuisse, paterna vitia: nam & Cleandridas pater eius ob capta munera exterminatus fuit, & ipse quod triginta talenta de milleiis, quæ Lysander ei commiserat Spartam perferenda, surripuisset, subterque culmen domus abscondisset, indicio facto turpissimo est exilio mulctatus. qua de re accu-

*Decretum Eurycles.*

ratius

*Niciæ obitus.*

ratius est in Lysandri vita dictum. Demosthenem porrò & Niciam non (vt Philistus & Thucydides) à Syracusanis lapidibus obrutos Timæus, sed cum Hermocrates durante adhuc concione misisset qui populi sententiam exponeret, ipsos custodis vnius eorum qui aderant opera mortem sibi conscisse: corpora quidem ante portas proiecta ferunt, vt spectare qui vellent, possent. Auditu accepi etiamnum Syracusis scutum in templo repositum demonstrari, quod Niciæ fuisse perhibeant, auro purpuræ intertexto perquàm ornatum. Plerique autem Athenienſium qui in Latomias traditi fuere, ibi perierunt morbo, & victu incommodo: (singulis enim diebus duas hordei cotylas, vnam aquæ accipiebant) multi vel furtim subtracti, vel qui inter seruos delituissent, diuenditi sunt: hique pro mancipiis venditi, equi nota in frontem inusta, quod nonnullis etiam seruientibus contigit. Verum his verecundia & morum honestas auxilio fuit. Aut enim manu emissi statim sunt, aut in honore apud dominos habiti: nõnullis Euripides salutẽ attulit. Huius enim poetæ Siculi citeriorum Græcorum maxime studiosi fuerunt, & cum exiguę subinde eius carminum particulæ ac quasi gustus eius Musæ ad ipsos perlatus esset, & ediscebant, & libenter mutuo iis se impertiebant. Eo itaque tempore ferunt permultos eorum, qui domum euasissent, Athenienſium, Euripidem honoris gratia salutasse, & ei retulisse, alios, vt docendo quæ ipsius carmina memoria tenuissent, ex seruitute libertatem recepissent, alios, sedum post pugnam vagarentur, versus eius cantando, cibum potumq; ea re inuenisse. Quo minus mirum est Cauniam nauim prædonibus persequentibus ad Siculorũ portus cõfugientem, ab iis initio non receptam, sed aditu prohibitam fuisse: pòst cùm interrogati Caunij ecquid Euripidis cantilenas tenerent, affirmassent, ita demum concessum vti nauim subducerent. Apud Athenienses autem ferunt calamitatis eius nũcium, præsertim ob eius qui referebat personã, fidẽ non inuenisse. Etenim hospes quidã cùm in Piræum esset aduectus, in tonstrina sedens, de iis quæ acta fuerant, tanquam iam Athenienſibus ea cognita essent, verba fecit. Tonsor cum primus omnium hoc de casu inaudiuisset, celeriter in vrbem accurrit, ipsoq; in foro rem magistratibus renunciauit. Exorta (vt erat consentaneum) trepidatione & tu-

*Euripidis carmina.*

*Indicium calamitatis Siculensis.*

& tumultu, principes aduocata concione, hominem ad populum introduxerunt. Is ex quo percepisset ista interrogatus, cùm nominare autorem non posset, nugator esse, & ci- 12
uitatem voluisse perturbare creditus, rotæ (vt solent qui quæstioni adhibentur) alligatus est, aliquandiuq; tormenta passus, donec venerunt, qui totam cladem exponerent. Adeò ægrè creditum est ab Athenienſibus ea Niciam esse passum, quæ euentura sæpe prædixerat.

## IN NICIAM ANNOTATIONES interpretis.

NIcias Atheniẽsium dux, Alcibiadis æqualis fuit, bellóq; Peloponnesiaco periit in Sicilia.

1 Sæpe ad Xenarchum delabitur.] ὑποῤῥέων εἰς τὸν ξέναρχον. Est hoc obscurum: & omisit proprium nomen Guarinus. Comicum fuisse Suidas ait, citatq; haud paucos eius versus hinc inde Athenæus. Mimos eũ scripsisse Aristot. initio Poetices affirmat, sicut & Sophronem & Sotadem: quod cum prioribus non pugnat, quando Sophrónis etiam comœdias Athenæus nominat. neq; obstat, quo minus idem genus scripti vrumq; coluerit. Cæterũ ex his quæ extãt Xenarchi reliquiis, nihil de hoc loco possumus statuere: melius fortasis iudicium facturi, si mimorum aliquid extaret. Videtur autem allusio ista, vocabulorumq; ad suam etymologiam applicatio à Xenarcho vsurpata fuisse: quæ vt comœdiam minumq; deceat, tamen seriæ historiæ parum conueniat. nam Timæus etiam in νικίου παρὰ τὴν νίκλωι nomine luserat, & ad Hermocratem Hermas detorserat: quod in historia βάναυσον, in comœdia non indecorum est, si tempestiuè adhibeatur. quo modo ille Plautinus parasitus Penicu-
li nomen habere se dicit, à detergenda mensa.

2 Stupidi autem hominis.] Hæc mirificè peruersione sua obscurauerat Guarinus. Est autem duplex reprehensio Timæi, quòd & de elocutione cum Philisto contendisset,

*& ea quæ nulla imitatione poterat æquare, superare instituisset: quorum alterum leuiculum, alterum etiã stultum Plutarchus iudicat. Paulo pòst idem Thucydidem cum Pericle ait Reip. profuisse, &c. cum aduersarius eius fuerit, & plerunq; ei repugnans, in exilium tandem ab eo sit actus.*

3 Vt Thucydides.] *lib. 7. vbi de eclipsi solis refert.*

4 In Marica.] ὁ μαεικᾶς, *Maricas, comœdia fuit Eupolidis scripta in Hyperbolum Athenienſem: de quo Plutarchus cùm alibi, tum hoc etiam ipso libro. autor Scholiast. Aristophanis in Ranis. Barbarum esse vocabulum, & patrium cuſum μαεικᾶντος habere, Eustath. in 6. Iliad. ex Herodiano scribit. alij κίναδον exponunt. Cæterùm hi versus propter omissas personas, & quia antecedentia ac sequentia desunt, perobscuri sunt: vt æqui esse debeant, si quibus non satisfecimus. Distinxi personas literis adiectis.*

5 Apud Aristophanem.] *In comœdia quæ inscribitur Equites. Est autem lapsus memoriæ: non enim Cleonis sunt, sed Agoracriti seu Allantopolæ verba respondentis Cleoni. Cæterùm quæ paulo pòst Agamemnonis verba citantur ex Euripide, in Iphigenia sunt Aulidensi. Leguntur verò aliter, aliamq; efficiunt ibi sententiam. Est enim ibi non ὄγκον, sed δῆμον: non fastum, sed populum. & pro τῷ δ' ὄχλῳ est τῷ τ' ὄχλῳ, ac turbæ. Sicut & προσάτῳ γε legitur, non δὲ. Omnino autem is locus videtur totus eò referri, vt ostendat Agamemnon suam (vt principis) vitam totam à populo pendêre, eiusq; esse voluntati accommodandam: itaque ne flere quidem sibi, & suam calamitatem deplorare permissum, quod cuiuis liceat de vulgo. Nulla ibi ὄγκου vel maiestatis mentio.*

6 In Pachetem.] *In Græco mendose* λάχητα, *pro* πάχητα, *quod secutus est Amiotus: nam Guarinus, Lachitam finxit. Loquitur autem de Pachete Epicleri F. qui Lesbum recepit. Vide Thucydidem lib. 3. Diodor. lib. 12. & nostrum ad*

*finem*

*finem Aristidis. Sed & reliquæ historiæ ex Thucydide præsertim repetendæ sunt: quas peruertêre interpretes, pro Delio Bœotiæ insulam Delum ponendo. De Pylo Thucyd. libri 4. initio.*

57 Multa venena.] *Versus est de Aegypto, ex Homeri Vlyssææ lib. 4.*

8 Hyperbolus.] *Vide suprà in Alcibiade. Fuisse Fabrum lucernarum, & pro ære plumbum suppositum, vt eo plus appendêtes maius precium ferrent, annotauit aliquoties Aristophanis interpres. idem in Vespis refert ex Andocide patrem eius stigmatiã fuisse, & in sectoris argentariis populo seruiuisse: & ex Theopompo, ipsum Hyperbolum sexennali ostracismo patria eiectum, in Samo mortuum, eiusq; cadauer vtri inclusum in mare abiectum fuisse. Quod autem carcerem & compedes dixi, in Græco est κύφων, vox ducta παρὰ τὸ κύπτειν. Erat autem lignum, quod aliàs κλοιὸς dicitur, cui fontes ita illigabantur, vt collum eorum deorsum comprimeretur, neq; suspicere possent. Latinorum numella simile nonnihil habuisse videtur.* Hyperbolus. κύφων.

9 Loco quindecim ducum.] *Ita perspicuè in Græco est, & apud Thucydidem lib. 6. Guarinus additos tres prioribus* XV. *falsò dixit: ac de suo addidit, iurare eos coactos, statim finito bello se imperio abdicaturos.*

10 Occupauerit Epipolas.] *Pars est Syracusarum, de qua etiam aliàs. In Græco mendum est ὄπισολὰς: quod secutus Guarinus, nescio quid epistolarum de Niciæ aduentu commentus est. Porrò Thapsus peninsula est propinqua Syracusis, in angusto sita Isthmo: & ad mare porrecta. Thucyd. prope finem libri sexti, in huius rei descriptione. Cuius haud scio an meminerit Maro lib. 3. Aeneidos hoc versu, Pantagiæ, Megarosq; sinus, Thapsumq; iacentem.*

11 Per ocium se deliberaturum.] βουλεύσασθαι καθ' ἡσυχίαν. *Guarinus statim: quod est cõtrarium. Iam quæ de*

*Demosthene inferũtur, omnino sunt eius in versione depraua-*
*ta.* κατὰ τυχὸν τῇ γνώμῃ *facilè apparet esse, sententiam*
*suam cum bono aliquo & commodo eorum quorum interest*
*obtinere: & particula* οὐδὲ *non ad* ἐπάυσατο, *verum ad* κα-
τὰ τυχήσας *pertinet. Legendum porrò multitudinis nume-*
*ro* συνεχώρησαν, *& ad* ἄλλοις, *id est collegas Niciæ reli-*
*quos referendum.*

12 Rotæ.] εἰς τὸν τροχὸν καταδεθεὶς. *Guarinus malè, car-*
*cerem. Erat autẽ rota quæstionibus & tormentis inseruiens,*
*cuius etiam prope finem vitæ Phocionis meminit noster.*

## *PLVTARCHI CRASSVS, GVILIELMO Xylandro Augustano interprete.*

*Genus & vita.*

M. CRASSVS, censorio triumphaliq; patre natus vnà cum duobus fratribus in parua domo educatus est: atque hi quidem viuis etiam adhuc parentibus vxores habuerunt, omnesq; simul eadem sunt vsi mensa. quæ res ei ad temperantiam & frugalitatem haud parum contulisse creditur. Altero fratrũ mortuo, cum vxore eius habitauit, liberosq; eius retinuit: hac quoq; in re satis continentem se gerens. Quanquam ætate progressus dictus est cum Licinia Vestali virgine rem habuisse, eáq; à Plotio quodam rea eius criminis facta est. Possidebat ea suburbanum elegans: id cùm paruo precio redimere Crassus cuperet, eámq; ob rem crebrò eam conueniret, demereturq;, id suspicionis de se præbuit. Hoc ille tamen incesti crimen auaritiæ nomine diluit: neq; enim priùs destitit Liciniam ambire, quàm prædium illud adipiscere-

*Auaricia Crassi.*

tur. Sanè Romani tradunt multis Crassi virtutibus vnum auaritiæ vitium offecisse: mihi id vnum de multis eius vitiis, quod esset reliquis vehementius, cætera obscurasse videtur. Maxima autem eius auariciæ demonstrandæ argumenta habentur modus pecuniæ faciendæ, & facultatum quantitas. Cùm enim initio non vltra trecentorum talẽtorum rem habuisset: posteà temporis cùm adhuc in republica versaretur, decimis Herculi consecratis, exhibito plebi epulo, triumq; mensium frumento in capita à se præbito, ante Parthicam tamen expeditionem inito suarum opum numero,

numero, septies mille, ac centum talentorum summam inuenit. Maiorem horum partem (siquidem veritas etiã male dicto exprimenda est) ex igne & bello confecit, publicis calamitatibus pro summo vsus quæstu. Quo enim tempore Sylla capta vrbe à se interfectorum bona (spolia ipse nominabat) vendidit, cupiens & plurimos, & incontinentissimos ciuium eius piaculi contagio afficere: tum vendendi Crassus, accipiendique nullum finem fecit. Præterea incendia iam domesticum malum, per vrbem grassari cernens, & ædificia multa nimio pondere & domiciliorum multitudine corruere, atq; in se residere: coemptis vltra quingentos seruis, qui architecturæ & ædificandarum domuum essent periti, deinde ædificia vel incensa, vel his vicina à possessoribus, quos metus & incerti rerum euentus mouebãt, vili precio redemit, eáq; ratione magnam vrbis Romæ partem suam fecit. Atq; ipse tot possidens fabros, nihil tamen præter suam domum extruxit: ædificandi studio laborantium vires nullo aduersario à seipsis cõminui dicens. Cùm autem permultum argenti, prædia & operarios ingentis precii possideret, tamen hæc parui facienda duxisset, qui cum mancipiorum eius precio conferret: tot ille, talesque seruos habebat, anagnostas, scriptores, argentarios, dispensatores, structores. His ipse docendis instituendisque præerat, docens domino maximè conuenire curam seruorum, qui rei domesticæ animata essent instrumenta. Non malè Crassus, si quidem ita sensit vt dixit, reliqua à seruis debere, ipsos à domino gubernari. Etenim rationem familiæ administrandæ videmus cùm in tractandis rebus inanimis quæstuaria sit, in hominibus instituendis ciuilem rationem fieri. Id verò non rectè, quòd neminem diuitem esse cẽsuit, qui non suæ pecuniæ fructibus exercitum alere posset: bellum enim non certo modo definitos sumptus (quod bene dixit Archidamus) requirit: vnde ad eam rem infinitæ requirantur diuitiæ. Longè igitur abfuit à Marii sententia. Hic enim cum suis viritim dena quaterna agri iugera diuisisset, ampliúsq; eos requirere intellexisset: Nemo, inquit, Romanorum sit, qui quod agri ad eum alendum satis est, parum existimet. Fuit autem Crassus hospitalis, & omnib. fores eius patebant. Amicis quoque absque fœnore mutuum credebat: sed elapso quod definierat, tempore adeò

*Ratio quæstus.*

*Seruorum cura.*

*Studia Crassi.*

seuerè exigebat, vt ea fœnoris remissio multis fuerit vsuris grauior. Ad cœnam plerunque populares & plebeios
« vocabat: in frugalitate ea mundicies & comitas, vti splendore esset iucundior. Ex artibus liberalibus dicendi artem
« vsui apud populum futuram præcipuè exercuit: disertusq; natura inter primos Romanorum, diligentia & labore ingeniosissimos superauit. Ferunt enim nullam ita exiguam aut abiectam fuisse causam, quam non posset ex tempore
« agere: itaque sæpe Pompeio, Cæsare & Cicerone orare recusantibus, ipse patrocinium suscepit. quo etiam nomine vt diligens & ad opem ferendam promptus fauorē meruit.
« Grata populo etiam eius in congressibus fuit humanitas & facilitas. nemini enim Romano adeò humili aut obscuro obuiam venit, quē salutatus nō nomine vicissim suo compellaret. Tradunt etiam, historiæ admodū fuisse gnarum: & Aristotelicā philosophiam attigisse, Alexandro vsum præceptore. Is homo consuetudine cū Crasso sua ostendit qua esset facilitate & animi lenitate: non enim facilè dixero, pauperiórne ad Crassum accesserit, an apud ipsum factus fuerit quippe solus amicorū vnà peregre proficiscens
2 ab eo lectica accipiebat, eamq; reposcebatur reuersus. Miseram profectò Alexandri patientiam, qui ne paupertatem quidem indifferentis numerò habuerit. verùm de his posteà. Cùm Cinna & Marius rerum potiti statim ostenderent se non commodo patriæ, sed ad necem haud dubiam optimi cuiusq; in Vrbem reuersos, quicunque aduersæ factionis in vrbe deprehensi erāt trucidati sunt, interq; eos Crassi pater ac frater. Ipse Crassus adolescentulus planè, vt in præsentia cædem euasisset, ita circumuentum tamen seà tyrannis, indagariq; sentiens, cum tribus amicis & decem seruis mira celeritate in Hispaniam profugit, vbi olim patrem prætorem in eam prouinciam comitatus amicos sibi parauerat. Verùm hos omnes cùm videret summo esse in metu, & Marii crudelitatem veluti præsentis extimescere, nulli eorum se aperire ausus, in agros Vibii Paciaci maritimos se contulit, ibiq; in ampla satis spelunca delituit, misso ad Vibium seruo qui animū eius exploraret: iam enim victus quoq; deficere cœperat. Vibius superstitem esse Crassum lætatus, cognita comitū multitudine, & loco, ipse quidem in conspectum Crassi non venit: villico autem statim

*Crassus Marium fugit.*

ad se

ad se accito mandauit, vti quotidie cœnam paratam iuxta speluncæ saxum deponeret, eoq; facto tacitus abiret, neq; præterea quicquam curiosiùs inquireret: ita si fecisset, libertatem, sin contrà, mortem præmii loco cõstituens. Spelunca est haud lõgè à mari dissita: circa eam præcipites quidam delectus concurrunt, introq; auram tenuem & obscurã mittunt. Intus altitudo mira, & latitudo satis ampla patet sinub spacioſis intercepta. Neq; aqua deest, neq; lumen: sed & iuxta præcipitia defluit fons aquæ dulcissimæ, & fissuræ saxi natura factæ, lumen, quo id maximè loco externè accidit, admittunt, ita vt interdiu illustretur locus. Aer in specu purus est, minimeque madidus: densitas enim petræ humidum omne ad fontem elidit. Ibi tum delitescenti Crasso quotidie alimenta adferebat villicus, neminem ipse cernens, sed ipsis (vt tempus eius aduentus obseruabant) conspicuus. Cœna autem apponebatur non ad saturãdum modò, sed & ad voluptatem parata. Etenim statuerat Vibius Crassum quàm posset humanissimè tractare, adolescentiam eius suo cum animo reputans, cui profecto esset aliquid gratiæ dandum: qui enim necessaria tantùm suppeditet, eum necessitate id magis facere, quàm studio & voluntate videri posse. Itaq; duas elegantes ancillas secum ad mare duxit, vtq; ad speluncam peruentum est, monstrato aditu, mandatoque vti hilares eò intrarent, abiit. Quas vt Crassus adeuntes conspexit, veritus ne innotuisset hæc latebra, quænam essent, aut cuius rei gratia venissent, percõtatus est: postquam vero vti fuerant instructæ, quærere se dominum ibi latentem responderunt, cognita Vibii erga se humanitate ac vrbanitate, ad se puellas recepit, retinuitque deinceps secum, & earum ministerio quæ vellet Vibio renunciauit. Harum se alteram iam grandæuam vidisse, sæpeque hæc omnia eam studiosè narrantem audiuisse affirmat Fenestella. At Crassus, cùm ad hunc modum per octo menses absconditus egisset, simul ac de obitu Cinnæ certior est factus, manifestauit seipsum: factoq; ad eum multorum hominum concursu, delectis bis mille quingentis circum vrbes profectus est, vnamque Malacam (vt quidem perhibent: ipsum enim ferunt summa contentione id negasse) diripuit. Inde contractis nauibus in Africam traiecit, seque Metello Pio coniunxit, illustri viro, & qui tum

*Speluncæ Crassi.*

*Vt se Sylla adiunxerit.*

haud contemnendas conduxerat copias. Sed ibi non diu permansit: verùm orta ei cum Metello discordia, ad Syllam sese contulit, apud eumq; inter præcipuos habitus est. Sylla vbi in Italiam peruenit, cupiens omnium iuuenum opera vti, alios aliis negociis præfecit. Ita Crassus ab eo in Marsos ad scribendum militem missus, quòd per hosticum esset sibi eundum, stipatores petiit. respondit Sylla iratus aliquanto vehementius, Custodes, inquiens, do tibi, patrem, cognatos, amicosq; tuos, quorum ego iniustè cæsorum necem persequor. Hoc dicto iritatus, statim abiit Crassus, ac vi perrupit per hostes, collectoq; magno exercitu, strenuè se in rebus gerendis Syllæ præbuit. Illæ (vt traditum est) primùm res contētionem gloriæ inter Crassum Pōpeiúmque excitarunt. Etenim Pompeius & minor ætate, & patre qui apud ciues in summo odio infamiaq; fuisset ortus, eo in bello tantum splendoris sibi parauit, vt Sylla (quem honorem paucis seniorum & æquali honore præditorum habuerat) accedente eo assurrexerit, caput retexerit, imperatoremque eum salutauerit. Hæc vrebant, stimulabantque Crassum, cùm quidem non iniuria Pompeio postponeretur: nam & peritia destituebatur, innataque vitia, turpis nimirum cupiditas lucri, & sordes, gratiam rebus gestis eius adimebant. Quippe cùm Tuder Vmbriæ vrbem cepisset, delatus fuit apud Syllam, quasi magnam pecuniæ partem peculatus esset. At verò in pugna apud Romam, quæ eius belli & maxima fuit, & vltima, victo Sylla, iisque quos ducebat pulsis, & nōnullis cęsis, Crassus dextri cornu dux vicit, hostesque fugientes vsque ad noctem insecutus, misit ad Syllam, qui sibi militibusque cœnā poscentes rem præclarè gestam indicarent. Rursum in proscriptionibus & bonorum publicationibus malè audiuit, magna paruo precio redimens, vel etiam dono sibi dari postulans. In Brutiis fertur quendam proscripsisse non Syllæ iussu, sed vt pecunia potiretur: ideoque Syllam indignatum, eius opera nullo posteà in publico negocio vsum. Et quidem Crassus adulando quosuis homines suos efficere apprimè norat: sicut contrà à quibusuis adulatione facilè circumueniebatur. Id quoq; peculiariter de eo memoratur, cùm esset lucri cupidissimus, eodē vitio laborantes maximè solitum odisse & maledictis inuadere. Vrebat autem cum Pompeius rebus

*Aemulatio eius & Pompeij.*

bellicis

bellicis vigens, triumphumque, antè quam senator fieret, agens, Magniq́ue à ciuibus cognomen ferens. Aliquando cùm accedere Pompeium Magnum quispiam dixisset, ridens, Quantus, inquit, tandem? Cæterùm vbi vidit se bellica gloria Pompeium adæquare nullo modo posse, ad res ciuiles se contulit, studium suum deferendo, patrocinando, mutuam pecuniam præbendo, eos qui à populo aliquid peterent adiuuando, vnaq; ambiendo potentiam sibi gloriamq́ue parans parem ei, quam multis magnisq́ue bellis gestis Pompeius adeptus fuerit. Itaque (quod rarò accidit) Pompeij nomen absentis, potentiaque maior in vrbe erat, ob rei bellicæ laudem: præsens Crasso sæpe inferior fuit. Quippe Pompeius fastu vitæ quodam elatus turbas hominum fugiebat, forumque vitabat, paucisque eorum, qui opem eius implorabant, neque id promptè admodum, patrocinabatur: ratus integriores se vires suas habiturum, si ijs in suis modò rebus vteretur. At Crassus assiduè se vtendum ciuibus præbens, neque rarò aut difficulter se aditi patiens, sed in aliorum negocijs curandis nunquam non versans, populari sua humanitate maiestatem illius superabat. Nam dignitatem corporis, facundiam, vultumq; ad sui gratiam allicientem, hæc in vtroque fuisse aiunt. Non tamen hæc æmulatio Crassum ad inimicitias aut maleuolentiam prouexit, neq; ambitioni odium malignitatemve adiecit, quantumuis Pompeium Cæsaremq́ue honore ipsum anteire ægrè ferret. Ac tametsi Cæsar in Asia à prædonibus captus & in custodiam datus exclamauit, Quanto, Crasse, fruére gaudio, si me captum cognoueris: tamē postea temporis amicè vixerunt. Quin etiam Cæsarem, cùm prætor in Hispaniam abiturus pecunia egeret, & creditores eum inuaderent, iterque impedirent, Crassus non destitit, sed profectionem eius expediuit, ipse pro eo DCCCXXX. talenta spondens. Omnino in tres factiones diuersas Roma tum abierat, quarum videlicet erant duces Pompeius, Cæsar, Crassus: nam Catonis gloria & admiratio, quàm potentia maior erat. Pompeium prudentiores & mansuetiores colebant: mobiles & inquieti, Cæsaris spes sequebantur: Crassus medium tenens vtrisque vtebatur, crebroq; in republica mutatus, neque amicus certus, neque implacabilis inimicus erat, facilè vel gratiam vel iram commodi sui causa deponens:

*Moderatio animi in æmulatione.*

*Tres Romæ factiones.*

ponens: itaq; sæpe paruo temporis spacio eosdem & homines & leges modò accusare, modò defendere cernebatur. Valebat & gratia, & nõ minùs metu. Quamobrem Sicinius, quo non alius plus molestiæ sua tempestate in magistratu aut republ. versantibus exhibuit, interrogatus cur solum « Crassum non inuaderet, Quia, inquit, fœnum habet in cornu. solebant enim Romani boum, qui cornu feritent, fœno circumligare cornua, vt obuij cauendum sibi ab ijs esse scirent. Porrò autem gladiatorum defectio, & Italiæ depræda-

*Bellũ Spartacium.*

tio, quod pleriq; bellũ Spartacium nominant, hanc habuit originem. Lentulus quidam Batiatus Capuæ gladiatores alebat: ex his pleriq; Galatæ erant, atque Thraces, nullum ob flagitium, sed iniquitate emptoris inclusi vti spectaculis gladiatorijs depugnarent. Ex his ducenti aufugiendi consilium tractauerunt: sed re per indicium delata, septuaginta & octo (qui maturiùs indicium factum senserãt) antequam deprehenderentur, carcere exiluerunt, arreptis ex coquina quadam cultris atq; verubus: cumq; in itinere in currus aliquot incidissent, arma gladiatoria in aliam quandam vrbem vehentes, diripuerũt ea, armatiq; ijs, locum munitum occupauerunt, tribus sibi ducibus præfectis. Fuit inter hos primus, nomine Spartacus, Thrax eorum ex genere, qui incertis habitationibus vagando Nomadum nomen meruerunt: vir non animosus modò & robustus, sed & prudentia manſuetudineq; fortuna sua superior, magisque ad Græcos mores compositus, quã patria ferret. Ei (vt narrant) cũ primùm Romam venalis esset adductus, dormienti draco caput circumplicasse visus est: vxor autem eandem cum eo habens patriam diuina, & Bacchico furore correpta, signum id esse dixit magnæ & terribilis potentiæ, qua is esset cum fœlici exitu potiturus. Eadem tunc quoque vnà effugerat, & aderat viro. Ij tum gladiatores primùm repulsis qui a Capua insecuti eos fuerãt, multisq; armis bellicis potiti, abiectis gladiatorijs istis, vt indecoris & barbaricis, nõ sine gaudio militarem in morem armati sunt. Missus deinde Roma est contra eos Clodius prætor cum tribus virorũ millibus: obsediteq; eos in monte vnum tantum habente angustumq; aditum, quẽ & ipsum insederat custodia: cętera montis præcipitia ambiebant, asperæque cautes, & multa sylvestri vite omnia integebantur. Gladiatores verò palmites, quos vsui

ad eam

ad eam rem esse sentiebant, cædentes, scalas ex ijs validas cõtexuerunt, itaq; longas, vt supernè de præruptis saxis demissæ, subiectam planiciem attingerent, tutò omnes per eas descenderunt, vno excepto: qui deijciendis armis relictus, cùm esset suo munere functus, ipse quoq; vltimus euasit. Atq; ita fefellerũt Romanos, vt subitò eos adorti, impro- *Victoria Spartacorum.*
uisa re primò in terrorem, pòst in fugam coniecerint, ac castra ceperint. Secundũ hoc multi se eis incolæ eorum locorum pastores adiunxerunt ac bubulci; homines audaces & cursu celeres: quorum partem armauerunt, reliquis præcursoribus & expeditis militibus vsi sunt. Missus est deinde aduersus eos prætor P. Varinius. Huius primùm legatũ Furium cũ duobus militũ millibus prœlio inito fuderunt: deinde consiliarium collegamq; eius Cossinium missum cum magno exercitu, cùm lauare apud Sabinas obseruassent, parum abfuit quin citra prœlium arripuissent: ægrè vixq; elapsis statim impedimenta Spartacus cepit, fugientis premens vestigia non sine magna cæde, castris potitus est, interfecto etiam Cossinio. Ipsum autem prætorem cùm multis alijs pugnis superasset, tandem captis lictoribus equoq; eius, magnum terribileque suum nomen reddidit. Atq; is in eo tum statu id quod res erat cogitans, ne sperandum quidem posse à se Romanorum potentiam superari, ad Alpes duxit: optimum ratus, vt ijs superatis in patriam suam, Galliam alij, reliqui Thraciam discederent. Sed qui eum ducem fecerãt, multitudine iam roborati, animisq; elati, consilio eo repudiato, Italiam peruagando populari maluerunt. Itaque non dedecore iam defectionis eius, sed terrore & periculo motus senatus, vtrumq; consulem tanquam ad difficillimum & maximum bellum miserunt. Ex his Gellius Germanos, qui superbia & audacia adducti se à Spartacijs diuulserant, subitò adortus ad internecionem deleuit. Lentulum verò magnos sibi exercitus circumfundentem prœlio subsistere ausus Spartacus, legatos eius fudit, & impedimentis potitus est. Ad Alpes autem contendenti Cassius Galliæ Cisalpinæ præfectus cum decem armatorum millibus occurrit, victusque multis suorum amissis vix ipse fuga salutem inuenit. Hæc postquam comperit senatus, consulibus iratus vti quiesceret mandauit, Crassum belli eius ducem constituit: multique nobilium huius auspicia vltrò secuti sunt, gloria amici- *Crasso bellũ Spartacium mandatur.*

amicitiaque eius moti. Crassus in agro Piceno substitit, vt Spartacum eò (vt putabat) iturum exciperet: Mummium legatum cum duabus legionibus misit, vti hostem circumueniret, eumque à tergo insequeretur, ad prœlium verò prouocare, aut confligere omnino caueret. Sed Mummius prima spe victoriæ oblata, prœlio facto victus est: multiq; Romanorum cæsi sunt, multi abiectis armis fugerunt. Acerbè Mummium Crassus accepit, militibus cũ rursus arma traderet, petijt sponsores, qui eos arma seruaturos reciperent. Quingentos autem primos, & qui maximè fugæ fuerant autores, in quinquaginta decurias diuisit: ex his decimum quenque sorte ductum morte mulctauit. Id vetustum supplicij militaris genus multo tempore omissum reduxit, in quo pœnæ etiam turpitudo adest, multaque omnibus inspicientibus horrenda peraguntur. Ita castigatum exercitum contra hostem duxit. Sed Spartacus per Lucaniam ad mare concedens, cùm ibi naues piratarum Cilicum offendisset, statuit in Siciliam traijcere: immissisque eam in insulam duobus suorum millibus, rursus ibi bellum seruile, haud ita pridem sopitum, ac exiguo tantùm aliquo fomite opus habens, resuscitare. Cilices acceptis donis, operaque sua obligata, deluso Spartaco inde soluerunt. Itaque is rursus à mari recedens, copias in Cherronesum apud Rhegium transtulit. Crassus vt superuenit, doctus ab ipsius locinatura quid faciendum esset, Isthmum munitione includere statuit, vt simul & ocio milites, & commeatu hostes prohiberet. Magnũ id opus, & difficile præter omnium opinionem modico temporis spacio perfecit, fossa à mari ad mare perducta, longitudine trecentorum stadiorum, latitudine & profunditate quindecim pedum: eique fossæ miræ altitudinis roborisq; murum imposuit. Spartacus primò id opus spreuit, ac neglexit: at postquam præda destitutus pergere statuens cognouit de munitione abiecta, ita vt nihil ex peninsula capere liceret, noctem niualem, ventumque hybernum nactus, terra, aliaque materia, & arborum ramis ingestis partem haud magnam fossæ complanauit, tertiamque copiarum partem per eum locum traduxit. Crasso verò metuenti ne Spartacus Romam versus ducere intenderet, animum reddidit hoc, quòd multi per dissensionem ab eo defecerant, & seorsim apud Lucanam paludem castra fecerãt:

*Declinatio.*

quam

quam mutatione temporis dulcem, rursumq; salsam & potui incommodam fieri asserunt. Hos adortus à palude repulit Crassus: Celeriter tamen superueniente Spartaco, & fugam inhibente, insequendi & cædendi occasionem amisit. Scripserat iam antè ad Senatum, Lucullum ex Thracia, Pompeium ex Hispania ad id bellum euocandos: mutato autem tum consilio (quippe haud nescius nõ sibi, sed ei qui suppetias latum aduenisset, victoriæ laudem adscriptum iri) ante eorum aduentum finem bello imponere contendit. Primùm itaq; statueus eos adoriri, qui defectione facta seorsim castra habebant, ducesque C. Cannicium & Castam, sex millia suorum misit, qui tumulũ quendam occuparent, & omni studio hoc agerent, ne ab hostibus conspicerentur. Verũ hoc tametsi fallendi gratia cassides texerant, duæ mulieres ante hostium castra sacrificãtes deprehenderunt: summoque fuissent in periculo, nisi celeriter Crassus auxilium tulisset. Ita prælium (quo vix aliud acrius) commissum est: in quo Crassus de XII. millibus hostium ac trecentis occisis, duos tantum à tergo vulneratos reperit: reliqui omnes versis in hostem frontibus, & pugnauerant & ceciderant. Spartacum audita horum clade ad montes Petilinos recedentem Quintus Crassi legatus & Scropha quæstor vestigijs inhærentes sequebantur: hos ille conuersus in fugam compulit, ita vt vix erepto quæstore (is enim vulnus accepe-rat) euaserint. Hæc victoria Spartacum perdidit, animis fugitiuorum inflatis iam, vt neque pugnam porrò subterfugere, neq; obtemperare ducibus vellent, sed eos armati circumsistentes, cùm aliò tenderent, retrò per Lucaniam ducere contra Romanos cogerent: cupidi cum Crasso confligere, cùm iam de aduentu Pompeij esset renunciatum. Et quidem Romæ quidam in concionibus dictitabant, Pompeio huius belli victoriam deberi: eum simul atque venisset, pugna commissa debellaturum. Hac de causa decernere pugna cum hostibus cupiens Crassus, fossam egit, ad quam exilientes fugitiui, operarios inturbabant. Subinde autem vtrinque suis auxilio cùm venirent, necessitatem ita exigere cernens Spartacus, totum exercitum in aciem eduxit: adductoque ad se equo, stricto gladio effatus, victorem se multos & pulchros de hoste equos capturum, victo equi nullum vsum fore, equum confodit. Inde Crassum ipsum per arma

*Victoria de Spartaco.*

ac vul-

ac vulnera multa petens, eum quidem non est assecutus, duòs autem centuriones congressos obtruncauit. Tandem suis fugientibus, stans ipse pugnansq; contra eos a quibus fuerat circundatus, ità occisus est. Enimuerò tametsi id bellū & fortuna, & arte optima gessit Crassus, & corpus in pugnæ discrimen adduxit, rei gestę tamen gloria Pompeij nomen nō effugit: is enim quidquid hostium prœlij fortunam euaserat, deleuit. Itaq; ad Senatum scripsit, Crassum quidem fugitiuos præclara pugna deuicisse, at se radicem belli extirpasse. Proinde illustrē de Hispania & Sertorio triumphum

*Ouatio Crassi.* Pompeius duxit. Crassus triumphum ne ipse quidem petere ausus est: quin & ouatio de seruili bello, parum dignè & pro maiestate honoris data videtur. quæ duo vt differrent, tum quæ nominum ratio, in Marcelli vita prodidimus. Secundum hæc cùm vltrò ad consulatum Pompeius vocaretur, Crassus tametsi spem habebat se ei collegam futurum, Pompeium tamen vt sibi ea in petitione esset adiumento orare non abhorruit. Neque id nolenti fuit Pompeio, quippe qui sibi gratiam aliquam à Crasso deberi iamdudum obscurè cupiuisset: itaq; summo studio eum iuuit, & ad extremum in

*Cos. cum Pompeio.* concione dixit, si collega sibi Crassus daretur, id se haud minus gratum habiturum, quam ipsum consulatum. Sed enim magistratū adepti non eandē beneuolentiam retinuerunt, ac parū abfuit, quin omnibus de rebus dissidētes, semperq; cōtendentes inuicem & obiurgantes, consulatū istum nulla re gesta nobilē exigerent. Quid enim egit Crassus, nisi quòd Herculi magno exhibito sacrificio, decem millibus mensarum epulum populo præbuit, frumentumque in tres menses largitus est? Cùm iam sub exitum consulatus sui Pompeius & Crassus in concione adessent, Onatius Aurelius, eques Romanus, vir neq; illustris, & agrestis rúdisque vitæ, suggesto conscenso tale suum insomnium recitauit. Iouem sibi dormienti apparuisse, ac mandasse vti publicè moneret populum, ne priùs abdicare se magistratu consules sineret, quàm ij in gratiam mutuò redijssent. Hæc illo dicente, populoque vt offensis positis reconciliarentur hortante, cum

*Recōciliatio eorum.* Pompeius quietus staret, prior ei Crassus dextram iniecit, &, Non, inquit, existimo Quirites abiectè me, meaque personæ inconuenienter agere, quòd cū Pompeio redintegrandæ beneuolentiæ initium ipse facio, cū vos imberbem

adhuc

adhuc eum Magni cognomine ornaueritis, nondum in senatum adscito triumphum dederitis. Hæc in suo consulatu dignaq; referri Crassus egit. In censura autem, tametsi Romanorum mansuetissimũ Lutatium Catulum collegã habuit, prorsus tamen actũ est nihil: nam neq; Senatus neq; equites examinati, neq; census fuit populus. Hoc traditum est, Crasso rem arduam & violentam agitanti, nempe vt Ægyptum Romanis stipendiariam faceret, Catulũ acriter restitisse: inde orta controuersia, eos magistratu vltrò sese abdicasse. Porrò in Catilinaria cõiuratione, quæ res ardua propè rem Romanam euertit, venit etiam Crassus in suspicionem: & progressus quidam, eum quoq; inter conspirationis socios nominauit. nemo tamen ei indicio fidem habuit. Et ipse quidem quadã in oratione Cicero haud obscurè Crassum & Cæsarem eius seditionis reos facit: sed ea post vtriusque mortem edita est. In volumine autem, quod de suo consulatu composuit, Crassum scribit noctu ad se accessisse, & literas attulisse de Catilina & quæsitas * quo indicio confirmauerit coniurationem. Eam ob rem Crassus tametsi Ciceronem perpetuo odio est prosecutus, ne tamen palam vlciscereturr, filium suum impedimento habuit Publium: is enim philosophiæ deditus, ita obseruabat Ciceronem, vt eo in iudicium vocato vestem mutauerit, effecerit-que vti idem etiam reliqui iuuenes facerẽt, & ad extremum persuasit patri, vt cum Cicerone amicitiam iungeret. Cæsar vt ex prouincia reuersus cõsulatus petẽdi causa, Pompeium & Crassum rursus inimicitias exercere sensit; cum neque alterutro sibi conciliato alterius odium incurrere consultum putaret, & neutro sibi opitulante obtenturum quod peteret diffideret, in eo fuit, vt eos in gratiam reponeret. Itaque monendo assiduè, fore vt ipsi mutuò attritis viribus Ciceronibus, Catulis, & Catonibus summam rerum traderent, quorum nullum esset futurum nomen, si ipsi amicitia & factionibus iunctis, vno consilio vnisque viribus rempubl. regerent: his rationibus eos in gratiam reduxit, non illos magnos mutuo auxilio, sed seipsum vtrorumque opera maximum efficiens. Ita trium istorũ coniuncta potentia, omni aduersariorũ vi superior, senatus tandem, populiq; Romani potestatem euertit. Proinde statim eorum studio consul creatus Cæsar, copiæque ei & bellum Gallicum decretum,

*Crassus censor.*

*Catilinæ cõiuratio.*

*Cæsaris, Crassi, & Pompeij cõspiratio.*

quo

quo pacto sanè quasi in arce collocatus fuit. At eo hunc in modum amoto Pompeius & Crassus putabant se confirmato ei hoc imperio, absque labore reliqua pro suo inter se diuisuros arbitrio. Quæ quidem vt ita ageret, ambitio Pompeium mouit. Crassum ad veterem auariciam noua triumphorum ac trophæorum, flagransque instigabat cupiditas, Cæsaris victorijs incitatum: itaque cùm se cæteris rebus superiorem, hac vna in parte cedere videret, non priùs finem ei cupiditati statuit, quàm sibi ipsi turpe exitium reipublicæ magnas calamitates parauit. Res ita gesta est. Cæsar cũ Lucam ex Gallia venisset, eò ad ipsum cùm alij multi Romani, tum Pompeius etiam Crassusque profecti sunt: priuatimq; cum eo congressi, statuerunt maiori studio propositum exequi, totamque rerum summam in suam trium potestatem redigere: id autem fieri posse ita videbatur, si manente in armis Cæsare, ipsi alias prouincias & exercitus acciperent. Eam ad rem vnica erat via, alterius cõsulatus petitio: quam Cæsar & amicorum opera, & missis ad comitia obeunda militibus adiuuaret. His ita constitutis Romam reuersi, statim in sinistra suspicione fuerunt, & obtinebat rumor, nequaquam optimo publico conuentum Lucæ fuisse. In senatu Pompeius à Marcellino & Domitio interrogatus, essetne petiturus consulatum, incertum se esse respondit: rursumq; interrogatus, bonorum non malorum ciuium causa se ambiturum dixit. Superbiùs hæc & inflatius responsa videbantur: Crassus moderatiùs, Ambiturum, si ita vsui esse reipublicæ putaret; sin minùs, cessaturum. Quo factum est, vt & alij quidam petere consulatum auderent, interque hos Domitius. Verum vbi & Crassus ac Pompeius ambitionem dissimulare cessauerunt: reliqui terrore obiecto destiterunt. Domitium Cato familiarem suum & necessarium enixè hortatus est, & confirmauit, vti ne spem dimitteret propositam, cùm quidem pro libertate patriæ propugnaret. non enim consulatum à Pompeio & Crasso, sed tyrannidem quæri: neque id agi vt magistratum, sed vt prouincias & exercitus arripiant. Hæc ita & sentiens & dicens Cato, tantùm non vi in forũ protraxit Domitium: multique se ijs coniunxerunt, multis mirari subibat, quidnam isti duo consulatu opus haberent? cur simul iterum, non cum alijs? quasi verò nemo Romæ esset dignus qui Crassi aut Pompeij collega esset?

*Cõsulatus secundus Crassi.*

esset? Eo territi isti, nulla turpi aut violenta actione abstinuere, dum propositum tenerent: quin & præter reliqua facinora, Domitium nocte adhuc cum sua factione in forum descendentem per insidias aggressi, seruum qui lumen gerebat obtruncauere, Catonem aliosq; consauciauere, fugatisq; ijs & in ædes proprias compulsis, ita demum consules creati sunt. Paulo pòst curiam armatis cingẽtes, Catonemque foro expellentes, quosdamque resistere ausos interficientes, ita Cæsari imperium in alios quinque annos prorogauerunt, sibi ipsis prouincias Syriam & vtranque Hispaniam decreuerũt. Sortiti, Syriam Crassus, Hispaniam Pompeius accepit: quæ quidem sors omnibus placuit. Nam & populus Pompeium haud procul ab vrbe abesse volebat: & ipse amore coniugis plerumq; apud Romam statuerat agere. At Crassus, simul atque sors exijsset, haud obscurè gaudium tulit, quippe qui nihil sibi ad eum vsque diem felicius eueniisse putaret. Itaque vix se continuit, quin apud multitudinem & nihil ad se attinentes homines animi sensum effutiret. At apud domesticos noua multa & puerilia iactitabat, præter & ætatem suam & ingenium. Etenim natura minimè iactabundus, & ab inani fastu alienus, subitò tum inflatus, ac perditus, non Syriam, non Parthos finem suæ fortunæ statuebat, sed quasi effecturus vt pro ludicris haberentur Luculli contra Tigranem, & Pompeij aduersus Mithridatem res gestæ, ad Bactra vsque & Indos & Oceanum extra ambientem spes suas extendebat. Et verò in lege de his prouincijs lata, nulla Parthorum inerat mentio: sed nemo ignorabat contra eos bellum animo agitare Crassum: & Cæsar missis ex Gallia literis, propositum laudabat, & ad id bellum gerendum adhortabatur. Enimuerò Ateius tribunus plebis impedire profectionem eius statuit, multis ad se congregatis, qui indignarentur Crassum ad bellum hominibus a quibus nulla Romanis orta esset iniuria, imò & pax intercederet, inferendum exire. Eos metuens Crassus, à Pompeio impetrauit, vt exeuntem se comitaretur ac deduceret: magna enim erat huius apud plebem autoritas, ac tunc quoque visus ante Crassum sereno vultu incedere, multos qui egressurum inhibere statuerant, & occlamare, ita sedauit, vti taciti via venientibus excederent. Ateius verò occurrens Crasso, primùm verbis monuit, obtestatusq; est

*Cupiditas belli Parthici.*

*Dira Ateij in Crassũ.*

ne proficiſceretur: deinde viatorem miſit, qui eum retine-
ret. Hoc cum reliqui tribb. plebis nō permitterent, neq; ta-
men viator Craſſum miſſum faceret, ad portam accurrit A-
teius, focumq; cum prunis ardentibus poſuit: vtq; aduenit
Craſſus, odoramẽtis in ignem proiectis ac libato, diras hor-
rendas, atrocesq; ei obnunciauit, Deos quoſdam terribiles
inauditos nominatim ciens, atque inuocans. Has execra-
tiones arcanas atque veteſtas eam ferunt habere vim, vt ne-
mo vnquam, cui eæ fuerint obnunciatæ, exitium effugerit:
ſed & in obnunciantem infortunium reundare: itaq; haud
temerè eas, neque crebrò vſurpant. Propterea tum quoque
Ateio vitio datũ eſt, quòd eam vrbem, cuius nomine Craſſo
ſuccenſebat, tam graui religione obſtrinxiſſet. Craſſus vt
Brũduſium peruenit: mari adhuc ob hyemem nondũ paca-
to, moræ tamen impatiens traiecit, multis amiſſis nauibus.
Cũ reliquis copijs terreſtri itinere per Galatiam iter faciens,
cum regem Deiotarum admodũ grandi natu nouã vrbem
condere videret, ſubſannauit, duodecima demũ hora eum
ædificare dicens. Cui Galata ſubridens: & verò imperator,
inquit, ne tu quidem nimis manè, vt video, contra Parthos
proficiſceris. Sexageſimum iam tum annum Craſſus ſupe-
rauerat, eo autem erat aſpectu, vt etiam grandæuior videre-
tur. Initium rerum gerendarum ſanè ſpem nō fefellit. Nam
*Acta Craſſi bello Parthico.* & Euphratem ponte haud difficulter iunxit, & tutò exerci-
tum traduxit, multasque Meſopotamiæ vrbes deditione
accepit, Zenodotiam, quam Apollonius tyrannide obtine-
bat, ob interfectos ibi centũ Romanos milites iratus admo-
to exercitu cepit, diripuit, & homines diuendidit. Ea dere
imperatorem ſe ab exercitu ſalutari paſſus, magnũ ſibi de-
decus parauit, qui tã leui re geſta contentus eſſet, abiectum-
que animum, & ſpes de maioribus rebus exiguas ſe habere
oſtenderet. Impoſito in eas, quas dixi, vrbes præſidio mille
equitum, ſepties mille peditum, in Syriam hyematum re-
*Craſſi filius.* ceſſit. Ibi ſe ei coniunxit filius à Cæſare veniens, ſecumque
& virtutis ſuæ præmia ferens, & mille equites delectos ad
ducens. Id primùm ſed non alias (ſi ipſam expeditionem ex-
cipias) grauiùs à Craſſo, quàm eo tempore, peccatum fuit.
Procedendum enim fuerat & Babylon ac Seleucia, vrbes
Parthis ſemper infenſæ, petendæ: at ipſe ſpacium ſe ad bel-
lum parandi hoſtibus conceſſit. Iam illa in Syria commo-

ratio

ratio reprehenditur, quæ magis quærendæ pecuniæ, quam imperatorijs muneribus seruierit. Non enim ibi militū delectus, non exercitationes instituit: sed vrbiū reditus ad calculum vocās, multosq; dies in pecunia Deæ quæ Hierapoli colitur in trutina ponderanda cōsumens, populis & regulis numerum militum mittendorum adsignans, acceptaq; eos pecunia onere isto liberans, in magnā sese infamiam & contemptum adduxit. Atq; illa ipsa Dea (siue ea Venus est, siue Iuno, siue Natura, hoc est, ea causa, quæ initia omnibus reb. & semina ex humido, præbet, omniumq; hominibus bonorū principia demonstrat: diuersa enim diuersi sentiunt) hæc igitur Dea primum ei omen obiecit: egredientibus enim eis ex templo, in foribus & filius Crassi, & ipse super eum pater corruit. Iam ex hybernis milites ad se Crassus contrahebat, cùm legati ad eum ab Arsace veniunt, breue mandatum exponentes. siquidem à Romanis missus adsit cum exercitu Crassus, omnino se illud bellum summa vi, hostiliq; animo & implacabili defensurū: sin (vti auditu acceperit) inuito P. R. Crassus sui lucri causa Parthis arma intulerit, regionemque inuaserit, mediocri animo id Arsacen ferre, & Crassi senectutem miserari, atque ideo Romanos, qui in Mesopotamia inclusi veriùs, quam in præsidio positi detineantur, liberos dimittere. Ad hæc Crasso superbè respondente, Seleuciæ se responsurum: maximus natu inter legatos Vagises, risum sustulit, monstratoq; supinæ manus medio, Priùs, inquit, hac in palma pili enascentur, quàm tu Seleuciam cernas. His actis legati ad regem Orodem se contulerunt, bellum esse gerendum indicantes. Cæterùm ex vrbibus Mesopotamiæ, quas Romanos præsidio tenuisse diximus, quidam non sine summo periculo elapsi, ad Crassum peruenerunt, haud leues res renunciantes. Ipsi enim & multitudinem hostium viderant, & quæ in oppugnandis vrbibus ij egerant: quæ omnia inflatiùs, vti fit, & terribiliùs referebant: Parthos neque effugere insequentes, neque fugientes assequi quenquam posse: volucria tela eorum oculorum aciem præuertere, & quiduis penetrare: ita esse facta arma cataphractorum, vt nihil ijs resistere, omnem ipsa vim sustinere possint. Hæc audita, militum animos fregerunt. Etenim exīstimauerant, Parthos nihil ab Armenijs aut Cappadoci bus differre, quos agitando & vexando fatigatus fuerat Lucullus:

*Legatio Parthi.*

*Nuncij de rebus Parthicis.*

cullus: etenim nihil sibi eo bello difficilius longitudine itineris, & insecutione hostium manum conferre fugientium fore. itaq; præter spem eis accidit, mentionem certaminum & grauium periculorum audire. Quare etiam procerũ quidam autores Crasso fuerunt, vti ne pergeret, sed nouam de toto negocio deliberationẽ proponeret: inter quos etiam Cassius quæstor fuit. Aruspices etiã Crasso aduersa, & expiatu difficilia in sacrificijs portendi subindicabant. Neq; his tamen Crassus, neq; vlli qui aliud quam festinare suaderet, obtemperauit. Maximè eum Artabazus Armeniorum rex in proposito confirmauit. Is enim cum sex equitum millibus in castra venit, qui regis modò satellites & comites dicebantur: pollicitus alia decem millia cataphractorum, & triginta peditum millia, ijsq́ se ipsum alimenta daturum. Idem Crasso consuluit, vt per Armeniam in Parthiam inuaderet: ita enim & commeatus copiam se præsente habiturum, & turò profecturum, obiectis exercitui montibus multis, collibusq́; perpetuis, & locis equitatui (in quo vno omnis Parthorum vis esset) incommodis. Crassus studium eius, & splendidum auxilium vtcunque gratum habuit: iturum autem se dixit per Mesopotamiam, vbi multos, bonosque Romanos reliquisset. Secundum hæc Armeniæ rex abijt. At Crasso iuxta Zeugma exercitum traducente, multa ingentia tonitrua, multa ex aduerso exercitus fulgura eruperunt, ventus nubi & procellæ permixtus in rates eius incubuit, magnamque partem perfregit: locus etiam castris destinatus, duobus est fulminibus ictus: equus vnus ex prætorijs splendidè ornatus, vi secum sessorem in aquam abripuit, cumq́ eo submersus perijt: ferunt etiam primam ex aquilis sponte sua retrò auersam cùm trãsportaretur. Postquam fluuium transgressis militibus alimenta diuidi cœptum est, primò omnium lentes ferunt & salem distributos, quæ Romani funesta esse ducunt, & mortuis apponunt. Ipsiq; Crasso in concione ad milites vox excidit, quæ grauiter animos eorum perturbauit: pontem enim se rescissurum dixit, ne quis eorum reuerti posset. quã vocem cùm sentiret incommodè elapsam, ac deberet eorum causa quos illa terruerat corrigere & explanare, præ superbia neglexit. Denique cum lustrale pro exercitu sacrũ faceret, viscera ei ab aruspice tradita, manibus exciderũt: quo cùm vehementer commotos vide-

*Artabazus Crassum instigat.*

*Ostenta.*

videret adstantes, subridens. Hæc est, inquit, senectus: arma tamen nobis ex manibus non elabentur. Proinde iuxta fluuium copias produxit, quæ constabant septem legionibus, equitum millibus propè quatuor, totidemq; ferè leuis armaturæ militibus. Interim quidam eorum qui exploratum præmissi fuerãt, renunciant regionem hominibus vacuam esse, in multa verò equorum se incidisse vestigia retrò auersa, tanquam in fuga. Hoc & Crassum in magnam extulit spem, & militibus contemnere iã Parthos subibat, tanquam manum conserere non ausuros. Nihilominus tamen Cassius iterum Crassum monuit, vt in vrbe aliqua, quæ Romano præsidio esset munita, interim exercitum contineret, dũ certi aliquid de hostibus cognosceret: sin hoc nollet, at secundum amnẽ Seleuciam duceret, ita & annotinas naues expeditum commeatum militibus præbituras vnà cum exercitu per flumen ductas, & flumen ne circumueniri ab hoste possent præsidio futurum. De hisce rebus Crasso adhuc deliberante, venit ad eum Ariamnes Arabum regulus, fraudulentus homo, & versipellis, omniumque malorum, quæ ad parandum Romanis exitium fortuna contulit, summum atq; validissimum. Hunc sciebant nonnulli qui cum Pompeio militauerant, vsum ipsius nonnihil humanitate, & Romani populi studiosum habitum. Tunc à regijs ducibus ad Crassum erat submissus, vt eum conaretur quàm longissimè à fluuio, & locis inclusis in vastas planicies abducere: quidnis enim potiùs facere, quam à fronte aggredi Romanos statuerant. Ergo barbarus vt ad Crassum venit, homo satis facundus laudare beneficia Pompeij, Crassum qui tantas haberet copias, felicem dicere, cunctationem incusare, inq; apparando moram: quasi verò (inquit) arma tibi defutura sint, non manus ac pedes quàm celerrimi, contra eos homines, qui iampridem in eo sunt vt correptis pretiosissimis quibusq; reb. & hominibus in Scythiam aut Hyrcaniam auolent. Quinetiã si pugnare animus erat, maturato opus fuit, priusquã rege animũ recipiente omnes hostium copiæ cõuenirent: nunc enim Surena modò, & Sillaces obiecti vobis sunt, vt insecutionẽ reprimant, rex ipse nusquam apparet. Horũ quidem nihil erat verũ. Statim enim Orodes in duas partes diductis copijs, cũ altera ipse Armeniam populabatur, vlciscẽs Artabazum: Surenam cũ altera Romanis

11 *Ariamnes Arabis dolus.*

obuiam miserat. Neq; id contemptu Romanorum, vt quidam putant. neq; enim conueniebat eum qui Crassum, primarium inter Romanos virum, aduersarium dedignaretur, Artabazo bellũ facere, & Armeniæ pagos excindere: sed videtur potiùs periculo territus, euentũ rei expectare voluisse, & Surenam hostibus opposuisse, qui pugnando eos detineret. Non enim de media aliquis plebe homo erat Surena: sed vir opibus, genere, ac gloria post regem primus, virtute & peritia omnibus sui temporis Parthis præstans, neq; eum magnitudine & pulcritudine corporis quisquam æquabat. Quoties expeditionem faceret, mille vtebatur camelis ad impedimenta ferenda, ducentis curribus pellices vehebantur: mille cataphracti, plures leuis armaturæ equites comitabantur, & omnino equitum, clientium, seruorumq; quos secum ducebat numerus decem millia explebat. A maioribus hunc honorem habebat, vt creato regi Parthorum primus ipse diadema imponeret. Idem hunc ipsum Oroden regno pulsum reduxerat, Seleuciam magnam ei ceperat, cùm quidem primus in murum ascendisset, suaq; manu aduersos se ei offerentes repulisset. Eo tempore nondum triginta natus annos, summam prudentiæ & calliditatis laudem obtinebat: quibus sanè plurimum Crasso nocuit, quem audacia primùm & fastus, metus deinde & calamitates, fraudibus obnoxium redegerant. Enimuerò Ariamnes cùm in suam sententiam pertraxisset Crassum, auulsos à flumine Romanos per medios duxit campos. Iter initiò commodum fuit & expeditum: graue deinde, cùm & arena profunda exciperet, & planicies arboribus aquaque carentes, quarum nullus finis visu attingi posset. Itaque non modò præsiti & difficultate itineris animos despondebant, sed & facies ipsa loci ingentem mœsticiam adferebat, non plantam, non riuum, non montis prominentiam, nõ herbam cernentibus, sed immensis solitudinibus horribilibusq; ambitis. Etiam tum fraudem esse plerique suspicabantur. Iam & ab Artabazo Armeniæ rege missi aderant qui Crasso nunciarent, regem magno ab Orode bello premi, ita quidem vt promissum auxilium præstare in præsentia non possit. dare autem eum Crasso hoc consilij, potissimùm vt ipse quoq; in Armeniam veniat, vt ibi coniunctis viribus contra Parthum decertare possint: sin verò, at hoc modo iter faceret, vti semper

*Surena.*

*Legatio Artabazi.*

per

per loca equitatui æqua vitans, in montanis se contineret. ad hæc nihil præ ira & væcordia Crassus rescribens, legatis respondit, Nunc quidem se Armenijs non vacare. mox venturũ, & pœnas proditionis ab Artabazo sumpturum. Rursum ea res indignationem Cassio, reliquisq; eius sententiæ socijs monit: & Crasso, quòd moneri se inique ferret, omisso, priuatim barbarum obiurgabant. Quisnam, aiebant, te malus Genius ad nos adduxit, hominum pessime? quibus veneficijs & præstigijs Crasso persuasisti, vt in vastam solitudinem desertaq; exercitum immitteret, iterque prædonum duci incertis sedibus vaganti, quàm Romano imperatori cõuenientius faceret? Sed Ariamnes, vt erat veterator, submisse illos consolari, hortarique vt paulisper adhuc perdurarent. milites verò vnà cursitans, atque adiuuans, per rivum subsannare: ecquid putarent se per Campaniam proficisci, qui ita fontes, riuos, vmbras & lauacra & diuersoria requirerent: cogitarent potiùs per Arabum & Assyriorum confinia se ire. Hoc modo Romanos eludens barbarus, antequã impostura manifestus fieret, persuaso Crasso, se abire vt hostium res per insidias conturbaret, discessit. Memoriæ traditum est ea die Crassum non punicea, qui mos est imperatorum Romanorum, sed nigra in veste in medium processisse: eamque ab ipso, cùm sensisset, statim mutatam. Quædam etiam signa, veluti infixa, vix magno cum labore conuelli à signiferis potuisse: quos Crassus irridens, iter accelerauit, legionesque coegit equitatum consequi. Iam ex ijs qui præmissi exploratum fuerant pauci ad suos reuersi, socios suos ab hostibus cæsos, se vix effugisse, hostes verò ingenti multitudine ac fiducia pugnatum aduenire annunciabant. Perturbatis eo nuncio omnibus, Crassus attonitus planè, ac præ festinatione non satis quid ageret intelligens, aciem primò vt Cassius monebat instruxit, legionariorum phalangem laxis ordinibus quàm longissimè per campos extendens, ne facilè ab hostibus circumdari posset, equitesq; in cornua distribuens: mox mutato consilio, contractis ordinib. aciem quadratã bifrõtem effecit, cuius singula latera duodecim cohortib. complerentur. singulis cohortib. turmã equitũ addidit, vt nulla pars equestri auxilio destitueretur, sed vndiq; eodẽ modo munita acie hosti occurreret. Cornu alterũ Cassio, alterũ filio cõmisit, medium

agmen ipse duxit. Ita progressi ad amnem peruenerunt, cui Balisso nomen, non abundantem quidem aquæ, militibus tamen in tanto æstu, perpessis præterea magnam in tam laborioso & sicco itinere sitim, oppido gratũ. Plerisq; ducum ibi pernoctandũ castris factis, & cognoscendum rectiùs de multitudine, apparatu & ordine hostium videbatur, manè contra eos eundum. Crassus verò filio, equitibusq; quos ille ducebat, ducere & pugnam conserere iubentibus fidens, ordinem suum tuentes comedere & bibere, si qui vellent, iussit: ac priusquam id omnes fecissent, rursum duxit non sensim, neque vt quiete vires eorum ad pugnam redintegraret, sed properè atq; continenter: donec subitò conspecti à Romanis sunt hostes, præter eorũ opinionem neq; multi, neq; splendidi. Quippe multitudo ea, quæ post principia erat, subsederat, & se occultauerat Surenæ iussu, splendoremque armorum vestibus & pellibus texerat. Postquam prope hostem peruentũ est, datumq; à duce signum, illicò graui sonitu, terribiliq; fremitu tota remugijt planicies. Non enim cornibus aut tubis Parthi prœliũ accendunt, sed pelles cauo aheno inductas malleis vndiquaque simul pulsant: hæc tympana sic perculsa raucum murmur, sonumq; terrificum edunt, quasi fremitu feræ alicuius & tonitru permisto. ac rectè quidem intellexerunt, ab ijs quæ auditu sentiuntur animam facilimè perturbari, affectionesq; istas celerrimè mouere, cogitandiq; facultatem excutere. Eo tum sonitu perturbatis Romanis, subitò Parthi tegumenta armorũ abiecerũt, ardentesq; suas galeas & thoraces, latè rutilante Margiano ferro, ostentauerunt: itidemq; equites æreis & ferreis tecti tunicis. Surena verò maximus ipse & pulcerrimus, fortitudinis gloriam formæ muliebri ornatu minimè exprimebat, Medorũ in morem faciem fucatus, crinemq; discriminatus: cũ reliqui Parthi Scythico adhuc more ad perterrendos hostes comam alerent. Atq; primùm quidem conati sunt infestis contis impetu dato primam aciem disijcere: sed vbi stipatos ordines, constantiamq; in ordinibus tuentes Romanorum senserunt, retrò abierunt, cumque dissipatorum speciem præberent, & ordines soluentium, imprudentibus hostibus quadratam eorũ aciem circumuenerunt. Leuis autem armaturæ milites à Crasso emissi, haud longè progressi sunt, sed statim multis petiti sagittis atq; confixi,

*Parthorũ cũ Crasso conflictus & victoria.*

intra

intra legionarios sese receperunt: primique confusionis & metus initium præbuerũt, cùm legionarii vim sagittarum cernerent, arma penetrantium, & quidquid vel durum vel molle obiectum fuisset, perrumpentium. Proinde Parthi à se inuicem diuulsi eminus sagittis Romanos impetere cœperunt, idq; vndique, & nullo certo ordine: ita enim continua erat & densa Romanorum acies, vt aberrare vix volẽs aliquis potuisset: arcus porrò magni atque validi, totis viribus contenti, sagittas vehementi admodum impetu extorquebant, eæque tenorem seruantes grauiter in corpora hostium incidebant. Erant itaq; iam tum res Romanorum pessimo in statu. Nam & ordines suos seruantes, vulnerib. conficiebantur: & si conferre manum conarentur, idẽ quod antè patiebantur, hostem lædere non poterant. Fugientes enim Parthi, sagittas simul emittebant: quod post Scythas nemo iis melius nouit: estq; id optimum inuentum, quòd salutem suam defendentibus etiam fuga turpitudine caret. Tamen Romani quandiu spes fuit hostes sagittis omnibus emissis aut comminus pugnandi copiam, aut pugnæ finem facturos, perdurauerunt. Sed vbi cognouerunt multas camelos sagittis onustas adstare, vnde præteuectis reliquos singuli vt vsus ferret sumerẽt, tum demum Crassus ingenti mœrore correptus, quòd finem nullum mali videret, missis nunciis filium monuit, vt quacunque posset ratione impetum in hostes faceret, antequam ab iis circumdaretur. Maximè enim eum petebat cornu hostium, & à tergo cingere nitebatur. Ergo P. Crassus cum mille trecentis equitibus (quorum mille à Cæsare adduxerat) quingentis sagittariis, octoque scutatorum qui proximè aderant cohortibus aduersum se hostibus obiecit. Verùm Parthi, siue quòd 14
in compositum agmen incidissent (quæ nonnullorum est opinio) siue quòd id agerent, vt quam longissimè Crassum à patre abducerent, retrò versi fugam dederunt. Ille verò inclamans, Fugiũt hostes, insecutus est: vnaq; cum eo Censorinus & Megabacchus, hic quidẽ robore animi præstans, ille etiam senatoria dignitate, magnaq; in dicendo vi præditus, vterque socius & æqualis P. Crassi. Equitibus hos sequentibus, ne pedites quidem se continuerunt, spem secuti: quòd vincere suos & instare fugientibus Parthis putabant, tantisper, dum longiùs progressi fraudem senserunt,

ijs qui fugere putabantur, se conuertentibus, pluribusque aliis auxilio venientibus. Substiterunt igitur Romani, secum quòd pauci erant, congressurum hostem sperantes. Illi verò cataphractos equites Romanis opponentes, reliquo equitatu, nullo seruato ordine, eos circumuecti, ex planicie aceruos arenæ & vim puluerís tantam excitarunt, vt neque prospicere, neque loqui facilè Romani possent: verùm in angusto loco conflictati, feriebantur & peribant nonnulli mortis genere, sed conuulsi præ dolore, grauiterque animam agentes, sagittis & vulneribus immoriebantur, cùm cuspides hamatas euellere vi conati, quæ per carnes, neruosque penetrârant, lacerarent seipsos. Multis hoc modo pereuntibus, nihilo maiori vsui fuerunt qui viuebant: Publioq; monenti, vt in cataphractos impetum facerent, manus clypeis, pedes solo aflixos sagittis ostẽdebant, & ad pugnam & ad fugam inutiles. Ipse itaque cum equitibus fortiter in hostes irruit, pugnámq; conseruit. Verum ea & in cauendis, & in inferẽdis ictibus erat pernæqualis. Quippe Germani equites (quibus maximè fidebat Crassus) hastis imbecillibus thoraces ex crudis tergoribus ferróve cõfectos impetebant: at leuiter armata & ferè nuda eorum corpora grauibus contis feriebantur. Hi tamen multa admiratione digna facinora ediderunt. Nam & contos hostiũ apprehendebant, colluctantesq; eos ob pondus armorum immobiles de equis deturbâbant: & multi à suis equis descendentes, hostiles equos subibant, & ventres eorum sauciabant, vt equi vulneris impatientia exilientes, promiscuè & suos & hostes obtererent. Maximè autem Germanos æstus & sitis, insolens iis vtrunque, premebat. & plerique equorum aduersis contis confixi perierant: qua re ad pedestres copias se recipere coacti sunt, abducentes secũ Publium iam vulneribus grauiter afflictum. Ibi aceruum quendam arenæ tumuli instar excitatum nacti, eò se contulere, equisq; in medio loco alligatis, extrema clypeis circùm munientes, sperauere se facilè barbarorum vim defensuros. Verùm hoc secùs cecidit. Nam in loco quidẽ æquali priores vtcunque posterioribus propugnaculi instar esse possunt: at is locus cùm variè inæqualis, posteriores magis magisq; tolleret, effecit vt ex æquo omnes telis contingerentur, ignominiosam, quòd nihil agere licuisset, mortem

deplo-

deplorantes Erãt cum Publio Græci duo, Carris (quæ vrbs in propinquo erat) habitantes eo tempore, Hieronymus & Nicomachus: hi ei suadebant, vt vnà cũ ipsis prœlio se subtraheret, & Ichnas perfugeret, vrbem haud longè distantem, & Romanorum rebus fauentem. At Publius tantùm effatus, Nullum tam atrox mortis genus fore, cuius metu eos, qui propter ipsum perirent, desereret, salutatos ire iussit, & saluti suæ consulere: ipse cùm manu propria vti non posset (erat enim iaculo transfixa) armigero latus seriendum præbuit. Eodem modo Censorinum quoq; mortuum aiunt: Megabacchus, & cæteri nobilissimus quisque suis ipsorum manibus vitam expulerunt. Reliquos Parthi in tumulum adscendentes contis confoderunt repugnantes: viui non plures quingentis in hostium potestatem venerunt. Capitibus autem Publii & sociorum amputatis, recta ad ipsum Crassum contenderunt. Eius res ita habebat. Postquam filium inuadere hostes iusserat, & nuncius allatus fuerat, effuse Parthos fugere, cùm etiam se ab hostibus minus iam vrgeri cerneret, qui & ipsi pleriq; eódem tranfiuerant, recepto aliquantulum animo, exercitum ad locum accliuẽ contraxerat, statim ab insecutione hostium rediturum filium expectans. Qui verò missi ad eum à filio erant, vt indicarent quanto in periculo versaretur, à barbaris deprehensi interciderant. Posteriores vix elapsi, actum esse de Publio, nisi celeriter ei subueniretur, retulerunt. Tot simul perturbationibus Crassus perculsus, nullum consilium rei salubre inueniebat: metu tamen totius euentus, & desiderio filii victus, statuit tandem promouere exercitum. Interim hostes magno strepitu & pæanem canendo terrorem Romanis auxerunt, quos rursum multa circummugiebant tympana, noui prœlii initium expectantes. Parthi verò Publii caput hastæ præfixum propè adequitantes ostenderunt, ac per contumeliam quinam eius parentes, quod genus fuisset, quæsiuerunt: non enim conuenire, vt tam generosus & illustri virtute præditus homo, Crassi viri ignauissimi & pessimi filius dicatur. Id spectaculum Romanorum animos plùs quàm reliquæ omnes calamitates fregit, non (vt debuit) iram eis & vlciscendi cupiditatem, sed horrorem trepidationemque adferens. Quanquam ipsum Crassum non vnquam quàm

*P. Crassi interitus.*

*Crassi in miseriis animus.*

eo in

" eo in casu præclariùs se gessisse ferunt, ac circum ordines
" obeuntem clamasse: Meus hic, ô Romani, proprius est lu-
" ctus: magna verò Romæ fortuna & gloria vobis seruatis
" integra incolumisque perstat. Sin mei vos miseratio aliqua
" tangit, qui optimo filio orbatus sum, agedum irain hostes
" id ostendite, gaudium illis adimite, crudelitatem vlciscimi-
" ni. Neque vos terreant ea quæ passi estis: siquidem magnas
" res affectantem, aliquid perferre oportet. Neque Lucullus
" Tigranem, neque Antiobum Scipio sine suorum sanguine
" vicit: maiores nostri mille naues apud Siciliam amiserunt,
" in Italia multos imperatores, multos duces: neque horum
" vllus victus obstitit, quo minus ii victores debellarēt. Non
" enim fortunę bonitate, sed patientia & virtute in subsisten-
" dis rebus aduersis ad tantam potentiam res Romana per-
" uenit. Hoc ille sermone suos ad meliorem spem erigere co
natus, paucorum vidit animos incensos: quin & clamorem
militarem tollere cùm iussisset, mœsticiam eorum culpa-
uit, quòd imbecillum, exiguum, & inæqualem vociferā-
tionem edidissent. At barbarorum aspera & sonora con-
clamatio aures perstrepebat. Vt ad rem ipsam ventum est,
equites barbarorū ex obliquo circumuecti sagittas emit-
tebant: quibus verò primi ordines mandati erant, ij grauī-
bus contis vtentes Romanos in angustum locum compri-
mebant: nisi si qui à sagittis illæsi aussi sunt in hos impetum
facere, parum quidem nocentes hostibus, ipsi statim con
tis lato ferro præfixis traiecti: quorum tanta erat vis, vt
sæpe vno impetu per duo corpora exigerentur. Parthi cùm
ad hunc modū decertassent, nocte appetente digressi sunt,
dicentes Crasso se hanc noctem ad mortem filii deflendam
largiri: nisi eam malit rectiùs deliberationi dare, vtrum ve-
16 nire an apportari ad Arsacen malit. Haud procul tamen à
Romanis pernoctauerunt, magnam in spem futurorum e-
recti. Nox ea Romanis fuit tristissima. Nō enim de humā-
dis cæsorum cadaueribus, non de sauciis curandis quis-
quam cogitabat, sed suam ipsius fortunam deplorabat.
Quippe & si ad diem ibi permānsissent, omnem fugiendi oc-
casionem præreptum iri intelligebant. & noctu in vastissi-
mam planiciem se dimittēribus spes salutis nulla erat. tum
saucii ancipitem curam afferebant; qui si vnà auferrentur,
fugam impedituri: sin desererētur, clamore eam proditu-
essent.

essent Crassi autem, quamuis eum causam omnium malorum censerent, vultum tamen, vocemque desiderabant. Sed is in tenebris seorsim obuolutus iacebat, imperitæ multitudini fortunæ exemplum præbens, sani autem iudicii hominibus, imprudentiæ & ambitionis: quibus ille vitiis inductus inter tam multa hominũ millia non se vnum primum esse & maximum, ferre non potuerat, sed omnia sibi deesse existimauerat, propterea quòd vel duobus viris postponeretur. Quem cùm Octauius legatus & Cassius quæstor consolando hortandoque vti surgeret nihil proficerent, ipsi tribunis militum & centurionibus conuocatis, deliberata re loco isto discedere statuerũt. Eo decreto, milites tacitè & sine tubæ sonitu excitauerũt: mox cùm egroti se derelinqui sentirent, terribilis tumultus & confusio cũ eiulatu & clamore castra peruasit. Trepidatio quoque & terror inter progrediendum obortus, hostes ingruere opinantium, & modò declinantium à via, modò ordines instruentium, saucios qui sequebantur partim ad se recipientium, partim exponentium: hæc fugæ moram iniecerunt. Vnus Ignatius cum trecẽtis equitibus ad Carras circa mediam noctem peruenit, Romanóque sermone compellatis vigilibus, cùm inaudirent, Copomo vrbis præfecto indicare iussit, magno prœlio Crassum cum Parthis decertasse: nihil præterea addens, neque suum nomen edens, ad Zeugma contendit, suósque eripuit, male tamen ob desertum imperatorem audiuit. Veruntamen Crasso profuit nũcius ille Coponio allatus. Is enim colligens nihil boni quod renũciaret habuisse qui tam celeri & confuso sermone vteretur, statim suos milites arma capere iussit: vtq; primũ sensit in via esse Crassum, occurrit, exercitatumque Carras duxit. Verùm Parthi quamuis nocturnus eos discessus non fefellisset, insecuti tamen non sunt. Prima luce in castris deprehensos, ad quatuor millia hominum, omnes necauerunt: multos in campis oberrantes equitatu assecuti occiderũt. Quatuor cohortes duce Vargunteo per noctem à reliquis auulsæ, via exciderant: has Parthi in quodam colle circumuentas, & armis se defendentes, interfecerunt: viginti modò ex his viris, qui per ipsos strictis gladiis eruptionẽ tentabant, mirati virtutem, spacium transeundi fecerunt, sensimq; Carras ire passi sunt. Cæterùm ad Surenã falsus perue-

*Romani perfugiũt Carras.*

nerat

*Surena in Crassium dolo.*

uenerat rumor, effugisse Crassum cum optimis Romanorum: eam verò quæ Carras cõfluxisset turbam, hominum esse vilium promiscuam colluuiem. Opinatus ergo præmium victoriæ sibi ademptum, dubius tamen adhuc animi, vt quid in ea re verum esset cognosceret, sciretq; Carræ ne sibi oppugnandæ an insequendus Crassus Carris omissis foret: vnum suorum interpretum ad muros mittit, qui Romano sermone Crassum vel Cassium vocaret, diceretq; cupere Surenam cum iis colloqui. Hæc vbi dixisset interpres, Crassus cõditionem accepit. Paulo pòst Arabes à Parthis venerunt, qui Crassum Cassiumque de facie nouerant, quòd ante pugnam in castris eorũ fuissent. Hi cùm in muro adstantem viderent Cassium, Surenam aiebant pacem ipsis dare & salutem, amicitiamq; regis polliceri, si (quod vnum vtile ipsis esset, priusquam extrema experirẽtur) Mesopotamiam missam facerent. Probante id Cassio, & postulante vt locus diesque congressui Surenæ cum Crasso definiretur: ita se curaturos dixere, & ad suos redierunt. Surenas lætus admodum quòd in obsidione eos viros esset habiturus, eo ipso die Parthos vrbi admouit, insultantes acerbè, iubentesq; Romanos, si pacem vellent, Crassum sibi & Cassium vinctos dedere. Doluit ea fraus Romanis: & Crassum longa spe subsidii ex Armenia expectandi deposita, fugam moliri iusserunt. Id verò consilium cùm maximè curandum fuisset ne quis maturius Carrensium cognosceret,

*Andromachi perfidia.*

Andromachus homo perfidissimus ex ipso Crasso intellexit: imò & ducem eum itineris Crassus delegerat. Itaq; nihil eorum quæ cogitabant Romani, non est ad Parthos ab Andromacho enunciatũ. Noctu Carris egressum Crassum (nouerat enim Parthos noctu pugnare neq; solere neq; facilè posse) Andromachus vt breuior Parthis esset insecutio, dedita opera variis viis circunducens, difficili sequentibus & pleno ambagibus itinere ad extremum in loca paludibus & fossis plurimis intercepta pertraxit. Neq; defuerũt qui nihil sani Andromachum flexibus istis & circuitionib. agere suspicati, sequi eum noluerunt. Nam & Cassius Carras redit: & cùm Arabes itineris duces ibi eum permanere iuberent, donec luna scorpium peragrasset, Ego verò, inquiens, sagittarium magis metuo: in Syriam cum equitib. quingẽtis discessit. Et quidam alii fidos nacti itinerũ monstratores,

*Cassius in Syriam euadit.*

ſtratores, montana loca, quæ Sinnaca dicuntur, apprehenderunt, & ante diem in tuto loco conſtituti ſunt: erant ad quinque millia, ducem habebant Octauium. Craſſum verò fraude Andromachi in loca iniqua & paluſtria cõiectum dies ortus deprehendit: erant cum ipſo quatuor ſcutatorũ cohortes, & perpauci equites, ac quinque lictores. Cum his ægrè iter ingreſſus, iam hoſtibus inſtantibus cùm ab Octauio ad duodecim adhuc abeſſet ſtadia, in alium collem confugit, non quidem equitatui planè inacceſſum, neque munitum, ſed Sinnacis tamen ſuppoſitũ, quibus longo & ſtricto proceſſu per campos medios extenſo continuabatur. In conſpectu Octauii periculum Craſſi erat. Is igitur primò cum paucis ad ferẽdam opem accurrit, deinde & reliqui mutuò ſe increpantes, approperauerunt impetuq́ue facto hoſtes colle deturbauerunt, ipſi in medium Craſſo recepto, ſuisque clypeis tecto, gloriati ſunt, non eſſe vllum Parthis telum, quod ad imperatoris corpus ſit peruenturum, antè quàm omnes ipſi pro eo propugnãtes occubuiſſent. Atenim Surena cùm & Parthos remiſſiùs pugnam obire cerneret, & intelligeret ſi nox appetiiſſet, Romaniq́ue montem tenuiſſent, fore omnino vt capi non poſſent, dolum Craſſo intẽtauit. dimiſit quoſdam ex captiuis, qui ſermonem barbarorum (quem compoſitò ij in caſtris habuerant) inaudiuiſſent, Non eſſe regem eo animo, vt bellũ cum Romanis prorſus componi non velit: gratificari ſe iis, & pacem dare, Craſſoq́; vſurum humaniter. His ita ſubmiſſis à pugna barbari ceſſauerunt. Surena cum principibus placidè ad collem adequitat, remiſſoq́ue arcus neruo dextram protẽdens, ad colloquium euocat Craſſum: Fortitudinem quidem, inquiens, & potentiam regis expertus es, quando inuitum ad arma concitaſti: ipſe vltrò clementiam tibi & humanitatẽ ſuam oſtendit, pacis conditionibus latis diſcedentibus vobis ſalutem donans. Hæc Surenæ verba magno gaudio milites excipiebant. At Craſſus qui ſe nulla alia re quàm fraude ab eo læſum noſſet, ſubitamq́ue hanc mutationem abſurdam iudicaret, non ſtatim aſſentiri, ſed quid agendum eſſet, circumſpicere. Ibi verò milites occlamare, hortari, conuicia etiam facere, quòd ipſos armatis hoſtibus ad pugnandum obiiceret, quibus cum inermibus ad colloquium venire non auderet. deprecari conantem & docere,

*Surenæ alius dolus.*

docere, quòd si quod reliquum erat diei perdurassent, noctu in montes possent, & tuta à Parthis loca recedere, viam quoque monstrantem, orantemque ne in proximo sitam salutis spem dimitterent, interturbare, minitari, arma gladiis pulsare. Victus itaque eorum importunitate, ad colloquium iuit, hæc modò conuersus ad suos in digressu locutus: Octaui, túque Petroni, & quotquot adestis Romanorum duces, vos videtis, vti ire ad barbaros cogar, ipsíque præsentes mihi conscii estis, quàm indignè vim patiar. At vos tamẽ, si superueritis, apud alios homines non traditum à ciuibus, sed ab hostibus deceptum periisse Crassum dicitote. Neque verò mansit Octauius, sed vnà descendit. lictores sequi volentes Crassus à se remouit. Primi barbarorum ei occurrerunt duo semigræci, & ab equis desilientes eum honorauerunt, Græcaque voce compellantes, mittere aliquem suorum iusserunt, quibus ostenderet Surena se suósque absque armis & ferro ad congressum venire. His respondit Crassus, se, si vel minimam vitæ suæ rationem haberet, haud quaquam in manus Parthorum daturũ se fuisse: misit tamen duos Roscios fratres exploratũ, qui & quot ad colloquium essent venturi. Hos statim comprehendi & detineri iussit Surena, ipse cum principibus eques Crasso obuiam iuit: cúmque peditem venire conspexisset, Quid hoc, inquit, est rei? pedes imperator Romanus venit, nos equitamus? simul equum ei adduci iussit. Crassus verò neutrum peccasse dixit, sed vtrunque morem patrium in congressu tenuisse. Ad hæc Surena, Iam nunc pacem esse regi Orodi & Romanis: progrediendum tamen ad fluuium esse, & ibi fœdus (quæ facilè obliuisci solerent Romani) conscribendum: simul & dextram porrexit. Et cùm Crassus equum suum adduci iuberet, nihil opus esse dixit, nam à rege ei equum hunc dono dari, aderatque præstò equus aureo frœno ornatus: in hunc à stratoribus Crassus est impositus, & verbere ab iis ad cursum incitatus equus. Primus Octauius frænum apprehendit, & post eum Petronius tribunus militum, & tum reliqui circumstantes, inhibere equum, & eos qui Crassum vtrinque premebant, remouere aggressi sunt. Conflictatione ex eo & tumultu orto, res etiam ad verbera venit. Ibi Octauius vnius de barbaris gladio arrepto, equisonem cædit: ipse à tergo ictus ab alio

*Crassus à suis ad perniciem compulsus.*

alio cadit. Petronius armis carẽs quibus se defenderet, cum ictus thoracem fuisset, illæsus se proripuit. Crassum Pomaxæthres barbarus obtruncauit: cæsum ab alio ferunt, hunc mortui caput & manum dextram amputasse. Verùm hic cõiectura potius, quam cognitio est. Qui enim adfuerunt, partim Crassum defendentes occisi sunt, partim in collem effugerunt: quò cùm Parthi accessissent, ac dicerent Crassum pœnas dedisse, reliquos Surenam iubere secure descendere, quidam se hostibus tradiderunt, quidam dilapsi sunt: atq; horum perpauci euaserunt, plerosq; omnes Arabes indagauerunt & occiderunt. Summa acceptæ eo tempore cladis ea perhibetur, viginti millia cæsi, decem millia capti. Surena autem capite & manu Crassi in Armeniam ad Orodem missis nũcios Seleuciam præmisit, qui viuum adduci Crassum dictitarent: ipse ridiculam pompam instruxit, Triumphum in contumeliam Romanorum nominãs. C. Paccianus, qui inter captiuos proxime ad formam Crassi accedebat, Crassus & imperator audire iussus, barbarica amictus veste equo inuehebatur. Iuxta hunc tubicines & lictores camelis vecti, fascibus appensa marsupia, & iuxta secures, recens præcisa Romanorũ capita. A tergo sequebantur Seleucienses meretrices cantatrices, multa in mollicie & ignauiam Crassi scurrilia & ridicula carmina concinentes. Hæc ab omnibus spectabantur. Conuocato præterea Seleucienſi senatu, in medium attulit Milesiaca Aristidis, libros de luxuria compositos: ne hic quidem fingens quicquam. Inuenti enim sunt in Rustij sarcinis: idq; occasionẽ Surenæ præbuit insectandi & deridendi Romanos, qui ne in bello quidem ab id genus libris & rebus abstinerent. Ac tum quidem humanum ingenium sapienter expressisse Æsopum Seleucienses iudicauerunt, cùm in Surenam intuerentur: qui manticam Milesiacę luxuriæ ante se & in pectore gereret, à tergo autem Parthicam quandam Sybarin traheret, tot onustos pellicibus currus. Enimuerò apparatus Surenæ figuram excetræ alicuius monstrosiue anguis præbebat: priora enim terribilia & fera erant, hastę, arcus, equi: posterioribus in scorta, crepitacula, cantilenas, & pernoctationes cum scortis desinentibus. Non caruit sane culpa Rustius: impudentes verò Parthos, qui Milesiaca reprehenderent, cum multi Arsacidæ Parthis imperârint, ex

*Crassus interitus.*

*Summa cladis.*

*Surena triũphus.*

Ionicis & Milesiis scortis nati. Iam Orodes pacem cum Artabazo Armeniæ rege iunxerat, sororemq; eius Pacoro filio suo desponderat: agitabanturque conuiuia, & comessationes, in quibus multa Græcorum carminum recitabantur. Nam neq; linguæ, neq; literarum Græcarum ignarus Orodes erat: Artabazus etiam tragœdias faciebat, & orationes historiasq; conscribebat, quarum quædam adhuc extant. Forte tum mensæ erant sublatæ, & tragœdiarum actor Iason Trallianus ex Euripidis Bacchis ea quæ de Agaue sunt facta recitabat. qui cum admodum placeret, Sillaces (vt tum casu aduenerat) in cœnaculum progressus, adorato rege Crassi caput in medium proiecit. Plausum dantibus Parthis magno clamore & exultatione, Sillacē regis iussu famuli ad mēsam adduxerunt. Iason aūt Penthei habitu cuidam suorum histrionum tradito, Crassi caput arripuit, bacchatusque furore simulato, quæ ad id pertinent carmina cecinit:

*Ex montibus afferimus*
*Vitulum laniatum modò:*
*Prædam felicem.*

Hæc omnibus oblectationi fuerunt. Cùm deinde ea quæ alternis sequuntur, cantarentur,

*Quis eum mactauit?*
*Mea gloria hæc est.*

Pomaxæthres, vt tum vna cœnabat, ad hęc verba exiluit, caputq; Crassi arripuit, quod ipse hoc quam quisquam alius dicere iustius posset. Delectatus ea re Orodes, hunc quidem more patrio splendidis muneribus affecit: Iasoni autem talentum dono dedit. Eum ergo finem expeditio Crassi tragœdiæ similem habuit. Verùm enimuerò & Orodem crudelitatis, & Surenam perfidiæ pœna consecuta est. Paulo enim pòst Surenam gloriæ æmulus Orodes interfecit: & ipsi cùm victo cæsoq; in pugna contra Romanos Pacoro aqua intercute laboraret, Phraates filius insidiatus, aconito dedit: quod venenum cum morbus apprehendisset, vnaq; excerneretur cum humore, ita vt alleuaretur corpus, Phraates compendio vtens eum suffocauit.

*Orodis & Surenæ exitus.*

## CRASSI CVM NICIA COMPARATIO.

*Diuitiæ.* Initio diuitiæ Niciæ si cum Crassi opibus conferantur, hone-

honestius partæ sunt. Nã vt laudari fortassis non merentur reditus ex metallicis fecturis, in quibus maior pars laborũ à maleficis aut barbaris conficitur, quorũ nonnulli cõpedes habent, & locis morbosis pereunt: ita cum bonorũ publicationibus ij collati Syllanis, & locatione operarũ post incendia, (quibus palam artibus Crassus perinde atq; agricultura aut vsuraria, vsus est) iustiores censebuntur. Iam illa crimina, lucro suam in senatu sententiam addicere, socios P. R. iniuria afficere, mulierculas adulari & captare, malos homines occultare, quæ sibi obiecta Crassus inficiando depulit, Niciæ ne falso quidẽ attribuit quisquã. Quod aũt argentũ sycophãtis præ metu dedit Nicias, eoq; nomine substannatus est, rem sane Pericli aut Aristidi minime conuenientẽ, sibi verò necessariam fecit, qui natura esset timidus. Eiusq; factũ Lycurgo postea tẽporis oratori, cum culparetur quendam calumniatorẽ data pecunia amouisse, libere se purgandi ad populũ occasionem præbuit: gaudere enim se dicebat, q. tandiu in republica versatus, dedisse prius quã accepisse cõpertus fuisset. Sumptus aũt quos fecit Nicias in donaria, gymnasia, & choros instituendos ciuiliores videntur Crassi illis epulis, quæ multis simul hominum millibus præbuit, & frumenti largitionibus, & quidem omnes Niciæ facultates vix aliquotam partem Crassi istarum impensarum impleuissent. Itaq; miror esse, qui nõ animaduertant vitia esse inęqualitatem quandam & discrepantiam animi: cum videant eos qui turpiter parant pecuniam, eam in bonos vsus profundere. Hæc de opibus. Si quo modo vterq; sit in republica versatus, considerare velis, Niciam nihil callide, nihil iniuste, nihil per vim, nihil ferociter fecisse inuenies: potius ab Alcibiade deceptus fuit, & caute alioquin populũ accedebat. Crasso multam in permutandis amicitiis inimicitiisq; infidelitatem illiberalitatemq; imputant: vi se consulatũ obtinuisse ne ipse quidem negauit, qui conductos mercede percussores Domitio & Catoni immisit: cuius voluntate suffragia populo de prouinciis ferente vulnerati multi, occisi quatuor fuerint: qui (quod nos in narratione præteriit) L. Analium senatorem, contradicere aggressum pugno in faciẽ incusso, sanguine fœdatũ cõcione expulerit. Verùm vt vis huius, & tyrannica violentia, ita Niciæ contra inimia in republica timiditas, omnem ad stre-

*Sumptus.*

*Vt in repub. versatus.*

pitum expauescentis, nihil audentis, pessimisq; sese submittentis, grauissimas meretur reprehensiones. Quibus in rebus Crassus alto profecto fuit, magnoq; animo: cum quidē non cum Cleonibus aut Hyperbolis res ei esset, sed Cæsaris maiestatem, & tres triumphos Pompeij aduersarios sibi haberet: quibus tamen non cessit, sed vtriusque potentiam æquans, Pompeium censoria dignitate etiam superauit. Etenim summas in republica res aggresso, non tam fugienda est inuidia, quam quærendus splendor, & potentia, quæ inuidiæ luminibus sua mole officiat. Tu verò, Nicia, si omnino securitatem & quietem præfers, metuisq; in Curia Alcibiadem, in Pylo Lacedæmonios, in Thracia Perdiccā: multum tibi ad ocium spacij in vrbe est: licetq; de medio abire, domiq; sedentē te tibi coronam tranquillitatis nectere: vt quidam oratores dicunt. Studium profecto tamen pacis in Nicia, diuini quippiam habet, neq; eius pacificationi vllū Græciæ dignius factum extat: ad quam si respicias, non merebitur conferri Crassus, etiam si Caspium mare, Indumq; amnem finibus Romani imperij inclusisset. Porro qui in vrbe quę de virtute iudicium ferre potest, in summa sit constitutus potentia, malis nequaquam locum dare debet, neque magistratum indignis, neque fidem habere infidelibus: quod secus est à Nicia factum, qui Cleoni nulla alia re quā impudentibus pro tribunali clamoribus in ciuitate noto imperium mandauit. Non laudo equidem Crassum, qui bello Spartacio citius quam tutius decertare festinauit: fuitque (fateor) ambitionis, metuere ne Pompeius superueniens gloriam ei facti eriperet, sicuti Metello Corinthum præripuit Mummius. Sed Niciæ absurdum plane fuit factum, & periculosum. non enim aduersario imperium concessit, rebus iam ad bonam spem deductis: sed in administratione belli magnum metuens periculum, satis habuit publico bono neglecto suæ securitati consuluisse. At verò Themistocles ineptum & imprudentem hominem, neis Persici belli imperium nactus ciuitatem pessundaret, pecunia data à magistratu remouit: & Cato Vticensis quo tempore maxime ciuitatem in periculo esse sensit, reipublicæ causa tribunatum plebis petiit. Nicias autem ducem le cōtra Minoam, Cythera, miseroſq; Melios seruans, & cum esset aduersus Lacedæmonios pugnandum, paludamento

*Pacis studium.*

posito

posito Cleonis imperitæ audaciæ naues, viros, arma, bellumq; summa opus habens peritia, committens, non suam gloriam, sed patriæ securitatem & salutem prodidit. Itaque *Virtus* postea nolens inituſq; bellum Syracusanum gerere coactus est, quod crederetur non vtilitatis rationes secutus, sed molliciem ignauiamq;, quantum in ipso esset, Siciliæ Athenas priuare. Id quidem magnum est signum virtutis eius bellicæ, quod infestum semper bellis, & imperia subterfugientem, tamen vt peritissimum optimumq; ducem perpetuo elegerunt Athenienses. Crasso cõtrà cùm nunquam non gerere bellum cupiuisset, nunquam voto potiri licuit, nisi seruili bello ad quod penuria ducum missus est, Pompeio, Metello, ambobusq; Lucullis absentibus: quanquam eo tempore summo esset in honore, posletque plurimum. Nimirum enim etiam iis qui ei fauebant, videbatur, vt est apud Comicum,

*bellica.*

*In omnibus, nisi bello, rebus optimus.*

Et Romani quidem ad bellum cupiditate imperandi & ambitione eius compulsi, cladem sunt passi. Nam Athenienses inuitum Niciam ad bellum extruserunt: Crassus Romanos nolentes in bellum traxit. & alter propter ciuitatem, propter alterũ ciuitas in calamitatẽ venit. Veruntamẽ hac ipsa in re magis laudandus est Nicias, quam vituperandus Crassus. Ille enim peritia vsus, & rationibus, vti prudentem decebat imperatorem, subductis non passus est se spe ciuium vana in errorem abduci, sed Siciliam inuadere prohibuit, eamq; subigi posse desperauit. Crassus in eo peccauit, quod ad Parthicum bellum tãquam facile profectus est. Magnas enim res animo cõceperat, cùm Cæsar Hispaniam, Gallias, Germanos, Britannos subegisset, ipse ad ortum solis cõuersus vsq; ad Indicum mare omnem Asiam Romano imperio adiungere: quod ante illum Pompeius etiã & Lucullus attentauerant, viri boni, & apud omnes laudati. Quin & idẽ iis quod Crasso propositum, & eædem eius tenẽdi rationes fuerant. Nam & Pompeio cùm esset decretũ imperium, senatus restiterat: & Cæsarem, cùm is trecenta Germanorum fudisset millia, dedi victis Cato iubebat, vt ipse violati fœderis scelus expiaret. Quanquam populus valere iusso Catone, quindecim dierum supplicationem summa cum lætitia egit. Quod igitur gaudium futurum fuisse existimas, quæ

ſupplicia, ſi Craſſus laureatas Babylone literas miſiſſet, ſi Mediam, Perſidem, Hyrcaniam, Suſa, & Bactra Romani imperij prouincias redegiſſet? Si enim (vt Euripideo iſto vtar) « violandum eſt ius, præſertim ab iis, quibus ocium moleſtũ eſt, neq; vti partis bonis ſatis habent: non Scandia eſt, non ſ Mende excindenda, neq; exules Æginetæ qui auium inſtar ſuis nidis relictis aliò auolantes ſe occultant, indagandi ſunt: ſed iniuſtitia ea magno precio æſtimanda, neq; leuiſſimum quodq; aut facilimum ea quærendum: quippe cum iuſticiam, rem minime vilem, ſemel dimiſeris. Quapropter qui Alexandri Magni propoſitum faciendę expeditionis illius probant, Craſſi culpant, non recte ij ex poſtremis de primis iudicium ferunt. In ipſis verò bellis, haud pauca ſunt Niciæ præclara facinora. Nam & multis prœliis vicit hoſtes, & parum abfuit quin caperet Syracuſas: & ſi quid minus proſpere geſtum eſt, aduerſam valetudinem aliquis in cauſa fuiſſe, & inuidiam ciuium haud iniuſte dixerit. Craſſi ram multa fuerunt peccata, vt nullus fuerit fortunæ locus, ſiquidem ea iuuare ipſum voluiſſet: vt mirari ſubeat ipſius ſtulticiam, quæ non Parthorum potentiæ ſuccubuit, ſedi- *Religionis obſeruatio.* pſa Romanorum felicitate plus potuit. Quod verò alter omnibus vaticiniis & religionibus attentus, alter omnia eius generis deſpiciens, vterq; periit, quæſtionem mouet difficiles habentem explicatum, vter eorum rectius & tutius « ſtatuerit: minus tamen eum peccaſſe iudico, qui nimis cautus opinionem antiquam & conſuetam ſibi, quam qui iniuſtam cupiditatem, contumaciamque ſuam ſecutus eſt. *Mors.* Mors quidem Craſſi minus, quam Niciæ, reprehenſionem meretur. Craſſus enim non tradens ſeipſum, neque inani ſpe deluſus, ſed amicis orantibus obtemperans, & ab hoſtibus violata fide inductus periit. Nicias turpis & ignominioſæ ſalutis ſpe hoſtibus factus ſupplex, morti ſuæ dedecus adiecit.

## IN CRASSI VITAM, INTERPRETIS ANNOTATA.

*QVod initio ſtatim huius vitæ verba hæc Plutarchi,* ἀποθανόντος δ' ἑτέρου τῶν ἀδελφῶν, τὴν γυναῖκα σωφρόνησε, καὶ τοὺς παῖδας ἐξ ἐκείνης ἔσχεν, ὑδενὸς ἧττον καὶ πρεῖ ταῦτα, &c.

τα, &c. non Guarinus modo, sed & Amiotus ita interpretatur, vt dicant Crassum fratris sui defuncti vxorem in matrimonium duxisse, ex eaq; liberos procreasse: non ita leuis est momenti error, neq; dissimulandus fuit. Nam neq; scripsit hoc Plutarchus, neq; vsitatum hoc Romanis eo tempore fuit, atq; haud scio an ne vnquam quidem. Non nego verbū συνοικειν aliquando esse, viuere cum altero in matrimonio, idq; tam de viris quam mulieribus dici, ehelich beiwohnen/ nunquam autem id verbum sua prima significatione & simplici accipi, qua est, eadem vti domo & habitatione, pernego: quid enim fiet vocabulo συνοικια, quod inde ductum magni est vsus? Ergo viduam illam Crassus secum in ædibus, eiusq; etiam liberos retinuit: quod fuit humanitatis. vt autem coniugium contraheret cum ea, & liberos procrearet, nihil attinuit. Et quidem vel articulus in verbis τὺς παῖδας ostēdit, dici de fratris liberis: nam si ipse Crassus liberos sustulisset, scripturus fuit Plutarchus, καὶ παῖδας (non τὺς, quod priores demonstrat) ἔχειν, additurusq; nimirum ἐξ αὐτῆς. Quæ (inquis) ergo laus hîc εὐλαξίας seu continentiæ siue modestiæ Crasso tribuitur? Equidem ea (nisi fallor) quæ ex obiecto ei deinde stupro Vestalis intelligi possit. quasi diceret Plutarchus, ita eum habitasse cum fratris vidua, vt modestiæ & pudicitiæ laudem mereretur, quanquam ea ætate quæ ad libidinem propensior habetur: cum quidem deinde in suspicionem incesti cum sacerdote concubitus venerit. Hanc arbitror germanam & minime insolētem monstrosamve verborum Plutarchi esse sententiam.

1 Ædificandi studio laborantium.] ἔλεγε δὲς φιλοικοδόμους ἀνθὺς ὑφ' ἑαυτῶν καλαλύεσθαι χωρὶς ἀνταγωνισῶν. Non possum excogitare quid vel fugerit hoc loco, vel secutus sit Guarinus: adeo nullum eorum quæ dixit Plutarchus, vestigium in eius interpretatione reperio. quid enim est hîc de areis quas ille ciuibus suo ipsorum arbitratu concedē-

*ret, fabrosq; suos præberet? Et quidē satis perspicua est sententia Græcorum verborum.*

2 Miseram profectò Alexandri.] *Haud scio an is sit Alexander Milesius, qui & Polyhistor & Cornelius est dictus, & vixisse Syllanis temporibus fertur apud Suidā. Certe exclamatio hæc magis reprehendentis rigidam Alexādri philosophiæ rationem, quam laudantis est: quod vel vocabulum* τλήμων *ostendet. Porrò* στέγαστρον *in genere videatur posse verti, id quod nos ab iniuria aeris tuetur, superne impositum. Ex libro Varronis de Latina lingua quarto apparet, lecticam id vocabulum significare: cùm doceat, Latinorum segestriam, id est lecticam, inde videri natam. Guarinus pileum: quem alter secutus est.*

3 Cùm Tuder Vmbriæ vrbem.] τουδερτίαν *habeo in Græco. Guarinus autem Tudertum verterat: quod, vt non rectum, notauerat quidam in margine. Ego tamen suspicor legisse eum (sicut legit Amiotus)* τουδερτίαν. *Quomodo Vmbriæ vrbs ea potuit efferri à Plutarcho, quam Plinius (quem ego hîc secutus sum) Tuder appellat, in Vmbriæ descriptione 3.14. Apud Ptolemæum quoque libro Geograph. tertio, in recensione vrbium quas Vilumbris (sunt autem, quàm Vmbri, orientaliores,* ὡς εἰπεῖν*) attribuit, mendose legi suspicor Turde,* τοῦρδε, *pro* τοῦδερ. *nam longitudo loci & latitudo, adscriptæq; vicinæ vrbes satis ostendunt, esse eundem cum Pliniano. Apud Strabonem libro quinto legitur* τουδερευελκὶς πόλις καὶ εἰσπέλλον, *&c. mendose quidem, sed tamen vt* τοῦδερ *nominari satis pateat. inde Tuders dicitur. Tudertibus & Amerinis arma in cœlo cōcurrentia spectata tertio Marij consulatu, Plinius refert capite quinquagesimoseptimo libri secundi.*

4 Onatius Aurelius.] *Sic est in Græco. in Pompeio, vbi idem refertur, C. Aurelius dicitur: quod & malo.*

5 De Catilina quæsitas ** quo indicio.] ἐπιστολὴν κομίζον-

κομίζοντα περὶ τοῦ κατιλίνα καὶ ζητουμένην, ὡς ἤδη βεβαιοῦντα. *Satis est apertum, locum hunc esse deprauatum. Corradus Plutarcho nimis (opinor) infensus, cum varia conquisiuisset quæ ei obiiceret, etiam* ἐξ αὐτοῦ τοῦ βοὸς *quædam arripuit: inter quæ & hic locus est. Ait enim à seipso Plutarchum dissentire, qui cum in Cicerone hanc epistolam dicat fuisse* ἀδέσποτον, *hic eam missam à Catilina testetur. Quomodo hoc Corradus ex his verbis collegerit, non video. nam quod nos mendose legimus* καὶ ζητουμένην, *ipse missam vertit: fortaßis arrepta ex mendo cauillandi occasione. Profecto autem* περὶ κατιλίνα *non est à Catilina, sed de Catilina: vt ne si* πεμφθεῖσαν *quidem, aut* γραφεῖσαν *aut quidquid tandem tale velit, loco horum verborum reponat, tamen euincere poßit hoc Plutarchum hic dixisse, à Catilina scriptã vel missam epistolam fuisse. Quod si ergo in ea à Crasso ad Ciceronem allata epistola de Catilinæ consilio & machinationibus aut coniuratione aliquid renunciabatur: (sicut Amiotus vertit in iis literis factam de Catilina mentionem) quid obstabat, quo minus & incertus eius esset vt tabellarius, ita etiam autor, & Romæ etiamnum commorante Catilina, Crasso aliũde afferretur? Ne dicam necessarium hoc non esse, vt de eadem epistola hic locus intelligatur omnino, de qua in Cicerone dicatur: & quidem non vnica ibi, sed plures commemorantur. Locum asterisco signaui. mendum tollet, qui librum meliorem habebit.*

6 Sortiti, Syriam Crassus.] *Quæ sequuntur, ad finem vsq; Craßi, iisdem prope omnia syllabis in Parthicũ Appiani librum sunt translata. Estq; vtile conferre vtrunque codicem. ego diuersitatem lectionis annotare hic supersedeo. In vertendo secutus id sum, quod videbatur mihi commodum & rectum: quod cur ita sentiam, in Dionem quædam annotans indicaui. Guarinus sententiã hic inuertit, inuisam omnibus fuisse sortitionem istam scribẽs. Hic est* οὐκ ἀκούσιος,

*apud Appianum vero ἀσωτάσιος. & quidem perspicua est sententia. Cum enim omnino esset Pompeio ab vrbe in alterutram prouinciam proficiscendum, nō ita procul abfuit Hispaniam tenens, etiamsi in eam exiisset, quam si in Syriam iret. Iam quod sequitur* ἐν ἀλλοτρίοις καὶ πολλοῖς ἡσυχίαν ἄγειν, *intelligitur facile, eum vix suam iactantiam & nugas apud alienos, nihilq; ad se pertinentem hominum turbā repressisse quam effundebat apud domesticos. Guarinus mirum in modum hic oscitauit.*

7 Imperatorem se.] *Imperatoris nomen à militibus nō nisi magna aliqua & ardua re gesta confectaq; duci Romanorum solebat tribui. Quo maior apparuit Crassi pusillanimitas, qui vrbe modo direpta id nomē sibi imponi pateretur: nimirum qui non speraret, se magno aliquo facinore id posse consequi. Quæ de Imperatoris nomine dixi, ex historia Romana nō sunt obscura. Cicero ipse rebus in Cilicia gestis Imperatorem se dictum à militibus suis, ostendit ad Cœlium Rufum ædilem curulem designatum scribens, epistola nona lib. secund. Famil. & huius moris meminit, explicatq; obiter eū in Philippica XIIII. Appianus libro secundo Bellorum ciuilium ait quondam omnibus præclarissimis facinoribus id nomen obtigisse: suo tempore ei tributum, qui de hostibus decē millia strauisset. vbi de Curionis in Africa rebus gestis loquitur. Varro libro quarto de lingua Latina. Prætor (inquit) dictus est, qui præiret exercitui: Imperator ab imperio populi, qui eos qui id attentasset oppressi hostis. Mendosa quidem hæc sunt verba: sed ex quibus colligere tamen possimus, eum qui rem imperio populi dignam & ad eius defensionem incrementumve facientem confecisset, Imperatoris nomen meruisse. Cætera mitto. nam ne hæc quidem fuissem annotaturus, nisi interpretis error huic loco me lucem afferre iussisset: qui neq; cōsecutum id nomen Crassum dicit, cum quidem ob acceptum id suggilletur: & cætera peruertit.*

8 Dex

8 Deæ, quæ Hierapoli.] *Iunonis nimirum Assyriæ. Vide omnino Luciani libellum* περὶ συρίης θεοῦ.

9 Iuxta Zeugma.] *Vrbs est Euphrati imposita fluuio, nobilis apud Geographos & historicos, ob pontem ibi in Euphrate ab Alexandro Magno factum ex catenis. Guarinus fluuium quendam obscure dixit.*

10 Lentes & salem.] φακὸς καὶ ἅλας. *apud Appianum, etiam in codice manuscripto,* φακὸς καὶ μάζαν *legitur. pro quo libum, aut aliquid tale licet intelligi, ex farina & humore seu liquore aliquo compactum. quod genus inferiis adhibitum fuisse notum est: sicut & hoc, salem omnibus sacrificiis alias solitum fuisse vsurpari.*

11 Ariamnes.] *Is est qui apud Appianum* ἄκβαρος *legitur: apud Dionem libr. 40.* αὔγαρος, *Augarus: de quo ibi monui.*

12 Immensis solitudinibus.] θινῶν τινῶν. ἡ θὶν (*nam paulo inferius est* θῖνας ἄμμου κονιορτὸν ἐπαγούσας) *aceruũ seu cumulum arenæ significat: quomodo* θῖνες ὀστέων *etiam apud Eustathium leguntur & apud Lycophronem* θῖνες πημάτων *Guarinus æstum vertit nescio cur ita. Appianus non habet* θινῶν (*& quidẽ* θίνων *erat scribendũ*) *sed* χεῦμα δεινῶν ἐρήμων, *solitudinum horribilium, quæ lectio videtur sane commodior, eamq; sum secutus.*

13 Ac recte quidem intellexerunt.] *Persequi omnes interpretis lapsus breuitatis causa supersedeo. hæc autem non inelegans sententia est ab eo omissa: quia (opinor) cum eam in Græco deprauatam offendisset, difficultate emendandi laborabat. quãquam ea magna non est, sensum intuentibus. Cæterum ne coniecturis vllis opus esset, Appiani Parthicus facit, vbi hæc recte leguntur ita:* βροντῆς μεμιγμένον, εὖ πῶς συνεωρακότες, ὅτι τῶν αἰσθητηρίων ἀκοὴ ταρακτικώτατον, *&c.*

14 Siue quod incompositum agmen.] εἴτε συντάγμα-

λαγμασιν ἐνλυχόντες. *ita vertendum putaui, vt aliquis saltē esset sensus: quasi diceret, cum essent experti vim Romani equitatus ordinibus suis stipati. Quod Guarinus dixit* Præ timore ad *suos reuersuri, nihil habet Græcis verbis affine. Sane apud Appianum non* συντάγμασιν *est, sed* τέλμασιν, *id est locis palustribus. quod hic locum mihi haberenō videtur. mox Megabacchus nominatur: nomen haud scio quam Latino conueniens, aut Romano homini. Interpres Cn. Plancum habet, nescio vnde petitum.*

15 Ichnas.] ἰσχνὰς. *legendum ex Appiano* ἴχνας. *Dio videtur Ichniam nominare.*

16 Pernoctauerunt.] ἐπαυλισάμενοι. *Tibias hic nescio quas & cantus Guarinus commentus est, perinde atque obscurum si esset quid sit* ἐπαυλίζεσθαι.

17 Expressisse Æsopum Seleucienses.] *Alludit ad festiuissimum Aesopi apologum, qui extat apud Stobæum in hanc sententiam. Vnumquemlibet hominem duas gestare manticas, in pectore alteram, alteram à tergo. in hanc eum sua, in illam aliorum vitia atque peccata reponere. inde fieri, vt aliorum crebro, nostra nunquam aut raro perspiciamus delicta. Possem de hac re multa in medium proferre, nisi aliud agerem.*

## PLVTARCHI EVMENES, GVILIELMO XYLANDRO AVGVSTANO INTERPRETE.

*Vt regibus Macedoniæ aceptus fuerit*

DVRIS autor est, Eumenem patria Cardianum paupere natum fuisse parente, qui se vehiculo meritorio in Cherroneso aluerit: liberaliter tamen in literis & palæstra à puero institutum. Philippum autem cum forte Cardiam venisset, ac per ocium Cardianorum puerorum adolescentumque exercitationes & luctas inspexisset, Eumenem, quod is puer etiamnum iis in

rebus

rebus præstaret, animoque perspicaci & forti præditus videretur, probauisse, secumq; abduxisse. Vero propior esse videtur eorum sermo, qui ob hospitium & amicitiam paternam Eumenem dicunt à Philippo euectũ. Mortuo Philippo Eumenes, cum neq; prudentia, neque fide cuiquam cedere videretur ex Alexandri administris, scriba quidem regius dictus est, in eo autem habitus honore, quo summi amici familiaresq; regis: nam & imperator cum exercitu est in Indiam missus, & in Perdiccæ locum, cum is mortuo Hephæstioni sufficeretur, successit. Itaque & Neoptolemus stipatorum dux à Macedonibus irrisus fuit, cum post Alexandri mortem diceret se cum hasta & scuto, Eumenem cum stylo & pugillaribus secutum fuisse: norant enim Eumenem cum aliis rebus, tum coniugij etiam affinitate ab Alexandro honoratum. Cum enim primam Asiaticarum mulierum Barsinem Artabazi cognouisset, ex qua & Herculem filium habuit: sorores eius mulieris Apamam Ptolemæo, Eumeni Barsinam nuptum dedit, quo tempore reliquas etiam Persicas feminas sociis suis collocauit. Verũ tamen sæpe offendit Alexandrum Eumenes, & discrimen adiuit propter Hephæstionẽ. Primũ, cum Hephæstio tibicini cuidam Euio domum attribuisset, quam famuli Eumenis hero suo occupauerant: iratus cum Mentore ad Alexandrum accessit Eumenes, clamitans, nihil pręstare, quam proiectis armis tibiis canere, & tragœdias agere, ita vt Alexander etiam indigna passum eum crederet, & Hephæstionem obiurgaret: mox tamen mutato animo, Eumeni succensuit, magis ab eo se contumelia affectum, quam libere accusatum Hephæstionẽ ducens. Deinde Nearchum cum nauibus ad Oceanum mittens, cum suo in ærario nihil haberet, pecuniam ab amicis exigens ab Eumene trecenta talenta petiit: qui cum non nisi centum daret, eaq; tarde, vix hęc ipsa se per procuratores suos coegisse dicens, nihil eum incusauit quidem rex, neq; accepit pecuniam, sed famulos occulte ignem tentorio Eumenis iniicere iussit, cupiens dum pecunia exportaretur, eum mendacij in ipsa re arguere. Verum celerius opinione tentorium vna cum literis cõbustum, Alexandro pœnitentiam incussit: aurum quidem & argentum incendio confusum supra mille talenta appendisse deprehensum est. Neque de his quicquam accepit rex:

Vxor.

sed ad

sed ad satrapas & præfectos in omnes partes dimissis nũciis, crematorum libellorum exemplaria repetiit, eaque omnia Eumeni custodienda tradidit. Rursus cum doni cuiusdam causa in contentionẽ cum Hephæstione veniſſet, multaq; male dixisset, multa male audiuisset, tũ quidẽ non inferior discessit: sed mox eo mortuo, cum rex grauiter dolens, omnib. iis, quos vel inuidisse viuenti, vel gaudere mortuum putaret, difficilem se asperumq; præberet, maxime omniũ suspectus ab eo est habitus, sæpenumero rixam istam conuiciaq; ei exprobrante. At ille callidus, & ad persuadendũ aptus, vt salutem inde sibi pararet, vnde exitium imminebat, ad Alexandri in Hephæstionem studium & honores confugit, ostendens quib. maxime ornamentis sepulcrum eius cohonestari posset, & impensas ad id liberaliter præbens: Mortuo Alexandro, orto inter regis socios, & phalangẽ dissidio, animo quidem illis se adiunxit, verbis autẽ priuatum se & vtriusq; partis studiosum simulauit, ac qui ad se, nimirum alienigenam, nihil pertinere Macedonum controuersias duceret. Reliquisq; ducibus Babylone digressis, ibi relictus multos militũ placauit, & ad pacem procliuiores reddidit. Congressis autem inter se ducib. compositisq; tumultibus, instituta prouinciarum diuisione, Eumeni Cappadocia & Paphlagonia Euxino mari subiecta vsq; ad Trapezũtem obtigit. Verum hæc nondum Macedonum propria, Ariarathem habebat regem: constitutumq; erat vti Leonnatus & Antigonus cum magnis copiis eum deducerent, satrapamq; eius prouinciæ declararent. Sed Antigonus iis quæ erant à Perdicca constituta, non obtemperauit iã animo ad maiores res elatus, cunctosq; spernens. Leonnatus vero, vt Eumenem deduceret, in Phrygiam descendit. Ibi ad eum venit Hecatæus Cardianorum tyrannus, orauitq; vt Antipatro potius, Macedonibusque Lamiæ obsessis, opem ferret. Assensit Leonnatus, inq; Europam transire statuit: Eumenem quoq; ad idem hortatus est, & cum Hecatæo in gratiam reduxit. Etenim ob ciuiles in patria contentiones simultas iis fuberat: & sæpe palam Eumenes Hecatæum accusauerat, Alexandrumq; ad restituendam Cardianis libertatem hortatus fuerat. Ea de causa tunc quoq; militiã contra Græcos detrectanti ei, & Antipatrum metuere dicenti ne ab eo in gratiam Hecatæi, præsertim iam olim odio habitus,

bitus, necaretur, fidem habuit Leonnatus, nihilq; eorum quæ sentiebat dissimulauit. Erat enim prætextus tantum ea auxilij latio : statuerat autem quam primum in Europam aduenisset, Macedoniam sibi vindicare: ostendebatq; non nullas Cleopatræ epistolas, spe nuptiarum propositæ Pellæ eum euocantis. At Eumenes, siue Antipatrum timens, siue Leonnato ob leuitatem & inconstantiam eius parum fidēs noctu assumptis suis impedimentis abiit. Habebat autem trecentos equites, & ex famulis ducentos qui arma ferrent, auri tantum, quantum argenti quinquies mille talenta efficeret. Cum hoc apparatu ad Perdiccam profugit, & ei Leonnati cōsilia detexit: statimq; apud illum potuit plurimū, estque inter consiliarios receptus. Paulo post in Cappadociam deductus, Perdicca cum copiis præsente, & bellum gerente, captoque Ariarathe, & subacta prouincia, satrapa eius constitutus est. Proinde vrbibus eius prouinciæ amicorum suorum procurationi mandatis, præsidiis præfectisq;, & iudicib. administrisque relictis, nusquam Perdicca quicquam de iis rebus solicito, vna cum eo abiit, quod & coleret ipsum, & à regis successore abesse nollet. Verum Perdicca ea quæ animo agitaret confidens se absque alterius opera perficere posse, quæ vero post se reliquisset, ea fido & strenuo indigere custode: Eumenem ex Cilicia dimisit, eo quidem nomine, vti propriam satrapiam gubernaret, re ipsa vero vt finitimam Armeniam à Neoptolemo perturbatam componeret. Hunc, etsi inani fastu corruptum, colloquiis tamen statuit in viam reducere Eumenes: sed cum Macedonicam phalāgem tumere & ferocire animad uerteret, equitatum sibi comparauit, quem ei opponeret. Eius rei causa Cappadoces, quicunque equites essent, immunes tributi esse permisit : suis quibus fidebat maxime, emptos à se equos diuisit. vtq; eo munere animos suorum excitauit, ita corpora exercitationibus & disciplina hunc in modum formauit, vti Macedonibus aduersariis admirationi esset, suis fiduciam augeret, cum breui tempore equites sex mille & trecentis non pauciores collegisset. Vt Craterus & Antipater Græcis superatis in Asiam traiecerunt, Perdiccæ regnum euertendi consilio, iamq; ferebatur eos in Cappadociam inuasuros: Perdiccas bellum ipse contra Ptolemæum gerens, Eumenem copiarum quę in Armenia & Cappadocia

*Leonnati conatus.*

*Equitatus Eumenis.*

docia erant imperatorem constituit, summamq; ei rerum mandauit, missis ad Alcetam & Neoptolemum literis, quibus eos parere Eumeni, eum suo arbitratu res gerere iubebat. Et Alcetas quidem aperte munus belli administrandi recusauit, quod Macedones, quos sub se habebat, Antipatri verecundia ducti pugnam detrectarent: Craterο autem ita bene vellent, vt etiam de recipiendo eo cogitarent. Neoptolemus autem proditionem contra Eumenem moliens, non fefellit: vocatusque ab eo, non obtemperauit, sed aciem contra eum instruxit. Hic primum prudentiæ suę in cõparando equitatu fructum sensit Eumenes: cum enim iam pedestri conflictu superaretur, equitibus immissis Neoptolemum fudit, impedimenta eius cepit, phalangemq; in persequendo hoste dissipatam adortus omni equitatu, arma deponere, sibique iuramento militari se obstringere coegit. Neoptolemus cum paucis quibusdam ex fuga collectis ad Craterum & Antipatrum effugit. Hi missis legatis Eumenem monuerant, vt se cum ipsis coniungeret, habiturus non modo suas satrapias, sed ab ipsis quoque imperium & ditionem accepturus, Antipatro ex inimico amicus futurus, neque amicitiam Crateri cum hostili odio commutaturus. Responderat ad hæc Eumenes, non profecto se, cui diuturnæ cum Antipatro fuissent inimicitiæ, hoc tempore amicum eius futurum, cum videat eum amicos hostiliter tractare: libenter autem Craterum Perdiccæ iustis & æquis conditionibus cõciliaturum, eiq;, vter prior iniuriam passus fuisset, contra inferentem auxilio futurum, quatenus vita suppeditaret: atque hanc se potius, quam fidem abiecturum. Hæc cum ad illos relata essent, per ocium de summa rerum consilia agitabant: cum Neoptolemus à fuga ad eos peruenies, exposita pugna, hortatus est ad ferendam opem vtrunq;, præsertim tamen Craterum: quem ita desiderari à Macedonibus affirmabat, vt simul atq; causiam eius conspexissent, & vocem audiuissent, cũ armis ad ipsum transituros certo se scire asseueraret. Et erat profecto magnum Crateri nomen, mortuoq; Alexandro pleriq; animis ad eũ inclinabant, memoria recolentes quod sæpe propter Macedones in offensas ipsius Alexandri incurrisset, inhibens eũ iam ad Persicos mores vergentem, patrias q; consuetudines, quas ille iam tum præ fastu & luxu contaminabat, asserens.

*Neoptolemus vincitur.*

Proinde

Proinde Craterus misso in Ciliciã Antipatro, magna cum parte copiarum & Neoptolemo contra Eumenem abiit, sperans eum nihil hostile expectare, & victoria recenti elatum, incompositos crapulæq; vacãtes milites habentem, facile opprimi posse. Quod præsensit aduentũ eius Eumenes, seq; parauit, sobrij quidem fuit ducis, non summæ tantum peritiæ. Quod autem non modo ea celare potuit hostes, quæ sibi nocitura videbantur: sed milites etiam suos ignaros contra quem pugnarent Cratero illisit, raræ videtur in imperatore fuisse prudentiæ. Etenim rumorem sparserat, Neoptolemum cum Pigrete & equitatu Paphlagonum & Cappadocum reuerti. Noctu cum castra mouere vellet, ob dormiuit, & insomnium vidit mirabile. duos Alexandros, phalange vtrunque instructa, inter se confligere: his auxilio alteri Mineruam, alteri Cererem venire: prælioque facto victum cum Minerua Alexãdrum, victori Cererem ex demessis spicis coronam imponere. Statim coniicere cœpit, sibi victoriam portendi: pugnabat enim pro fertilissimis agris, iamque multas & egregias in folliculis spicas habentibus. erat enim tota circum regio consita, pacisque speciem vndique aristis vestita præbebat. Confirmauit hanc opinionem & hoc, quod tesseram hostium Alexandrum esse & Mineruam audiebat: itaq; ipse suis Alexandrum cum Cerere tesseram dedit, omnesque arma sua redimire spicis iussit. Sæpe autem ducibus suis cum statuisset indicare, pugnam contra Craterum faciendam esse, ne solus tam grauis & arcanæ rei conscius esset: tamen continuit se, consiliumque suum secutus est, eique se in præsenti periculo credidit. Cratero neminem Macedonum, sed equitum alas duas opposuit, ducib. Pharnabazo Artabazi F. & Phœnice Tenedio: his mandauit, vt quam primum conspexissent hostem celeriter occurrerent & prælium committerent, neque vllam moram interponerent, neve vllam vocem aut præconem admitterent: magnopere enim metuebat, ne Cratero agnito Macedones à se ad eum transirent: Ipse age mate trecentorum equitum, quos fortissimos habebat, coacto, in dextrum latus concessit, in Neoptolemum pugnaturus. Postquam Eumenis exercitum superato qui medius erat colle Craterus conspexit magno cum impetu contra se venire; obstupuit, Neoptolemoque multis factis conui-

*Eumenis callidit as.*

ciis, qui ipsum in falsam de transitione Macedonum spem adduxissent, cohortatus suos, vt fortes se strenuosq; præberent, hosti occurrit. Acris ab initio fuit conflictus, statimq; hastis perfractis ad gladios res deuenit: ibi Craterus, cum dignum se amicitia Alexandri Magni ostendisset, multos hostium deiecisset, sæpe aduersos repulisset, tandem à latere à Thrace quodam ictus, ex equo defluxit. Iacentem reliqui præteruecti sunt, quis esset ignorantes: Gorgias autem vnus ex Eumenis ducibus cum agnouisset, male iam affecto, & cum morte luctanti custodiam apposuit. Interim Neoptolemus cum Eumene congressus est, antiquo vterque in alterum odio inflammatus. Semel atque iterum cõcursum est, priusquam mutuo se agnoscerent: tertio congressu agniti inuicẽ, statim sublato clamore, strictis gladiis contra se imperum dederunt. Magna autem vi, triremiũ in morem, collisis equis, omissis frænis manus galeis inuicem iniecerunt, easq;, & thoraces ab humeris mutuo diripuerunt: atq; hanc inter conflictationem subterfugientibus equis, vna in terram delapsi, colluctatiq; sunt. Ibi Neoptolemo prius assurgenti Eumenes poplitem succidit, atque ipse in pedes consistere occupauit. Neoptolemus altero genui innixus, inferne ictus quidem, non tamen lethales inferẽs se defendit, donec iuxta ceruicem cæsus cecidit moribundus, & in longum porrectus est: atque hic Eumenem arma sibi detrahẽtem, iratoq; animo conuicia facientem, gladio, quẽ adhuc tenebat, qua thorax iuxta bubonem definit, sauciauit. Verum is ictus, vt inualidus, plus terroris quam damni attulit. Eumenes spoliato cadauere, male affectus femorum & brachiorum vulneribus, tamen in equum impositus, ad alterũ cornu accurrit, resistere etiamnum hostes putans. Audita morte Crateri, ad eum equo citato venit, atq; adhuc spirantem, animiq; compotem cernens, ab equo descendit, & illa cruauit, dextraq; iniecta multis verbis insectatus est Neoptolemum, fortunamq; Crateri, & suam necessitatem deplorauit, qua cũ viro amico sibi & familiari, euentu hoc alterutri proposito, cõgredi cõpulsus fuisset. Hac victoria Eumenes decimo fere die post superiorem potitus, magnã sibi gloriam parauit, quod partim prudentia, partim fortitudine bellum confeciisset: sed magnam ei & apud suos & apud hostes inuidiam fecit, quod peregrinus homo & aduena, armis &

mis & manibus Macedonicis nobilissimum & primum Macedonũ interfecisset. Quod si Perdiccæ contigisset de morte Crateri nuncium accipere, haud dubie nemo alius in Macedones principatum obtinuisset. Nũc Perdicca duob. ante diebus in Aegypto per seditionem necato, fama huius pugnæ in castra peruenit: statimq; ea iritati Macedones, morte Eumenem dãnauerunt, bellumq; contra eum gerendum Antigono & Demetrio mandauerunt. Et cum Eumenes in armenta equorum regiorum, qui apud Idam pascebantur, incidisset, indeq; acceptis quotquot opus videbatur equis, procuratoribus eorum summã scripto indicasset: risisse fertur Antipater, & dixisse, Mirari se prudentiam Eumenis, qui speret se regiorum bonorum rationem ipsis exhibiturum, aut ab ipsis accepturum. Statuerat quidem Eumenes, vt qui equitatu præualeret, apud Sardeis in campis Lydiis decertare, studens simul Cleopatræ suas copias ostentare: ea tamen ipsa orante (metuebat enim ne in reprehensionẽ Antipatri incurreret) in Phrygiam superiorẽ recessit, & Celænis hyberna habuit. Ibi Alcetæ, Polemoni, & Docimo secum de summa rerum contendentibus, Hoc erat, inquit, quod dici solet: at nulla habetur perniciei ratio. Militibus stipendia se triduo pollicitus persoluturum, villas eis & arces eius regionis vendidit, mancipiorum & pecoris plena. Hæc qui emerat phalangis aut mercenariorum militum dux, admotis, quas Eumenes præbebat, machinis expugnabat: & quod captum erat, inter milites pro ratione debiti stipendij diuidebant. Hæc res magnum amorem Eumeni conciliauit. Itaq; literis in castra allatis, quas hostium duces sparserãt, centũ talenta & honores ei qui necasset Eumenem pollicentib. admodum iritati Macedones decretum fecerunt, vt mille de prætorianis militibus præsidij causa perpetuo Eumeni adessent, eumque inter obambulandum custodirent, noctuque apud eum excubias agerent. Atque illi munus istud obiuerunt, gaudebantq; ab imperatore eos sibi honores conferri, quibus amici à regibus afficiuntur: nam causias etiam purpura prætextas, chlamydesque Eumenes largiebatur, quod est apud Macedones donum maxime regium. Enimuero secundæ res etiam ingenio modico & submisso præditos attollunt, vt magni sibi videantur, cristasque erigant, cum excelso loco se constitutos cernunt: vera animi magni-

*Perdicca interitus.*

*Eumenes hostis iudicatus.*

*Militum in eum mor.*

magnitudo & constantia rebus aduersis ferendis, emendãdisque casibus eluceſcit. Cuius rei exemplum Eumenes præbuit. Primum enim in Orcyniis Cappadociæ victus ab Antigono intercedente proditione, cum insequerentur hostes, non passus est proditorem in fuga ad eos euadere, sed comprehensum in crucem egit. Aduerso inde itinere à fuga reuersus, hostes fefellit, iisq; præteritis, vt ad locum peruenit, quo in loco pugnatum fuerat, castra ibi fecit, cadaueribusq; collectis, ianuas in propinquo sitorum pagorum cõscidit, iisq; lignis ea cremauit, seorsim duces, seorsim gregarios milites, tumulisque eorum congestis, abiit. ita vt Antigonus quoque postmodo reuersus, audaciam eius & constantiam admiratus sit. Deinde cum in impedimenta Antigoni incidisset, in quibus multi liberi homines, multi erant serui, & ingentes tot bellis prædationibusq; partæ opes, safileq; ea capere posset: veritus tamen est, ne milites sui præda & opibus onusti, segnes ad fugam fierent, & ad errandum tempusq; vagando terendum (hac enim suam spem in re potissimum habebat, eaque Antigonum auertere statuerat) molliores. Itaq; cum difficulter videret Macedones ab iis, cum in promptu essent, abstineri verbis posse: iussit vt corpora prius curarent, equisq; pabulum darent, atq; ita demum hostem inuaderent. ipse ad Menandrum (qui impedimentis ducendis præerat) simulans ei se ob pristinam familiaritatem cupere, misit qui monerent, vt celerrime ex locis incursioni equestri commodis & deiectis in proximos mõtium procursus recederet, equitatui & circumdationi iniquos. Menander statim intellecto periculo, se eo recepit. Ibi Eumenes mandato militibus, vti arma caperẽt, & equos frænarent, mox in hostem ituri, emisit palam speculatores: atque hi cum retulissent Menandrum locorum natura ab omni incursu tutum iam esse, simulans ægre id se ferre, exercitum abduxit. Antigonum perhibent, Menandro hæc coram eo testante, Macedonibusq; humanitatem Eumenis laudantibus, eiq; fauere incipientibus, vt qui liberos eorũ cum in seruitutem abducere, & vxores, quibus vim potuisset facere, dimisisset, dixisse: At ille, inepti, non vestri commodi causa id egit, sed sibi ipsi fugienti huiusmodi iniicere cõpedes noluit. Exinde fugiens Eumenes, & vagans, multis suorum militum persuasit vt ab ipso discederent: siue quod

*Strategema.*

corum

curam gereret, siue quod turbam pugnæ imparem, & tamẽ maiorem quam quæ latere posset, trahere secum nolebat. Ita Noram peruenit, quod est castellum in confinio Lycaoniæ & Cappadociæ, cum equitibus quingentis, & ducentis armatis peditibus: ibi quoque suorum quotquot loci iniquitatem, penuriamve metuentes dimissionem petebãt, consalutatos benigne à se dimisit. Cum eo peruenisset etiam Antigonus, & antequam obsidionem inciperet, ad colloquium Eumenem euocaret, respondit, Antigoni multos esse amicos, & qui post eum duces creari possent: iis autem, pro quibus ipse bellum gereret, se adempto, nullum superesse: obsides itaque mitteret, si colloqui vellet. Eodem postulante, vt ad se veluti præstantiorem ad conferendos sermones veniret, negauit se quenquam se ipso præstantiorem agnoscere, quandiu gladium teneret. Antigono tamen fratris filium Ptolemæũ in castellum, vti postulauerat Eumenes, mittente, ita demum ad eum descẽdit. Amice admodũ cõgressi, seq; complexi mutuo sunt, vt familiares iam olim, seq; inuicẽ plurimum vsi. Multis verbis commutatis, cum nullam securitatis petendæ, aut pacificationis mentionem Eumenes faceret, prouincias modo sibi confirmari, & dona reddi postularet: admirari subiit præsentibus hominis magnanimitatẽ atq; confidentiam: concurrebantq; simul frequentes Macedones, Eumenes qui vir esset cernere cupientes, neq; enim à Crateri morte vllius alterius tanta fuerat in exercitu mentio. Antigonus autem metuens, ne vis ei fieret, primo militib., ne accederent edixit, lapidibusque impetiit accedentes: ad extremum manus ei iniecit, remotaq; per stipatores turba ægre in tutum locum reduxit. Pro inde Nora munitionibus clausa, relictoque ad obsidionem præsidio abiit. Eumenes autem obsessus in loco, in quo prẽter copiam satis amplam panis, aquæ & salis, nihil ciborũ nihil condimentorũ esset, vtcunq; tamen hilarẽm vitæ consuetudinem sociis reddebat, eos per vices suæ adhibens mẽsæ, & conuictum gratioso colloquio, comitateq; condiens. Erat & forma eleganti, nõ bellicoso homini, armisq; durato similis, sed nitidus, adspectu iuuenili, omnibusq; mẽbris ita compactus, vt mirabilem eam concinnitatem omnium partium ab arte aliqua effectam diceres: non magna in eo vis sermonis fuit, sed tamen suauem, ac non infacundum

*Cum Antigono colloquium.*

fuisse ex epistolis eius apparet. Verũ ea obsidione nihil perinde obfuit sociis eius, quam angustia loci, duorum stadiorum ambitu contenti: quo fiebat, vt cibum & ipsi non exercitato prius corpore caperent, & equis ociosis præberent. Itaq; vt ne desidia plane obtorperent, sed saltem ad fugam, si ita res tulisset, vtcũq; paratis vti posset, domum, quæ Noræ amplissima fuit, quatuordecim cubitorum longitudine, ambulationi militum destinauit, sensim eos motum corporis intendere præcipiens. Equorum autem vnũquenq; magnis loris ad culmen alligatis à partibus quæ circa collum sunt succingens, trochlearum adminiculo ita eleuauit, vt posterioribus pedibus terræ innixi, priorum primoribus tantum vngulis eam contingerent. Ita suspensos equisones clamoribus & flagellis irritabant: equi ira repleti, prioribus pedibus saliebant, eosq; iactantes, cum posterioribus inniti solo contenderent, totum corpus extendebant, multumque sudoris & gemituum emittebant. atque ea exercitatio cum ad robur, tum ad celeritatem augendam erat non incommoda. Hordeum quoque mola prius fractum iis dabant, vt & conficerent citius, & concoquerent melius. Tracta iam aliquandiu obsidione, Antigonus audito Antipatrum in Macedonia mortuum, Casandrum vero & Polysperchontem de summa rerum litigantes tumultum dedisse: nihil iam exiguum, sed vniuersum animo concipiens imperium, Eumenem socium sibi, & rerum gerendarum administrum parandum duxit. Itaq; misso Hieronymo, cum Eumene pacem fecit, proposito tamen ei iuramento: cuius formula emendata Eumenes Macedonib. ad obsidionẽ ab Antigono relictis diiudicandum dedit, rectiusne ipse an vero Antigonnus eam concepisset. Etenim Antigonus ab initio tantum facta, inuidiæ euitandæ causa regum mentione, cæteroquin Eumenem sibi soli obstringebat: Eumenes primo post reges loco Olympiadem adscribebat, neq; Antigono tantum, sed & Olympiadi & regib. cæteris fidelem se futurum, eosdemq; cum iis amicos inimicosq; habiturũ promittebat. Iustius hoc Macedonib. visum est, atq; ita iurato Eumene obsidionem soluerunt, missis ad Antigonum, qui ab eo vicissim iuramentum Eumenis nomine acciperent. Interim Eumenes Cappadocib. obsides, quos Noris habuerat, reddere ac loco eorum equos, iumenta, & tentoria accipere,

Exercitatio.

cipere, milites, qui à fuga disperſi per eam regionem errabant, ad ſe colligere, ita mox haud multo minores mille equites ſecum habere: his cum copiis Antigonum fugere. Neque enim fefellit eum animus eius, qui non modo obſideri rurſus Eumenem iuſſit, ſed & acerbe obiurgauit per literas Macedones, quod eius correctionem iuramenti approbaſſent. Cæterum ad Eumenem, dum fugit, literæ afferuntur, miſſæ ex Macedonia ab iis, qui incrementa Antigoni metuebant: in iis Olympias Eumenem hortabatur vt ad ſe veniret, Alexandriq; filiolum inſidiis impetitum educandum ſuſciperet: Polyſperchon & rex Philippus iubebant bellum contra Antigonum gerere, ducem copiarum quæ erant in Cappadocia, itemq; accipere ex regia pecunia, quę erat Quindis repoſita, talenta quingenta, quibus acceptũ damnum reſarciret, ad bellum vero gerendum, vti quantum opus eſſet ea pecunia. Iiſdem de rebus etiam ad Teutamum Antigenemque argyraſpidum præfectos perſcripſerant. Sed hi litteris allatis cum accipere ſe libenter amicoque animo Eumenem ſimularent, inuidia autem & ambitione grauiſſime laborarent, indignati ſeſe Eumeni poſthabitos: inuidiam quidem is recuſando pecuniam, tanquam nihil eius indigens, amouit: ambitionem vero eorum, & principatus cupiditatem, neq; ducere valentium, neq; ſequi volentium, obiecta animis religione compeſcuit. Alexandrum perhibuit in ſomnis ſibi viſum tabernaculũ regio more inſtructum, ſoliumq; in eo collocatum demonſtraſſe ac dixiſſe: Ibi ipſis conſultantibus ſe adfuturum, & ſi à ſe initium feciſſent deliberationis, omnibus eorum conſiliis actionibusq; operam nauaturum. Id facile perſuaſit Antigeni ac Teutamo, cum neque hi ad ipſum accedere, neque ipſe ad fores aliorum conſpici vellet. Itaque tabernaculo & ſolio regio, Alexandro dedicato, collocato, eodem conuenerunt ſummis de rebus communicaturi conſilia. Inde in ſuperiores regiones proficiſcẽtibus, Peuceſtes cum reliquis ſatrapis occurrit amicus, copiasque coniunxit: itaque iam armorum multitudine & apparatus ſplendore res Macedonica iis in locis firma erat. At vero ipſi duces potentia contumaces luxuque molles redditi poſt obitum Alexandri, ſpiritusque tyrannicos barbarica arrogantia nutritos in vnum conferebant: itaque inuicem moleſti, & diſcordes

*Antigonus elabitur.*

effuse adulando Macedonas, cœnasque & victimas prodige exhibendo, exiguo temporis spacio luxuria quasdam veluti festas nundinas in castris instituerunt, plebisque factiones in deligendis sibi ducibus (veluti in populari reipub. administratione fieri assolet) excitauerunt. Ea propter Eumenes sentiens eos sese mutuo cõtemnere, ipsum metuere, & in hoc esse, vt capto tempore occidant: pecunia sibi opus esse simulauit, eoque sub prætextu ab iis, quibus maxime odio erat, multa talenta mutuo accepit, vt ij fidem ipsi haberent, & metu amittendi crediti ab insidiis desisterent. Ita euenit, vt alienam ille pecuniam corporis sui custodem habuerit: & aliis salutem suam data pecunia redimentibus, solus ille accipiendo tutum sese præstitit. Neque secius tamen Macedones extra periculum versantes munera captabant, & ad limina eorum, qui stipari volebant, imperiumque affectabant, commeabant. At vbi Antigonus cum magnis copiis accessit, & res ipsa quasi loquens verum ducem flagitauit, non milites modo tum Eumeni obtemperare, sed illi etiam ipsi, qui pacis tempore & in luxu magni aliquid essent, missa ambitione taciti mãdatum exequi. Et vero apud Pasitigrim fluuium, cum Antigonus transire aggressus cæteros hostium duces obseruare iussos fefellisset, solus Eumenes eum excepit, commissoque prœlio tantam edidit hostium stragem, vt cadaueribus amnis repleretur: & quatuor millia captiuos abduxit. Maxime vero ostenderunt ægrotante eo Macedones, quod reliquos splendide epula præbere, & oblectare animos militũ, solum autem Eumenem bellum gerere posse, & exercitum ducere arbitrarẽtur. Etenim Peucestas in Persica cum splendidam viscerationem, singulisque victimam ad immolandum suppedita sset, maximum se esse sperabat. Paucis post dieb. exercitu cõtra hostes proficiscẽte Eumenes periculoso morbo affectus, ne insomnia eum ob tumultus militum torqueret, extra aciem in lectica ferri se iusserat. Paululum progressis, repente in conspectũ hostes venerunt superatis quibusdam tumulis in planicie descendentes. Quorum vbi aurea arma splendorem ad Solem dederunt, agemate composito ordine incedentes, superque elephantos turres & purpuræ conspectæ sunt, vti eorum mos est ad pugnam euntium incedere: ibi vero primi Macedonum fixo gressu, cum clamore Eumenẽ vocauerunt,

*Antigonus clade affectus.*

uerunt, & nisi ipso ducente vltra progressuros negauerunt, fixisq; in terram armis, sese inuicem vt eum expectarẽt hortati sunt: edixerunt etiam ducibus, ne quid illo absente agerent, neve cum hoste confligerent. Quo audito Eumenes lecticariis properare iussis ad eos peruenit, & aulæis lecticæ vtrinq; deductis, manum dextram lętus eis protendit. Macedones simul atq; Eumenem cõspexere, Macedonicis verbis consalutauerunt, scuta resumpserunt, sarissisque ea pulsantes, hostem præsentia imperatoris freti ad pugnam ꝓuocarunt. Audiuerat ex captiuis Antigonus ægrotare Eumenẽ, & male affectum lectica ferri: itaq; hoc decumbente facile reliquos superatũ iri fidens, ad pugnã properauerat. Sed hostibus ordines instruentibus aciem obequitans, eius figurã & dispositionem inspiciens, stupefactus aliquandiu substitit: postea quàm verò lecticam ab vno cornu ad alterũ transire vidit, cachinno (vti solebat) sublato, Hæc ergo, inquit, amici, erat lectica illa nobis opposita? statimq; retrò abduxit copias, & castra fecit. At milites Eumenis paululũ quietis nacti, factiones iterum exercebant, ducibus eis materiã lasciuiendi præbentibus: itaq; hybernis totã prope Gabenam occupauerunt, cum quidem primi ab extremis ad mille vsq; stadia abessent. Quod vt cognouit Antigonus, subito cõtra illos alia via difficili & aquæ carente, salebrosaq;, compendiosa tamen, duxit, sperans fore vt si in eos subito in hibernis irrueret, multitudo ad duces suos cõuenire nullo modo posset. Verùm in vastam & habitationibus nudam terram ingresso, violenti venti, frigoraq; ingentia obstiterunt, exercituiq; grauiter obfuerunt: neq; aliud erat remedium, quam multos ignes succendere. Ideo hostes nõ fefellit: sed barbari qui montes versum solitudinem spectãtes incolunt, multitudinẽ ignium mirati, Hispastriis camelis impositos nuncios ad Peucestam miserunt. Is verò terrore exanimatus, cum reliquos eodẽ modo cerneret affectos, fugæ se dedit, excitatis qui in itinere erãt militibus. Sed Eumenes trepidationem repressit, suis promittens, ita se hostium celeritatem inhibiturum, vti triduo quam putarent tardius aduenirent. Simul & dimissis per hyberna nunciis, qui milites celeriter vnum in locum cõducerent, ipse cum reliquis ducibus eques ad locum profectus est, qui late cõspicuus esset per deserta proficiscentibus: eum dimensus,

per interualla multos ignes, vti in castris fieri solet, incendit. Antigonus, cùm ignes illos montanos conspexisset, graiter indoluit, ratus hostes iampridem eius aduẽtu cognito occurrere. Itaq; ne cum paratis ad pugnam, & bene in hybernis habitis suos itinere defatigatos confectosque committeret, omisso compendio per pagos & vrbes duxit, paulatim reficiens exercitum. Ibi cùm nemo ei, id quod alias hostibus in propinquo degentibus fieri solet, obstaret, finitimiq; nunciarent, nullum omnino exercitum, sed multos tantum ignes visos sibi, deceptum se Eumenis astu sensit, idq; iniquè ferens, perrexit eo animo, vt prœlio decerneret. Interim copiæ ad Eumenem congregatæ maiori ex parte sunt, militesq; eius prudentiam mirati, solum ipsum præesse rebus iusserunt. Hoc argyraspidum duces Antigenem & Teutamum ita vsſit, vt insidias Eumeni struxerint, & cum pleriſq; satrapis atq; ducibus inito consilio, vti eius opera in prœlio, inde statim necare statuerint. Id eorum institutũ Eudamus elephantis præfectus, & Phædimus occulte ad Eumenem detulerunt: non beneuolentia ij, sed metu amittendi debitum moti. Eumenes collaudatis eis, in tẽtorium suum ingressus amicis dixit, in turba belluarum se versari, testamentum condidit, literasq; omnes conscidit, ne ipso mortuo ex earum arcanis qui scripserãt crimine calumniáve vrgeri possent. His actis, an proderet victoriam hosti, an verò fugiendo per Mediam & Armeniam in Cappadocia pergeret dubius, multa mouens animo, neq; quicquam amicis præsentibus certi constituens, sed ad omnem fortunã cogitationes dirigens: tandẽ vicit seipsum, aciemq; instruxit, Græcos & barbaros cohortatus, cùm vltrò ipsum phalanx & argyraspides bono esse animo iuberent, & hostes suum impetũ non substituros dicerent. quippe grandæui erant milites, auspicia Philippi & Alexandri secuti, & veluti athletæ præstantissimi ad id vsq; tempus nunquam hosti succubuerant: multi septuagenarij erant, nullus sexagenario minor. Atq; hi Antigoni copiis coeuntibus, Impios esse, qui aduersum patres suos arma ferrent vociferati, tãta cum ira irruerunt, vt totam simul phalangem obtererent, nemine eorum vim perferente, & pleriſq; hostium eo conflictu deleti s. Abea parte plane victus Antigonus, equitatu præualuit: Peucestaq; turpiter & segniter prœliante, impedimen-

*Insidiæ suorũ in Eumenem.*

dimentis hostium omnibus potitus est. Quam ad rem ei, tametsi strenuũ sese tum gessit, plurimum locus ipse auxilij attulit. Vasta enim erat planicies, neq; solida ea & terrena, sed sabulosa: eaq; tũ arena pugnę tẽpore tot equorũ hominumq; pulsata & subuersa pedibus, se in auras extulit, & puluere albo calcis instar aerem dealbauit, conspectumq; ademit. quo facilius Antigonus impedimenta hostibus nõ obseruantibus, cepit. Finito prœlio cõfestim Teutamus legatos ad Antigonum misit, res suas repetitũ: respondit Antigonus non ea modò se redditurũ, sed & benigne tractaturũ præterea argyraspides, siquidem Eumenem sibi dederent. Hic immane argyraspidibus consilium incidit, ducem suũ viuum in manus hostiles tradendi. Et primùm absq; suspicione ei se adiungebant, obseruabantq;, partim amissa impedimenta deplorãtes, partim bono animo eum, vti victorem, esse iubentes, partim de reliquis ducibus quærentes. Deinde impetu facto, gladiũ ei eripuerunt, manusq; in tergum zona reuinxerunt. Vt verò Nicanor ab Antigono missus aduenit, vti eum abduceret: ibi cùm per Macedones medios traheretur, petiit vt copiam sibi dicendi facerent, non pro se deprecaturo, sed de rebus exercitum vtilibus monituro. Facto inde silentio, sublimi in loco constitit, manusq; vinctas protendens: Poterátne, inquit, Macedonum pessimi, Antigonus tale de vobis statuere trophæum, quale vos de vobis ipsi tradendo imperatore vestro statuitis? Nónne indignum est facinus, vos parta victoria propter amissa impedimenta victos fateri? (quasi verò in his, non in armis victoria sit) & pro iis redimendis ducem vestrum tradere? Ipse quidem inuictus abducor, qui victis hostibus, à commilitonibus meis perdor. Vos autem ego per Iouem militarem, & deos qui iuramenta obseruant obtestor, hic me vos necate: vtiq; enim ibi etiam cæsus, à vobis cæsus dicar. neq; reprehendet factum Antigonus: non enim viuum, sed mortuum cupit Eumenem. Sin manibus vestris parcitis, altera mearũ vinculis soluta rei peragendæ sufficiet. Quod si gladiũ mihi non creditis, at vinctũ me elephantis obiicite. Id si feceritis, insontes vos pnuncio, & qui sanctissime iustissimeq; imperatorẽ suũ tractauerint. Hæc eius verba apud reliquam multitudinem miserationẽ & luctum excitauerũt: argyraspides verò clamabant, vti duceretur, neque nugis

eius

eius aures præberentur: nihil enim iniquum esse, si Cherronesia pestis lugeat, quæ innumeris bellis Macedonas exercuerit: id verò indignum esse, Alexandri & Philippi præstantissimos milites tot exantlatis ærumnis in senectute priuari laborum præmiis, cibumq; ab aliis petere, vxores eorum tertiam iam noctem cum hostibus concumbere. Simulque accelerato itinere abducebatur. Sed Antigonus turbam metuens (nemo enim in castris remanserat) decem præstantissimos elephatos emisit, multosq; hastatos Medos & Parthos, qui multitudinem reprimerent. Adductum verecundia pristinæ amicitię & consuetudinis aspicere non sustinuit: quęrentibus iis quibus erat traditus, quomodo tractari eum vellet, vt elephantum, vt leonem, respondit. Paulo tamen pòst miseratione motus, grauiora ei vincula detrahi iussit, puerumq; qui inungeret ex domesticis eius admitti, itemq; amicos qui colloqui vellent, aut alimenta adferre. Deliberans inde de eo per aliquot dies, sermones & promissiones Nearchi Cretensis, & filij sui Demetrij admisit, qui saluum Eumenem cupiebant, reliquis vno ore necem eius vrgentibus. Ferunt Eumenem ex Onomarcho, qui custodiebat ipsum, quæsiuisse, cùrnam Antigonus hoste suo potitus, nõ aut statim trucidaret, aut ingenue dimitteret. Respondisse eum super be, non in præsentia, sed in ipso prœlio animo ad mortem parato esse debuisse. tum Eumenem: Et verò fui, idq; ita cognosces ex iis, qui manum contulerunt: tametsi in præstantiorem me incidi neminem. ad hæc illum: Nimirum ergo cum nunc eum inueneris, tempus eius opportunum expecta. Antigonus autem, cum Eumenem occidere statuisset, cibum ei subtrahere iussit: biduoq; aut triduo ita ad mortem ductus, cum subito castra essent mouenda, immisso percussore interfectus est. Corpus eius amicis cremandum Antigonus dedit, iiq; ossa lecta in argenteam vrnam vxori eius & liberis remiserunt. Hunc ad modum interempti Eumenis mortem fatum non alterius cuiusdam ducis opera vltum est, sed ipse Antigonus duces & milites argyraspides ob proditionem impios & immanes reputãs, Ibyrtio Aracho siæ præfecto tradidit, eosq; quibuscunque modis absumi & interfici iussit: ne quis eorum in Macedoniam redire, aut Græcum mare inspicere posset.

*Mors Eumenis.*

*Vltio.*

IN

# IN EVMENEM, INTERPRETIS ANNOTATIONES.

EVmenes hic (nam fuerunt & alij hoc nomine) vnus fuit de successoribus Alexandri Magni: vt facile, cum quibus vixerit, ac quo tempore, appareat. Multa de eius rebus gestis sunt apud Diodorum Siculum lib. 18. & vita eius etiam in libello Æmilij Probi (vt fertur) continetur descripta. Cardia autem patria eius, vrbs est Chersonesi Thraciæ non obscura. Amiotus Sertorij vitam huic præmisit: & quia hæc incipit, Εὐμενῆ δὲ, &c. cogitare posßit aliquis, non abs re id factum: ac fortaßis ita in alijs Græcis codicibus reperit ordinatas. Ego meum secutus sum: neque quicquam est periculi.

1 Regis socios.] Ita vocantur ij quos aulicos nos (puto) non incommodè diceremus. Erant autem principes Macedonum, quorum plerosq; Arrianus commemorat.

2 Ipse agemate trecentorum.] ἄγημα vocabulum tale est, quod consultius sit relinquere (quod video etiam optimos scriptores feciße) quam vel agmen, vel quiduis aliud eius loco ponere. eius generis sunt etiam phalanx, sariſſa, & multa alia. ἄγημα (inquit Appian. in Syriaco) εἰσὶν ἱππεῖς ὁπλεῖται, καὶ παρ' αὐτὸ ἄγημα λέγονται. equites sunt delecti, atq; inde eis nomen. Vsurpat etiam Liuius hoc nomen. & verò ita, vt pateat tam de peditum lecto agmine, quam de equitatu accipi. Plura huc conferre supersedeo.

3 Villas, & arces.] ἐπαύλεις καὶ τετραπυργίας. Ad verbum esset Quadriturria. intelliguntur (opinor) castella vel arces. Quod autem paulo ante est, Nulla habetur perniciei ratio: Prouerbium videtur esse, quo notentur ij qui grauißimo imminente periculo, adeoq; exitio, tamen alijs curis vacent, salutis suæ posthabita ratione. Quod tum Alcetas, Polemon & Docimus faciebant, cùm quidem damnati à Macedonibus & ingruente Antigono, cum Eumene de impe-

*imperio contenderent. Rectius Aristides, qui vt suos docuerit ista ambitione hostibus instantibus abstinere, ac salutis potius suæ & victoriæ parandæ curam gerere, in eius vita exposuit Plutarchus.*

4 Quindis reposita.] *Quinda castellum Ciliciæ fuit, supra Anchialam situm, vbi thesauros suos Macedones habebant, & pecuniam regiam. Strabo libro 14. infra in Demetrio, alij.*

## *PLVTARCHI SERTORIVS, GVIlielmo Xylandro, Augustano, interprete.*

*Casuum similitudines.*

MIRVM fortassis non est, si infinito temporis cursu tantaque inconstantia fortunæ, iidem sæpenumero casus reuoluuntur. Nam siue infinitæ sunt ei subiectæ res, ipsa materiæ copia satis causæ esse potest, cur similes aliquando effectus producantur: siue certo numero res naturales adstrictæ sunt, necesse est sæpe ab iisdem causis eosdem effectus proficisci. Sunt qui hac euentuum similitudine oblectati, ex historiis & fama exempla eorum colligant, quæ ita fortuito acciderunt, vt consilium vel prouidentiam causam habuisse videantur. Verbi causa, quod duo Atties illustres cum fuerint, vnus Syrus, alter Arcas, vterque ab apro est interfectus: ex duobus Actæonibus vnus à canibus est, alter ab amatoribus discerptus: duo Scipiones fuerunt, quorum prior Carthaginenses debellauit, posterior excidit: Ilium captum est primum ab Hercule ob equos Laomedontis, deinde ab Agamemnone lignei equi opera, tertiò à Charidemo, cùm equus portæ illapsus eam celeriter claudendi impedimento ciuibus fuit: quod de duarum vrbium, quæ à suaueolentissimis plantis, viola & myrrha nomen habent, Ios nimirū & Smyrna, altera natales, altera mortē Homeri suscepisse dicitur. Addamus ergo licet nos illis hoc: ex pstantissimis bello ducibus, & qui maximas res dolo & calliditate gesserunt, altero oculo caruerunt, Philippus, Antigonus, Annibal, & (de quo nobis in præsentia instituitur sermo) Sertorius. Is Philippo quidem abstinentior mulierum fuit,

Anti-

Antigono fidelior erga amicos, Annibale in hostes clementior, prudentia nulli horum secundus, fortuna omnibus inferior fuit: quæ cùm omnibus in rebus multo ei plus, quã aperti hostes, molestiæ exhibuerit, ipse tamen Metelli sese peritiæ, Pompeij audaciæ, fortunæ Syllæ, potentiæ Romanorum (quibus sese exul ipse, & barbaros aduena ducés opposuit) parem constituit. Huic de Græcis Eumenem maxime Cardianum comparamus. Vterque enim imperandi & bellum astute gerendi peritus fuit, vterq; à suis abalienatus peregrinos duxit, vterq; violenta & iniusta morte periit, ab iis quorum opera hostes vicerat, per insidias interemptus. Q. Sertorius loco haud ignobili natus Nursiæ in Sabinis, orbus patre apud matrem viduam (Rheæ nomen fuisse ferunt) honeste educatus fuit. Causis dicendi ita se exercitauit, vt facundia sibi adolescens adhuc aliquid in vrbe potentiæ parauerit: sed res militiæ præclare gestæ, à foro ad castra studium eius transtulerunt. Primum cum in Galliam Cimbri ac Teutones irrupissent, stipendia sub Cæpione faciens, Romanis fusis, amisso equo & consauciato corpore Rhodanum tranauit cum thorace & scuto, viribus corporis (quas laboribus & exercitationibus auxerat) aduerso & valido flumine superato. Deinde iis cum multis millib. reuersis, tantumq; terrorem obiicientibus, vt Romanum ordines tueri, & imperata facere, magnum aliquid fuerit: à Mario belli eius duce speculatum emissus, veste Gallica vsus, & sermone vulgato, quantum eius ad congressus subitos opus erat, barbaris se permiscuit, & quorum causa venerat partim visu partim auditu cognitis, ad Marium rediit, estque tum ab eo præmiis affectus: in reliquo deinde bello cùm multis egregiis factis suam prudentiam & audaciam declarasset, nomen apud imperatorem, fidemque sibi parauit. Post Cimbricum bellum tribunus militum cum prætore Didio in Hispaniam profectus, Castulone Celtiberiæ vrbe hyemauit. Hic cum barbari milites Romanos plerunque, vt in copia rerum fit, lasciuientes & ebrietati deditos contemnerent, auxilioque noctu à finitimis Gyrisœnis accito per domos circumeuntes ma- *Strate-*nus eis afferrent, elapsus Sertorius, conductis iis qui ipsi *gema.* quoque vrbe effugerant, mœnia ambiuit, easque portas, per quas Gyrisœni accepti fuerant, apertas offendens,

præsidio

præsidio muniens, vrbem occupauit, adultosq; omnes trucidauit. Tum militibus suis mandauit, vt armis suis vestibusq; positis, barbarico habitu sumpto ipsum sequerentur, ad eam vrbem duxit, ex qua missi erant Castulonem qui Romanos noctu adorti fuerant. Itaq; armorum aspectu deceptis barbaris, portas apertas inuenit, inq; hominum turbâ incidit, qui se ciuibus suis amicisq; re bene gesta redeuntibus occurrere putabant: quo factum, vt pleriq; à Romanis apud portas trucidarentur, reliqui seipsos tradiderunt, & diuenditi sunt. Hoc facinus magnum Sertorio per Hispaniam nomen fecit. Inde vt primùm Romam rediit, quæstor in eam quæ Pado adiacet Galliam missus est, & quidem opportuno tempore. Marsico enim bello commisso, iussus exercitum conscribere, & arma parare, celeriter id, secus quâ reliquorum iuuenum tarditas & mollicies ferret, perfecit, hominisque strenui nomen inde reportauit. Neque verò ducis dignationem adeptus, militarem audaciam abiecit: sed & manu admirabilia edens facinora, & corpus periculis obiiciens frequenter, alterum oculorum ex vulnere amisit. Quo ipso se maxime ostentare solebat, reliquos non semper virtutis suæ præmia secum ferre, sed deponere monilia, hastas, coronas: sibi verò fortitudinis suæ indicia nûquam non adesse iactans, eosdemque se virtutis & fortunæ suæ inspectores habere. Populus quoque dignos ei honores habuit: quippe in theatrum intrantem plausu est lætisque acclamationibus prosecutus: id quod paucis ætate & gloria præstantibus viris obtigit. Tribunatum verò plebis petens, Syllæ factione victus repulsam tulit: quæ quidem causa fuisse videtur cur Syllam oderit. Posteaquam Marius à Sylla superatus fugit, & Sylla ad Mithridaticum bellum abiit, consulum porrò alter Octauius in Syllana sententia perstaret, alter Cinna res nouas agitaret, Mariique factionem iam collabentem resuscitaret: huic se Sertorius adiunxit, Octauium præsertim segniorem cernens, & Marij amicis nihil credentem. Commissa in foro inter consules pugna, Octauius vicit: Cinna & Sertorius cùm ad decem hominum millia amisissent, vrbe discesserunt, exercituumque qui per Italiam adhuc sparsim erant, plerisque persuadendo sibi adscitis, mox copias quibus Octauio pares essent, contraxerunt. At cùm Marius ex Africa adue-

*Oculum amittit Sertorius.*

aduectus, se Cinnæ tanquam priuatum consuli, adiungeret, reliquis recipiendum sentientibus, Sertorius contradixit: siue quòd minoris se apud Cinnam autoritatis futurũ metueret, postquam bello & imperiis gestis clarior vir ei accessisset, siue veritus, ne Marius, vt erat homo sæuus, omnia confunderet victor, ira immodica præter ius & æquũ proruens. Itaque dicebat, sibi vt quibus in promptu iam esset victoria, haud multum restare laboris: Marium vbi receptus fuisset, societatis imperii impatientem hominem infidumque, omnem gloriam ac potentiam sibimetipsi soli vindicaturum. Ad hæc cùm respõderet Cinna, rectè quidem hæc à Sertorio dici, veruntamen se non inuenire rationem Marii repellendi, quem ad societatem rerum euocasset: Ego quidem, inquit Sertorius, ipsum vltrò venire in Italiam ratus Marium, quid ex re esset cogitaui: te verò ne consultare quidem initiò decuit postquam is venit, quem venire iusseras, sed recipiendus fuit, eoq; vtendum: fides enim data omnem deliberationem excludit. Ita Marius à Cinna accersitus, diuisæq; in tres partes copiæ. Confecto bello, cùm Cinna & Marius cædibus & iniuriis animum explerent, ita vt quæ bello mala passi fuerant Romani, aurum præ istis putarent: Sertorius neque trucidasse quenquam obiram, neque iniuria affecisse victor fertur: imò & Marii crudelitatem ægrè tulisse, & Cinnam priuatim compellando deprecandoq; moderatiorem reddidisse. Ad extremum cùm serui, quos belli socios, tyrannidis stipatores Marius habebat, & numerum eorum viresque auxerat, multa iniussu eius in dominos violenter & libidinosè committerent, ipsos necantes, vxoribus eorum & liberis stupra inferentes: tolerari porro eorum maliciam non posse ratus Sertorius, vniuersos (erant autem haud pauciores quatuor millibus) eodẽ in loco castrametatos iaculis confecit. Mario mortuo, neque ita diu pòst Cinna interfecto, Marius iunior inuito Sertorio consulatum contra leges inuaserat, Carbones, Norbani, & Scipiones malè contra Syllam aduentantem pugnauerant, res partim ignauia & mollicie ducum, partim proditione peribãt, Sertorii nullus interim erat vsus, rebus ad exitium vergentibus eò quòd qui plus possent, minus sapiebant: ad extremũ Sylla castris Scipioni oppositis, spe pacis lactato eo exercitum corrupit, &

*Moderatio victoriæ.*

ad se traduxit, cùm id Sertorius frustrà prædixisset, futurumq; demonstrasset Scipioni. His motus Sertorius, rebus vrbanis planè desperatis, in Hispaniam contendit, vt si eam obtinuisset, partium suarum hominibus aduersam fortunam passis refugium esset. Cæterùm tempestatibus grauibus iactatus, cùm in montanis locis transitū à barbaris cogeretur precio redimere, indignantibus suis, indignamque rem ferentibus, quod Romanus proconsul barbaris nebulonibus stipendiarius esset: nulla ipse eius quæ apparebat turpitudinis habita ratione, tempusque se, quo nihil carius esse homini magnam rem affectanti possit, redimere testatus, barbaros pecunia deleniuit: Hispaniáque properando potitus est. Ibi cùm in suam potestatem accepisset populos multitudine quidem & viribus florentes, sed auaricia & libidine ducum, quos subinde eò miserant Romani, ità vexatos, vt animi eorum ab omni imperio ferendo alieni essent: potentes colloquiis, populos tributorum remissione, & præsertim ab hospitio militibus præbendo eos liberando, sibi conciliauit. in suburbanis enim eos sibi tabernacula figere iussit, primusq; omnium ipse id fecit. Neque tamen omnia sua in barbarorum beneuolentia reposuit: sed Romanos qui in Hispaniam migrauerant, qui ætate erant valida armauit, machinasq; varias, & triremes fabricans, vrbes obtinuit, in pace mansuetum sese omnibus exhibens, terribilemq; apparatu hostibus. Vt verò cognouit Syllam Roma potitum, ac de Marii & Carbonis factione actum esse: missum iri statim contra se ducē exercitumq; existimās, Pyrenæos montes obsedit, misso eò Liuio Salinatore cum sex millibus legionariorum militum. Paulo pòst C. Annius à Sylla missus, cùm Liuium deiici de præsidio posse desperaret, ad radices Pyrenæi animi incertus consedit. Sed cùm Calpurnius cognomēto Lanarius quidam Liuium per dolum necasset, militesque iuga Pyrenęi deseruissent, Annius montibus superatis magna cum manu obuiis quibusque secum acceptis contra Sertorium proficiscebatur. Sertorius autem pugnæ conserendæ impar cum tribus millibus Carthaginem nouam aufugit. indeque conscensis nauibus ad eam Africæ partem, quæ Mauritania dicitur, traiecit. Ibi cum barbari milites nullo ordine aquatum progressos adorti, permultos eorum occidissent, rursus in Hispaniam nauigauit,

*Fuga in Hispaniam.*

*Fuga Sertorij ex Hispania.*

uigauit, repulsusque à littore, nauibus prædatoriis Ciliciis ad se venientibus, Pityusam insulam aggressus est, Anniiq; præsidio ejecto obtinuit. Paulo pòst eodem Annius cum nauibus multis, & armatorum quinque millibus aduenit. Cum eo Sertorius, tametsi leuibus, & non ad robur, sed ad celeritatem paratis vteretur nauibus nauali prœlio decernere statuit: sed cùm Zephyrus mare exagitasset validus, multasque eius naues, vt erant viles, obliquas ad littorum crepidines dejecisset, ipse mari vi tẽpestatis, terra hostium armis prohibitus decem integros dies cum paucis nauigiis in anchoris aduerso fluctu, asperóque æstu stetit, ægreque perdurauit. Remittente vento ad sparsas in mare quasdam insulas aqua carentes delatus est: indeque rursus soluit, & per Gaditanum fretum vectus, à dextro latere Hispaniam aggressus est paulo supra Bætis fluuii ostia: qui fluuius in Atlanticum mare excurrens, Hispaniæ finitimæ sibi Bæticæ cognomentum dedit. Ibi nautæ quidam ei occurrunt, qui nuper ex Atlanticis insulis redierant. Duæ sunt insulæ, stricto admodum freto disiunctę, decem stadiorũ millibus ab Africa remotæ: eædemque insulæ beatorum seu Fortunatæ dicuntur. Imbribus modicis, idque rarò, rigantur, plerunque lenibus & roscidis ventis perflatæ, non arationi modò & plantationi fertilem terram præbent, sed & vltrò fruges effundunt, quæ sua & copia & dulcedine sufficiant ad alendum ociosum & nullis negociis deditum populum. Aer innoxius est, annique tempestates mediocri mutatione iis in insulis variantur. Etenim qui versus eas partes à terra feruntur Borcæ, & subsolani, cùm in vastum ob longitudinem distantiæ incidant locum, dissipantur, & antequam eò perferantur, concidunt: Cauri autem & Zephyri qui ab alto circumflant, pluuias à mari modicas rarasque infundunt, plerunque humectis serenitatibus refrigerant, incolasq; placidè alunt. Itaq; vsq; ad barbaros etiã cõstans & probata percrebuit opinio, esse illis in insulis Elysios istos campos, & beatorũ, quã descripsit Homerus, habitationẽ. His de reb. vt percepit auditu Sertorius, mirabilis eũ inuasit amor eas insulas incolẽdi, tyrãnidéq; & bellis euitaris in pace & quiete viuẽdi. Quod vbi senserũt Cilices, q nõ quietẽ & pacem, sed diuitias & spolia expeterẽt, in Africã auecti sunt, vt Ascalium Iphthæ F. in Mauritaniæ regnum restitue-

*Fortunatæ insulæ.*

rent. Neque elanguit ob hoc Sertorius, sed Ascalii hostibus opitulari statuit, vt milites sui noua oblata spe, & rerũ gerendarum occasione secum manerent, neque incerti quid agerent à se dilaberentur. Pergratus fuit Marusiis eius aduentus: & rem aggressus ipsam, Ascalium pugna victum in obsidione habuit. Et cùm Sylla Pacciacũ cum exercitu misisset, vti Ascalio opem ferret, Sertorius pugna commissa, Pacciacum occidit, victorq́; exercitum eius ad se traduxit, Tigennamq́; vrbem, in quam Ascalius confugerat cũ fratribus, expugnauit. Ibi Antæum sepultum Afri narrant: & Sertorius cùm barbaris tantam corporis eius molem perhibentibus fidem non haberet, effosso monumẽto corpus sexaginta (vt aiunt) cubitorũ inueniens, obstupuit, hostiaq́; mactata sepulcrum instaurauit, honoresq́; & famam Antęi auxit. Perhibent Tigennitæ Antæo mortuo, Herculẽ cum Tingi vxore eius corpus miscuisse: inde natum Syphacem regem eius fuisse regionis, & vrbem matri cognominem condidisse: Syphaci filium fuisse Diodorum, qui ex Græcis eò ab Hercule deductis Olbianis & Mycenæis exercitu cõtracto, multas Africas gentes subegerit. Quæ quidem gratiæ data sint Iubæ, quo nemo regum alius fuit historiarum peritior: huius enim maiores à Diodoro & Syphace genus traxisse creduntur. Sertorius vrbe potitus, qui deprecabantur, seque fidei eius traderent, nullo maleficio affecit, sed & pecuniam, & vrbes, & magistratus iis reddidit, ab iisque vltrò dantibus quæ necesse erat accepit. Inde quò se verteret deliberantem Lusitani vocauerunt, missis ad eum qui imperium deferrent legatis. Nam & duce ad bellum quod à Romanis imminebat magna autoritate & peritia prædito indigebant: & soli ei se credebant, cuius de moribus ex iis qui vnà fuissent cognouerant. Sertorium quidẽ memoriæ proditum est neque voluptati, neque metui obnoxio ingenio fuisse: natura & imperterritum rebus aduersis, & qui res secundas mediocriter ferret: neminem eo tempore ducem magis aperta prœlia vitasse: callidissimum verò furtiuis belli operibus in occupandis locis natura munitis, & fluminibus traiiciendis aliisque id genus rebus quæ celeritate, astutia, & mendacio conficiuntur: per liberalem in præmiis virtutum conferendis, in suppliciis moderatum. Quanquam extremo vitæ suę cursu videtur id quod in obsides

*Antæi sepulcrum.*

*Iubæ.*

*Ingenium Sertorij.*

sides statuit, ostendisse animum eius non verè mansuetum fuisse, sed crudelitatem eius arte quadam necessitatis causa fuisse celatam. Mihi autem vt veram virtutem rectaque ratione stabilitam, nunquam videtur fortunæ vis in contrarium posse conuertere: ita consilia tamen aliàs recta bonasq; naturas indignè grauibus calamitatibus afflictas non absurdum puto credere vnà cum fortuna mutari. Id quod ego tũ Sertorio accidisse puto, iam fortuna eum destituente, rebusq; ipsis exasperatũ iniurias malorum atrociùs vltum arbitror. Enimuerò quo dixi tempore à Lusitanis vocatus, Africa relicta ad eos se cõtulit, statimq; & ipsos creatus plena cum potestate imperator composuit, & vicinam Hispaniam in suam potestatem redegit: plerisq; vltrò se ei adiungentibus, clementia ipsius & strenuitate illectis: multos quoq; ipse fraude & arte quadam sibi conciliauit. Cuius generis potissimum est illud de cerua commentum: res ita habet. Spanus quidam, vnus de agresti hominũ plebe, cùm in ceruam incidisset quæ recens à partu venatores instantes fugiebat, ipsam quidem assequi non potuit. hinnuleum verò, coloris nouitatem (totus enim albus erat) miratus, persecutus est & cepit. Fortè tũ iis in locis Sertorius commorabatur, quicquid ex venatione aut ruris frugibus ad se afferretur, grato animo accipiens, colentibusque se amicè & benignè gratiam referens: ei dono hinnulum istum Spanus attulit. Acceptus mediocriter initiò Sertorium delectauit: progressu temporis ita cicurem & sui amantem fecit, vt & vocantis vocem sentiret, & vnà quò duceret iret, & tumultum omnem militarem perferre adsueseeret. Exinde diuinitatem rei commentus, ceruam istam à Diana sibi dono datam, multasque res occultas sibi indicare dixit: quippe natura animos barbarorum eos esse, qui facilè religione obiecta deciperentur, intelligens. Auxit hanc opinionem alio astu. Quoties enim hostes in agrum Lusitanum impressionem fecisse occultis nunciis percepisset, aut vrbes ad defectionem solicitasse, in somnis locutam sibi ceruam aiebat, ac monuisse vt paratum exercitum haberet. Rursus si de victoria alicuius suorum ducum cognouisset, occultato rei nuncio, ceruam coronatam læti nuncii causa aperiendi produxit, bono animo suos esse, diisque sacra facere, vt qui lętum aliquid mox essent aduituri, iubens. Hoc

*Cerua Sertorij.*

modo illis cicuratis, ad omnia negocia moderatioribus vsus est, vt qui non alienigenæ hominis consilio, sed diuino duci se crederet. Videbatur & ipse rerum successus hoc testari, cum præter spem & rationem copiæ augerentur. Etenim cum bis mille sexcentis viris, quos Romanos appellauerat, admixtisque Afris septingentis, in Lusitaniam peruenerat: à Lusitanis scutatos quatuor millia, & septingentos equites acceperat. His instructus copiis contra quatuor Romanos duces bellū sustinebat, qui sub se habebant cxx. peditum, sex equitum, duo sagittariorū & funditorū millia, vrbes verò innumeras: cùm Sertorius ab initio viginti tantùm vrbes obtineret. Et à tā imbecilli tamen is, paruoq; principio, non gētes modò magnas superauit, vrbesq; multas cepit: sed & aduersæ partis duces, Cottā in freto ad Mellariam naumachia vicit, Didium Bæticæ præfectum ad Bætin flumen superauit, cæsis Romanorum duobus millibus: Domitium & Lusium alterius Hispaniæ præfectum quæstoris sui opera fudit, Toranium aliū ducē à Metello missum cum copiis deleuit. Ipsum quidem Metellum, quo eo tempore maior inter Romanos aut laudatior fuit nemo, tot cladibus affecit, eóq; cōpulit, vt Lollius ex Narbonensi Gallia auxilio ei venerit, & Pompeius Magnus celeriter cum copiis contra Sertorium Roma missus fuerit. Neq; enim erat quo se Metellus verteret, bellū gerens contra hominem audacem, & qui omnem iustam pugnam subterfugiens, facillimè se quasuis in partes mutaret, leuitate & agilitate Hispaniensis exercitus adiutus. cùm quidē Metellus armis, iustaq; acie decertare peritus, grauem & collato pede pugnare, manumq; conferentes hostes pellere & sternere doctum exercitum duceret, mōtes autem scandere, & continuò fugientem hostem vagum insequi, famemque & victum absq; igne & tentoriis (quod Hispani solebant) tolerare minimè doctum. Ad hæc Metellus tum ætate prouectior post graues longosque labores iam nonnihil ad molliorem & delicatam vitam inclinauerat. Sertorius & iuueniles spiritus, & corpus robore, celeritate, patientiaq; tenuis victus ad miraculum vsque duratum habebat. Etenim ne in summo quidem ocio ebrietati indulgebat, ingentes labores, longa itinera, & continentes insomnias exiguo cum alimento, eóque vili perferre adsueuerat: perpetuis autem

*Successus.*

*Metelli difficultates.*

autem oberrationibus, & venationibus per ocium deditus, summam locorum, quibus vel fugiens euadere, vel instans circumuenire, & tam accessorum quàm inuiorum peritiam sibi parauerat. Itaque Metellus pugnæ sibi copia non data ea perpetiebatur incommoda, quę victis alioquin accidunt. Sertorius fugiens, insequentium commoditatibus fruebatur. nam & aquatione & frumentatione excludebat hostem, & progredientem impediebat, castris se continenti insultabat, obsidentem alios subitò aduenies necessariarum rerum inopia oppugnabat. Quo fiebat, vt milites Metelli animum desponderent, & cùm ad singularem pugnam eũ Sertorius prouocaret, congredi imperatorem cum imperatore, Romanum cum Romano iuberẽt, detrectantemque deriderent. Verum hic prudenter quidem eos despexit. Duce enim dignam mortem, (vt ait Theophrastus) dux oppetere debet, non leuis alicuius armigeri. Cernens autem Lagobritas, qui multum Sertorio auxilii ferebant, siti facilè expugnari posse, (vnum enim tantum in vrbe habebant puteum, & quę in suburbanis erant, adq; mœnia aquæ, iis potiturus is qui obsideret videbatur) ad vrbem accessit, ratus ob aquæ defectum eam se biduì spacio capturum: atque ideò tantùm quinque dierum cibaria milites suos ferre secum iussit. At Sertorius vt celerrimè suis opitularetur, bis mille vtres aqua impleri iussit, in singulos magna pecunia erogata: multisque Hispanis, multis Mauritanis id ministerium in se recipientibus, viros robustos & celeres cursu delegit, qui aquam eam per montana in vrbem deferrent, traditisque vtribus imbellem turbam secum adducerent, vt potus defensoribus vrbis sufficeret. Metellus cum ea de re esset ad se renunciatum, grauiter ferens, quòd iam tum milites cibaria sua absumpserant, Aquilium cum sex millibus frumentatum emisit. Id sentiens Sertorius, iter insidiis insedit, reuertentiq; Aquilio tria virũm millia ex obscura quadã valle immisit, & ipse à fronte adortus hostium agmen fudit, partimq; interfecit, partim cepit. Aquilium autem Metellus armis equóq; amissis ad se reuersum cùm accepisset, discessit ab vrbe non sine dedecore, multùm cum Hispanis subsannantibus. Cùm hæc mirarem Sertorii admirationẽ amoremq; apud barbaros excitauere, tum quòd Romana armatura, ordinibus, tesserisq;

*Lagobritũ obsidio.*

*Romana barbarorũ institutio.*

ſuos inſtruens, inſanamq; illam & belluinam roboris fiduciam diminuens, copias ſuas de magna latronum manu exercitum redegit: ad hęc argento & auro liberaliter dato galeas eorum & ſcuta exornauit, chlamydibusq; pictis & togis vti docens, & ad hæc ſumptus præbēs, populi fauorem ſibi conciliauit. Maximè autem omnium puerorum eos inſtitutio cepit. Nobiliſſimos enim ex omnibus Hiſpaniæ populis pueros Oſcā, quæ eſt ampla vrbs, conducens, præceptores, qui eos Græcis Latinisq; diſciplinis informarent, conſtituit, cumq; eos verbo obſides haberet, reipſa educauit ita, vti in viros adultis ius Romanæ ciuitatis daret, adq; magiſtratus admitteret. Mirificè autē lætabantur parentes, cum filios ſuos prætextatos viderent, admodumq; ornatè ad ſcholam commeantes, Sertorium pro iis mercedem ſoluentem, ſæpe periculum de eorum profectibus facientem, dona dignis, & bullas donantem. Porrò cum moris eſſet Hiſpanici, vt qui circa imperatorem verſantur, in bello ſe cum eo vnà morituros voueant, (quod illi deuotionem appellant) pauci admodum ſtipatores & ſocii reliquis ducibus, Sertorio permulta millia huiuſmodi ſolduriorū comitabantur. Acferunt apud quandam vrbem fuſo Sertorii exercitu, hoſtibusque vrgentibus, Hiſpanos ſuis corporibus neglectis, ſolius Sertorii ſaluti intentos fuiſſe, cumque alium alii humeris ſublatum tantiſper tradidiſſe, dum in murum attolleretur: ita demum ſaluo imperatore, eos fugam pro ſe quenque feciſſe. Neq; Hiſpani modò, ſed & Italiani milites ita eū deſiderabant. Etenim cum Perpenna Vento Sertorianę factionis ſocius, in Hiſpaniam magna cum vi pecuniæ, validoq; exercitu veniſſet, ſtatuiſſetq; per ſe bellum contra Metellum gerere: indignè id milites tulerunt, multaq; erat in caſtris de Sertorio mentio, Perpennæ moleſta, nobilitate generis & opibus tumenti. Sed poſtquā Pompeium tranſcendere Pyrenæos montes auditum eſt, milites arreptis armis legionumq; ſignis, Perpennam magno clamore poſtulabant, vti ſe ad Sertorium duceret, minati, ni feciſſet, ipſos ad eum tranſituros virum qui & ſibi & aliis ſaluti eſſe poſſet. Conceſſit itaque Perpenna, & cum quinquaginta tribus (iis enim exercitus eius conſtabat) cohortibus Sertorio, ſe adiunxit. Sertorius, cùm omnes ferè qui ſunt intra Iberū amnem populi ei acceſſiſſent, magnam

*Perpenna milites.*

ſecum

secum habebat multitudinem, alijque subinde ad eum vndique fluebant: barbarica tamen eum confusio, & temeritas suorũ perturbabat, aggredi hostes iubentium, moramque ægrè ferentium. Cui rei cùm sermone mederi conatus nihil proficeret, importuneque Hispanos pugnandi facultatem extorquere videret: vti in posterum ipsos dicto audientiores haberet, passus est cum hoste congredi, ab eoque non quidem prorsus opprimi, plagas tamen accipere: quod cùm ita, vti cogitauerat, accidisset, auxilium tulit, fugiẽtesque tutò in castra perduxit. Vtque protinus illorum animos excitaret, paucis post diebus vniuerso in concionem aduocato exercitu, equos introduxit duos, alterum imbecillem iam & senem, alterum validum magnumque & cauda ad miraculum vsque densa pulchraque insignem: adstabat porrò vetulo vir ingens & robustus, robusto alius paruulus, & imbecillis. Vt signum est datum, robustus imbecillis equi caudam vtraque manu apprehendit, vti eam extraheret, magnaque vi ad se traxit: inualidus verò singulatim caudæ robusti equi pilos euellit. Cùm prior multum diuq; frustrà laborasset, risumque spectatoribus multum mouisset, infirmus autem alter breui temporis momento, nulloque labore caudã validioris equi pilis nudasset, in medium progressus Sertorius: Videtisne, inquit, commilitones, perseuerantiam vi esse efficaciorem? multaque quæ vno impetu confici non possunt, paulatim posse. Est enim assiduitatis vis inuicta, qua omnem superat, excinditq; potentiam tempus, quod plurimum auxilij fert ijs, qui prudenter occasionem captant: idemq; tempus infestissimum ijs est, qui importuna festinatione vtuntur. Hunc ad modum Sertorius subinde quod ad confirmandos barbarorum animos faceret comminiscens, tempus trahebat. Inter opera eius militaria id quoque cum primis admirationem meruit. Characitani populus est supra Tagum flumen, non pagos, non oppida incolens, sed ingentem excelsumq; collem, qui antra & speluncas multas Septentrionibus obuersas habet: quæ subiacet ei regio, lutum argillæ simile, terramque quæ præ raritate facilè in puluerem diminuatur habet: eaq; nec vestigijs incedentium resistit, paulumque modò pedibus subacta calcis instar aut cineris puluerem effert. Barbari ergo quoties belli metu in antra sua subijssent, eoq; prædam

*Vt suorum temeritatẽ repressit.*

*Characitani astu expugnati.*

abdidissent, quieti & captiuitatis securi degebant. Enimuero Sertorius eo tempore à Metello, cùm se remouisset, propeque eum collem castra fecisset, siue iratus se tanquam victum à barbaris contemni, siue ne fugisse videretur, summo mane speculatum loci eius naturam iuit. Quem cùm inaccessum videret, minitans tantùm barbaris oberrabat. Interim conspicit à terra versum eos magnam vim pulueris à vento incitari. Nam (vt ostendi) antra Boream spectabant, & ventus qui ab Septentrionibus perflat (Cæciam nonnulli vocant) maximè omnium ventorũ eò incumbit, ex humidis campis & niualibus montibus perspirans: tum quoq; adulta iam æstate inualuerat, auctusq; frigore de glacici resolutione suauissimum flabat, ipsosq; ac pecora interdiu refrigerabat. Hæc Sertorius partim ipse conijciens, partim ab incolis edoctus, militibus mandauit vt ex rara ista & cineris simili terra eregionè collis aggerem comportarent. Eum oppugnandi causa barbari congeri putantes, irridebant Sertorium: atque is nocte appetente ab opere milites in castra reduxit. Sub auroram, initiò lenis aura spirauit, quæ tenuissimas congesti aggeris partes veluti spumam latè differret: inde vnà cum Sole vehemens Cęcias coortus cùm colles puluere aspergeret, milites Sertoriani & puluerem subruerunt, & aggerem concusserunt, quidam etiam equis per eam planiciem discurrentes, puluerem excitabant. Ventus excitatum corripuit, & ad habitationes barbarorum impulit, quæ foribus accipiebãt Cæciam. Ita fiebat, quoniam ab ea parte aerem speluncæ accipiebant, quæ vento patebat, vt statim barbarorũ oculis caligo offunderetur, statimq; spirandi facultas præfocaretur, aspero aere cũ multo puluere faucibus attracto. Itaq; cùm per biduum ægrè id tulissent, Sertorio se dediderunt, non tantum ei virium apponentes, quantũ gloriæ, quòd is quæ armis capi nequissent, prudẽtia expugnasset. Enimuerò quandiu contra Metellum bellum gessit, visus fuit eo superior esse, quòd Metellus senex, & natura tardus, homini audaci & latronum potiùs quàm militum manu stipato par non esset. At posteaquam Pompeio etiam montes Pyrenæos transgresso castra opposuit, omnibusq; cum eo imperatorijs artibus decertans, insidias machinando vitandoque superior fuit, Romam vsq; ingens se eius gloria extulit, peritissimumq; belli ducum fama celebrauit.

brauit. Neq; enim paruum erat Pompeij nomen, maximeq; tum florebat laude rerum sub Sylla gestarum, propter quas & Magnus fuerat ab ipso Sylla cognominatus, & triumphi honore imberbis etiamnum affectus: multæq; vrbes iam à Sertorio ad eum deficere cogitabant, nisi eas insperata Lauronis calamitas deterruisset. Obsidente eam vrbem Sertorio, Pompeius auxilio Lauronensibus cum toto exercitu profectus est. Erat collis, quem cùm occupare, vt ad oppugnandá vrbem commodum, Sertorius cuperet, properè exercitum Pompeius ad id prohibendum duxit: cumq; præuenisset Sertorius, exercitũ Pompeius iuxta collocauit, gaudens eo euentu, vt qui Sertorium in medio inter vrbem & hostilia castra deprehensum putaret: itaque & oppidanos missis nuncijs bono iussit esse animo, & de muris obsidione cinctum Sertorium intueri. Sertorius eo audito, risit, seque ostensurum Syllæ discipulo (ita enim Pompeium per iocum vocabat) dixit, imperatoris esse à tergo magis quam à fronte prospicere. Simul & ijs quos in obsidione habebat, demonstrauit se in prioribus castris, ex quibus ad occupandum collem profectus erat, sex millia armatorum reliquisse, qui in ipsos conuersum Pompeium à tergo adorirentur. Id quod Pompeius serò tandem deprehendens, metu ne circumueniretur inuadere hostem non ausus, relinquere verò in periculo constitutos Lauronenses turpe ducens, præsens ociosèque adsidens inspicere eorum interitum coactus est. Barbari enim re desperata, Sertorio se dediderunt: Atque is oppidanis pepercit, dimissisque omnibus vrbem incendit: non ira quidem adductus, aut crudelitate (his enim minimè omnium imperatorum ille infulsit) sed vt ijs qui magni fecissent Pompeium, pudorem & dolorem obijceret, vtque fama per barbaros vagaretur, Pompeium cum ita in propinquo esset, vt tantùm nõ incalesceret incendio sociorum, nihil opis attulisse. Clades antè Sertorius aliquot accepit, vitio suorum legatorum, cũ seipsum eosq; quos habebat secũ semper inuictos seruaret, sed plus admirationis corrigendo accepta damna, quam victoria aduersarij duces, meruit. Cuius rei exempla sunt, prœlium apud Sucronem cum Pompeio, & rursus ad Duriam cum eo simul & Metello depugnatum. Pugna ad Sucronem commissa fertur, Pompeio accelerante, ne in partem victoriæ Metellus veniret.

*Lauronẽ præsente Pompeio capit.*

*Pugna ad Sucronẽ.*

Serto-

Sertorius quoq; paratus decernere ante quàm hic se Pompeio coniunxisset, adueſperascente iam in aciem eduxit, ratus hostibus peregrinis & locorum ignaris tenebras & fugæ & insecutionis impedimentum futurum. Conserto prælio, ipse quidem ab initio non Pompeio fuerat, sed Afranio læuum cornu tuenti oppositus: audito tamen sinistrum suum cornu, in quod Pompeius pugnabat, vrgeri & vinci, dextro alijs mandato ducibus, laboranti alteri succurrit, suosque ibi partim iam cedentes, partim adhuc ordines suos tuentes conducens dictisque confirmans, in Pompeium pulsis iam instantem se conuertit, agmenque eius in fugam coniecit. Ea quidem tanta fuit, vt Pompeius ipse vix mortem euaserit, sauciatusque præter spem manus hostium effugerit. Afri enim Sertorium comitantes, cùm in equum Pompeij incidissent auro exornatum, phalerasque magni precij gestantem, dum de diuisione eius prædæ cõtendunt, ipsum de manibus emiserunt. Afranius autem sibi obiectos, simul atque in alterum cornu transijt Sertorius, fudit & in castra compulit, eodemque impetu irruptione facta, ea diripuit, cùm iam tenebræ ingruissent: nescius Pompeium fugatum, neque milites à direptione cohibere valens. Interim Sertorius parta sua à parte victoria reuersus, Afranianos nullo ordine vagantes subitò inuasit, multosque eorum interfecit. Postridie rursum in aciem eduxit. Sed cùm sensisset Metellum in propinquo esse, absque prœlio in castra redijt, Ego verò, inquiens, puerum istum verberibus castigatum Romam remissurus fui, nisi vetula ista interueniisset. Grauiter autem dolebat eam, de qua diximus, ceruam nusquam apparere: priuatus enim erat miro quodam artificio, quo & antè apud barbaros vsus erat, & nunc maximè ad cõfirmandos eorum animos illo opus habebat. Verùm quidam per noctem temerè vagantes in eam inciderunt, cognitamque ex colore ceperunt. Ea re percepta Sertorius, ijs qui cepissent multum pecuniæ pollicitus, siquidem rem silentio texissent, ipse ceruam abdidit: & paucos post dies hilari admodum vultu ad tribunal processit, Hispanis ducibus indicans, magnum aliquod bonum sibi per insomnium à Dijs promissum: inde conscenso tribunali, responsa dedit. At cerua ab ijs qui eam in propinquo adseruabãt, emissa, cùm Sertorium conspexisset, læta ad tribunal accurrit, adstansq;

*Ceruaamissa, & recepta.*

caput

caput genibus eius imposuit, & ore dextram attigit: id quod facere iam olim erat adsuefacta. Sertorius blandè eam accepit, ac nonnihil etiam illacrumauit: qua re obstupuerunt primùm concio, deinde imperatorem cum lætis acclamationibus & plausu in prætorium deducentes, vt diuinum, Dijsque charum hominem, bono animo erant, omniaque prospera sperabant. Præterea in Saguntinis campis cùm hostes in summas cõiecissẽt difficultates, prædandi & frumentandi causa progressis eis coactus fuit prœlium conserere. Præclarè vtraque à parte pugnatum est, & Memmius Pompeij legatorum optimus bello in ipso pugnæ vigore cecidit: Sertorius autem cùm præualeret, multa eorum qui adhuc ordinibus seruatis resistebant cæde in ipsum Metellum impetum fecit, atque is præter ętatem subsistens, dum egregiè pugnat, hasta feritur. Hoc cùm partim vidissent, partim inaudiuissent Romani, turpe arbitrati ducem suum deserere, hostibusque irati, acto cuneo barbaros summa vi repulerunt. Sic victoria ad Romanos inclinante, Sertorius vt & suis tutam fugam redderet, & ipse quietus expectare dum conuenirent aliæ copiæ posset, in montanam validamque vrbem effugit, eius muros munijt, portas obstruxit. Neque verò quicquam minùs, quàm obsidionem sufferre statuerat: sed eo hostem decipiebat, qui obsidione vrbem cingens facilimè se eam capturum sperabat, interimque & elabi barbaros à pugna fugientes patiebatur, & exercitum alium Sertorio colligi non prohibebat. Etenim contrahebat interea nouas copias dimissis ad vrbes legatis, mandatoque, vt vbi primùm multi conuenissent, ipsum missis nuncijs certiorem facerent. Nuncio, vti præceperat, misso, facta absq; vllo labore per hostes eruptione, ad exercitum peruenit: viribusque reparatis hostes commeatu intercluſit. à terra quidem insidijs & circuitionibus, & celeri ad quæuis loca profectione: à mari verò, nauibus prædatorijs oram obtinens. Coactiq; sunt tandẽ Romani duces in diuersas partes abire. Metellus Galliã petijt: Pompeius difficulter apud Vaccæos hiemauit, ob inopiam ad Senatũ scribens, se, nisi pecuniam misissent, exercitũ abducturum: iam enim se dum pro Italia bellũ gereret, omnẽ suam rem familiarẽ consumpsisse. Romęq; frequẽter dicebatur, citiùs Sertorium quã Pompeium in Italiam aduenturũ. eò tum præstantissimos Romanorum

*Pugna.*

*Strategẽma.*

duces

duces ſuis artibus Sertorius redegerat. Neque obſcurè tulit Metellus, quam magni eum virum faceret. Edixit enim, ſi quis Romanus ciuis Sertorium occidiſſet, ei ſe centum argenti talenta, & viginti millia iugerûm agri daturum: ſin exul, reditũ in patriam. quippe deſperans aperto Marte vinci poſſe, proditione tollere Sertorium cupiebat. Idem cùm pugna aliquando Sertorium viciſſet, tantum ſibi arrogauit, vt imperatoris nomen ſumpſerit, circum vrbes proficiſcens ſacrificijs ſe & ſupplicationibus excipi voluerit, coronari quoq; ſe paſſus (vt aiunt) ſit, ſplẽdidioribusq; accipi cœnis, in quib. potaret veſte triumphali amictus: ducebantur vnà Victoriæ quæ artificioſo motu currentibus inſtrumẽtis trophæa & coronas geſtarent: chorique; puerorũ & mulierum carmina victorię eius gratulantia canebant. Ridiculus profectò Metellus, qui Syllæ fugitiuum, & reliquias Carbonini exilij Sertorium nominans, tanto gaudio faſtuq; elatus fuerit, quòd eum cedẽtem ſuperaſſet. Contra magni animi Sertorius facinora edidit, qui exulantes Roma ſenatores, & ſecum agentes, Senatum appellauit, ex ijsque quæſtores & prætores creauit: omniaque id genus alio Romano more inſtituit: qui cùm Hiſpanorum armis, pecunia, vrbibusque Hiſpanorum vteretur, non modò re, ſed ne verbo quidem de ſumma eis poteſtate conceſſit, ſed Romanos eis duces magiſtratusque præfecit: vt qui non illis vires contra Romanos adderet, ſed eorum opera Romanos in libertatem aſſereret. Miro enim patriæ amore tenebatur, reditumque in eam magnoperè deſiderabat. Atque ideo aduerſis rebus fortem ſe præbebat, ac nunquam hoſtibus humilem ſe aut abiecti animi oſtendebat. Quoties autem victoria potiretur, Metello & Pompeio miſſis legatis indicabat, ſe paratum eſſe arma deponere, reditumque in patriam conceſſo, priuatam vitam agere: malle enim ſe Romę ciuium omnium obſcuriſſimum, quàm in exilio omnium aliorum imperatorem eſſe. Traditum eſt, haud minimam ei cauſam, cur tantoperè patriam deſideraret, matrem fuiſſe, à qua, pupillus educatus ab ea, totus pendebat. Nam & vocatus ab amicis in Hiſpania ad belli ſummam adminiſtrandam, cũ de obitu matris cognouiſſet, parum abfuit, quin præ mœrore vita defungeretur: ſeptem quidem integros dies ita iacuit, vt neque militibus teſſeram daret, neq; ab vllo amicorũ conſpiceretur:

*Metelli iactantia.*

*Magnanimitas Sertorij.*

*Amor patriæ & matris.*

ceretur: difficulterq́; collegæ tentorio circumfusi ab eo impetrauerunt, vt ad exercitum veniret, rebusq́; prosperè succedentibus vteretur. Qua de causa pleriq; eum virũ placidi ingenij, & ad pacem procliuis esse senserunt, ac qui coactus bellum administraret, impunitatemq́; non impetrans, & ab inimicis ad arma compulsus, corporis sui defendendi causa necessarium bellum suscepisset. Iam quæ cum Mithridate egit, magnanimitatem eius ipsa quoque testantur. Quippe à Sylla victus Mithridates, cùm quasi ad secundam luctam resurgens, denuò Asiam inuaderet, iamque Sertorij gloria latè esset propagata, sermonibusque de eo, tanquam mercibus peregrinis ij qui ab Occidente nauigabant Pontum impleuissent: statuit cum eo per legatos agere: maximè adulatorum nugis incitatus, qui Sertorium Annibali, Mithridatem Pyrrho conferentes, fieri non posse affirmabant, vti Romani tam graues cùm duces tum copias simul diuersis ex partibus inuadentes sustinere possent, vbi præstãtissimus imperator maximo regi se adiunxisset. Misit itaq; in Hispaniam ad Sertorium cum literis & mãdatis legatos, promittens, se naues ei & pecuniam ad bellum suppeditaturum, si Asiam (quæ fœdere cũ Sylla icto Romanis cesserat) omnem ipsi decerneret. Sertorius aduocato (ita enim nominauerat) Senatu, cùm acciperent reliqui conditionem, in eaque acquiescendum dicerent (quippe cùm pro literis & titulis inanibus ac de ijs quæ in ipsorum potestate nõ essent rebus, eà offerrentur, quibus maximè tũ opus haberent) nequaquam tulit hoc Sertorius. Bithyniam quidem, & Cappadociam, quæ iam antè sub regibus fuissent, neq; ad Romanos quicquam pertinerent, non inuidere se Mithridati recuperanti dixit: quã verò prouinciam is optimo iure à Romanis possessam inuasisset, quam deinde pulsus à Fimbria, pace à Sylla accepta reddidisset, eam se ab eo occupari non concessurum. neque enim se cum detrimento patriæ vincere, sed victorem augere patriam velle: & generosi hominis esse, honestis rationibus victoriam quęrere, turpibus ne salutem quidem. Ad hæc responsa Mithridates obstupuit, ferturque dixisse: Et quid tandem Sertorius in Palatio sedens iubebit, qui nunc ad Atlanticum vsq; reiectus mare fines nostro regno præscribit, Asiamq́, affectantibus bellũ minatur. Ictum tamen est fœdus, & iuramento sancitum, vt Mithridates

*Sertorij cũ Mithridate actio.*

misso

missō sibi à Sertorio duce & exercitu Cappadociam & Bithyniam obtineret, vtque Sertorio tria millia talentorum, & quadraginta naues præberet. Missus est ad Mithridatem in Asiam M. Marius, vnus ex senatoribus qui ad Sertorium confugerant. Cuius auxilio cùm quasdam Asiæ vrbes Mithridates cepisset, ingredientem cum fascibus & lictoribus posterioripse, & quasi honoris gratia clientis habitu studiosè adscito secutus est. Marius vrbes alias liberas pronunciauit, alias immunes, Sertorio id acceptum ferendum monēs: effectumque eo est, vt Asia rursum à publicanis vexata, auariciaque & fastu militum qui ibi in præsidio erant grauata, animum ad bonam spem denuò erigeret, imperijq; mutationem, quę expectabatur, optaret. At vero in Hispania Sertoriani senatores atq; collegæ, vt primùm pares se hostibus vires nactos crediderunt, inuidia æmulationeq; Sertorianæ potentiæ correpti sunt. Autor fuit Perpenna, inani ob nobilitatem superbia principatum affectans. Is occultè improbos apud necessarios suos sermones spargebat. Quis tandem, aiebat, malus nos genius ex malis ad deteriora trāstulit? Nos Syllæ, cuius imperio totus propè terrarum orbis, totum mare suberat, imperata facere in patria nostra dedignati, hucque mala nostra fortuna profecti, vt liberè viuerēmus, vltrò seruimus, Sertoriani exilij stipatores. & nomen quidem auditoribus ridiculum gerimus, Senatorū iniurias, imperia, & labores cum Hispanis & Lusitanis eosdem toleramus. His pleriq; sermonibus imbuti, apertè non ausi deficere, quòd Sertorij potentiam timerent, occultè rebus ipsius incommodarunt, Hispanosq; grauibus supplicijs afficientes, & pecuniam quasi à Sertorio iussi exigentes defectionibus & tumultibus per vrbes Hispanicas occasionem præbuerunt: quod si qui sedatum illas turbas mittebantur, ij pluribus conturbatis bellis, & aucta barbarorū inobedientia reuertebantur. Quibus malis commotus Sertorius, clementiam suam pristinamq; humanitatem deponens, facinus illud iniustum in pueros, quos Oscæ ab eo educatos fuisse demōstrauimus, perpetrauit, alijs eorum necatis, alijs diuenditis. Perpenna cùm iam multos in cædem Sertorij coniuratos haberet, Mallium quoq; sibi adsciuit, vnum ex ducibus. Is cum puerum quendam deperiret, ei blandiens insidias detexit, hortatusque est vt spretis reliquis amatoribus

*Marius Sertorij legatus.*

*Perpenna in Sertorium coniuratio.*

*Obsides à Sertorio violantur.*

bus sibi soli deditus esset, quippe intra paucos dies ad magnam potentiam peruenturo. Puer alij ex amatoribus Ausidio, qui sibi charior esset, eum sermonem aperuit. Ausidius perterritus, eò quòd consors eius in Sertorium conspiratio-
5 nis, Mallium tamẽ eius socium esse ignoraret, cum amasius Perpennam præterea, Græcinum, aliosque ipsi notos coniurationis socios proferret, perturbatus, verbis apud eum sermones istos eleuauit, Malliumq; vti nihili faceret, futilem hominem, monuit: ipse Perpennam adijt, ostendensq;
10 quantum in mora periculi foret, aggredi facinus iussit. Obtemperatum est ei, submissusque ideò ad Sertorium homo, qui literas adferret, victoriam vnius legatorũ eius, multamque hostium cædem nunciantes. Perfusum ea de re gaudio Sertorium, & ob tam lętũ nuncium hostiam immolantem,
15 Perpenna, cumque eo reliquos amicos præsentes (ij omnes coniurati erant) ad conuiuium inuitat, multisque tandem vti conditeret cœnam persuadet. Antehac vbicunq; in cœna Sertorius fuisset, summa verecundia & modestia adhiberi consueuerant (adeo enim neque aspicere neque audire
20 turpe quicquam sustinebat, vt secum quoque cœnantes adsuefecerit compositis & liberalibus vti iocis atq; confabulationibus) tunc verò in medio potu coniurati rixæ ansam quærentes, palàm obscœnis vtebantur sermonibus, multaque, vt ipsum iritarent, simulantes ebrietatem libidinosè
25 faciebant. Sertorius, seu immodestiæ eorum succensens, seu ex sermonis tarditate, insolentique sui contemptu institutum eorũ conijciens, discumbendi modo mutato, supinum sese inclinauit, vt qui neque aduerteret animum eorum dictis, neq; audiret. Vt Perpenna pateram mero plenam sustu- *Sertorij*
30 lit, interque bibendum ex manibus ea dimissa strepitum, *interitus.*
quod erat manus inferendi signum, edidit, Antonius suprà accumbens Sertorium gladio ferijt: cumque is ad ictum se obuerteret, simulque assurgeret, in pectus incidens, vtramque eius manum comprehendit. Ita Sertorius ne defenden-
35 di quidem corporis sui locum nactus, multorũ vulneribus obtruncatus est. Eo facto pleriq; Hispanorũ extemplo discesserunt, petitaq; per caduceatores pace Pompeio & Metello se dediderunt. Qui in castris manserant, eos ad se Perpenna recepit, reique aliquid gerere aggressus, Sertorianum apparatum, dedecorans tantum, ostendensque se neq;

ad parendum, neq; ad imperandũ idoneum, cum Pompeio conflixit. A quo cũ ſtatim obtritus, captusq; eſſet, ne ſupremã quidem fortunam ita vt duci conueniebat, ſuſtinuit: ſed quia Sertorij literarũ ſcrinia nactus fuerat, promiſit Pompeio ſe conſularium & potentiſſimorũ Romæ virorum epiſtolas ipſorum manu ſcriptas oſtenſurum, qui Sertorium in Italiam euocaſſent, nimirũ multis res nouas, & immutationem reipublicæ expetentibus. Cæterùm Pompeius non iuuenilis, ſed grauis admodũ prudentisq; animi facinus edidit, eoq; Romã magnis terroribus & tumultibus liberauit: nam literas illas in vnũ congeſtas cùm neq; ipſe legiſſet, neque legere quenquam paſſus fuiſſet, cremauit. Ipſum quoq; Perpennam ſtatim interfecit, ne nominibus ad alios emanantibus, defectiones turbæque exiſterent. Qui Perpennæ cõiurationis ſocij fuerant, partim ad Pompeium pertracti, necati, partim in Africam fugientes, ibi à Mauritanis iaculis confixi ſunt: neq; præter Auſidium Mallij riualem quiſquã necem effugit. Solus is ſiue latẽs, ſiue neglectus in quodam barbarico pago pauper omnibusq; exoſus conſenuit.

*Pompeij prudẽtia.*

*Perpenna Victus necatur.*

## EVMENIS CVM SERTORIO comparatio.

Perſcriptis hactenus ijs, quæ de Eumene & Sertorio memoratu digna accepimus, ſupereſt vt eorum inter ſe comparationẽ inſtituamus. In qua id ipſis cõmune eſt, quòd peregrinus vterq; & alienigena & exul, varijs gentibus, & bellicoſis magnisq; exercitibus imperauerunt. Id intereſt, quòd Sertorio vnanimi ſociorũ cõſenſu ob eius exiſtimationem imperium delatum eſt: Eumenes id, multis propterea cum eo contendentibus, rebus geſtis obtinuit. Deinde, quòd alterũ iuſto principi parére volẽtes ſecuti ſunt, alterum ij qui imperare tum nequirent, ſui commodi cauſa obtemperauerunt. Etenim Romanus alter Hiſpanis, alter Cherroneſius Macedonibus præfuit: quorũ hi omnes homines ſubegerant, illi iampridem Romanis ſeruiebant. Præterea Sertorius ſenatoria dignitate & imperijs geſtis magno in precio habitus, Eumenes ob ſcribæ munus obitum contemptus, ad principatum progreſſi ſunt. Sed Eumenes non minores modò ad principatum occaſiones, verum etiam grauiora eò euadendi impedimenta habuit, multis ipſi palam reſi-

*Imperium in alienos.*

resistentibus, multis occultè insidiantibus: nam aduersus Sertorium apertè nemo, clàm sociorum pauci insurrexerunt. Itaque alteri finis periculorum erat, vincere hostes: alteri victori periculum ab æmulis impendebat. Rebus gestis pares propemodum fuerunt: ingenijs dissimiles. quippe belli & certaminum cupidus Eumenes, ocij & pacis desiderans Sertorius. Et Eumenes cùm, si cessisset, tutò viuere quietus potuisset, maluit cum præstantissimis certando, periculaque adeundo vitam agere: Sertorius nihil minùs quam negociorum cupidus bellum corporis sui defendendi causa ab inimicis pacem inuidentibus gerere coactus est. Nam Eumenem, si contentione de principatu omissa secundo loco se haberi passus fuisset, libenter socium habuisset Antigonus: Pompeius Sertorium ne priuatum quidem viuere voluit. Itaque illi contigit, vt vltrò ab initio bellum susciperet: huic vt inuitus illato sibi bello delatum imperium gereret. Enimuerò belli cupidum dicimus, qui securæ vitæ cupiditatem maiorum rerum præposuit: bellicosum, qui bello tutum sese præstitit. Mors Sertorio nec opinanti accidit, Eumeni præuidenti. Et illi bonitas necis causam præbuisse videri potest, quod amicis se credidit: huic pusillanimitas, qui fugam tentãs captus est. Ac Sertorij quidem vitã mors non dedecorauit, ea passum à socijs, quæ hostium nemo ei fecit. Eumenes cum neq; effugere ne caperetur potuisset, & captus iam vitæ desiderio teneretur, neque vitauit recte mortem, neq; pertulit: sed deprecãdo necem, hostem, qui corpus tantum eius sua in potestate habere videbatur, animi quoq; sui dominum compotemque fecit.

*Res gestæ & studia.*

*Mors.*

## IN SERTORIVM ANNOTATA ab Interprete.

### 1. Alter ab amatoribus.

DE *Attibus ab apro interfectis, nihil planè mihi constat. Attem quidem, cuius apud Dindymenem est fanum & cultus, Phrygem fabulantur: & eum ab apro fuisse interfectum ex Hegesianacte poeta refert lib. 7. Pausanias. quanquã fieri facilè, in fabulis præsertim, potuit, vt alij Phrygem*

*alij Syrum dicerent. Quod ad Actæonas attinet, eius qui à canibus laceratus traditur, notißima est fabula. Alterius non ita celebris est historia, quam repetere possunt lectores ex Apollonij scholiaste, in libro quarto, paragrapho 75. tametsi enim non disertè amoris ibi fit mentio: tamen quæ causa Bacchiadis fuerit Actæonem Melißi F. rapiendi, facilè intelligitur. Nescio autem mirari ne debeam, an detestari oscitantiam eorum qui Dictionaria poetica componunt, adeò sæpe in fraudem imperitos inducunt. Sicut hic quidam Bacchiadas, hoc est Corinthi principes, à Bacchide vel Bacchio Herculis F. genus trahentes, idque adeò ex hoc ipso interpretis Apollonij loco, Bacchi orgia celebrantes conuertit.*

*Lexica.*

2 Eodem in loco castrametatos.] *ἐν ταυλῷ. Aretinus, in campo: vt videatur legisse ἐν πεδίῳ, aut aliquid tale. Loquitur autem de seruis Bardiæis, flagitiorum Marianorum administris.*

3 Pityusam insulam.] *In Balearico mari duæ sunt insulæ Pityusæ, quarum maior Ebyssus, minor Ophiusa dicitur. Ptolem. lib. 2. in descriptione Hispaniæ.*

4 Perhibent Tigennitæ Antæo.] *Haud scio an pro Tigenna, Tingis sit legendum: apud nullum quidem Geographum Tigennam reperio nominatam: & quæ de Antæo dicuntur, faciunt eò, vt Tingim legamus. Eadem sunt apud Strabo. libro decimo septimo (nisi quod ibi crebrò λίγγις pro πίγγις legitur) & apud alios. Fabula de Antæo eiusdem loci occasione refertur à Lucano lib. 4. Apud Strabonẽ cum legatur σκελετὸν (pro quo noster σῶμα posuit) ξ. πηχῶν, interpres splendidè auxit fabulam, & tibiam L X. cubitorum vertit, hoc est ὑπερτρεῖν τῷ μυθικῷ. Quid sit scleton, nemo propè nescit.*

5 Domitium & Lucium.] *Lusium vox est, vt arbitror, vitiosa, vel L. Domitium legerem, vel Domitium & Lucium*

*cium (λύκιον, non λύσιον) scilicet Manilium: cuius lib. 6. cap. 23. in hac historia meminit Orosius, & Liuius lib. 90. prius etiam Amioto placuit.*

9 Moris esset Hispanici.] *Meminit obliquè huius consuetudinis Dio noster, lib. 53. de Sex. quodam scribens Pacuuio, qui Augusto sese deuouisset, cæteriq; vt idē facerent suasisset. Non dissimile est, quod de Gallorum Sontiatum solduriis refert lib. 3. Com. Gall. Cæsar. itaq; & soldurios eos appellaui, consentiente satis commodè rei vocabulo.*

7 Ad Duriam.] *Turiam Aretinus, Græcus liber τυτ-τίαν. Ego Duriam puto legendum, ex epistola Pompeij ad senatū, quæ extat inter tabulas naufragiorum. Sallustij verba sunt. Castra hostium apud Sucronem capta, & prælium apud flumen Duriam, & dux hostium C. Herennius cum vrbe Valentia, & exercitus deleti. Satis clara vobis sunt. Meminit huius Durienſis prælij etiam Cic. propè initium orationis pro L. Cornelio Balbo.*

8 In Saguntinis campis.] *σαγυντίνων. Rectius est apud Appianum περὶ σαγοντίαν. Vrbem autem, in quam recessit Sertorius, Calagurium fuisse ex Liuij lib. 92. patet.*

## PLVTARCHI AGESILAVS, GVILIELMO Xylandro, Augustano, interprete.

ARCHIDAMVS Zeuxidami F. quí magna cū gloria Spartæ regnauit, ex Lampridone vxore sua, præstanti muliere, Agidē filium reliquit, & alium natu multo minorem ex Eupolia Melisippidæ filia Agesilaum. Regnum quia lege ad Agidem delatum fuit, Agesilaus priuatus, Lacedæmoniorum disciplina institutus est, dura quidem illa & laboriosa, sed qua ad ferenda impe- ria iuuenes erudirentur. Inde ferunt Spartam à Simonide domatricem hominum dictam, quòd disciplinæ genere ciues legibus obedientes & māsuetos efficeret, equorū instar, qui ab initio statim domantur. Et quidem huius disciplinæ necessitate lex eos, qui spe regni educantur, soluit. Verum *Genus.* *Disciplina Spartæ.*

Agesilao id peculiariter cõtigit, vt nequaquam rudis parendi ad imperandũ accederet: itaq; longè omnium regũ commodissimus subditis fuit, quòd regię naturæ humanitatẽ & popularitatẽ educatione adiecisset. In gregibus (quos vocãt) eorũ qui vnà versantur puerorum, Lysandrũ amatorem habuit, maximè elegantiam ineo ingenij admirãtem. Quippe cum esset præ reliquis æqualium cõtentiosus & iracundus, ac vbiq; primas sibi poscereț, insuperabilisq; esset vehementiæ, neque vsquam se cogi pateretur: contra ita obedientem & placidum sese præstabat, vt nihil mandatorum metu, verecundia omnia faceret, & reprehensiones quàm labores grauius ferret. Claudicationẽ & florentis ætatis pulcritudo texit, & casum eum ipse leuiorem reddidit, æquo hilariq; animo ferens, primusq; seipsum eo nomine ludens: & verò honestæ laudis cupiditatem suam eò magis cõspicuam reddidit, nullũ laborem, nullũ negocium ob claudicationem detrectans. Formam eius expressam nõ habemus, cùm moriens quoq; edixerit, ne imago ipsius vel fingeretur vel pingeretur. Fuisse statura parua, & aspectu cõtemnendo aiunt: cætetùm hilaritas, animusq; omni tempore lætus & vrbanus, voxq; & vultus ab omni morositate & austeritate alienus, amabiliorem eum formosis vsque ad senectutem fecerunt. Theophrastus autor est, Archidamo mulctam ephoros indixisse, quòd vxorem pusillam duxisset, dicentes eum non reges, sed regulos geniturum. Agide regnante Alcibiades ex Sicilia exul Lacedæmonem venit, neque diu ibi fuit, cum rumor extitit, eum cum vxore Agidis rem habere. Filium quidem ex ea natum rex non agnouit suum esse, sed Alcibiadis esse dixit: neque id molestè admodum Timæam tulisse Duris scribit, domiq; ancillis nomen pueri non Leotychidam, sed Alcibiadem insusurrasse. Alcibiadem quoque dixisse, non libidinis causa se cum Timæa coijsse, verùm id affectantem, vt Spartani ab ipsius prole regerentur. Ea quidem causa ipsi fuit, vt Agidem metuens Lacedæmone abiret. Leotychidas Agidi semper suspectus fuit, neque eo, quo legitimus, loco habitus: tandem ægrotanti supplicans, lachrymis precibusq; impetrauit, vt multis audientibus filium se suum pronunciaret. Enimuerò Agide vita defuncto, Lysander, qui deuictis nauali pugna Atheniensibus plurimum Spartę poterat, Agesilaum ad regnũ produxit,

*Claudicatio.*

*Leotychidas prosperio habitus.*

duxit, quòd id ad Leotychidam adulterinum nõ pertineret. Multi etiam ciuium, Agesilao propter virtutem, commu- nemq; disciplinam fauebant, studioseque adiuuabant. Erat quidam eo tempore Spartæ Diopithes, antiquorum oraculorum copia instructus, vaticinandiq; peritissimus creditus. Is claudo regnum Spartæ dari nefas esse affirmabat, inq; iudicio tale oraculum recitabat:

*Agesilaus vt rex factus.*

*Sparta caue, quamuis altè te gloria tollat,*
*Rex validæ tibi det pedibus ne incommoda claudis:*
*Namq; insperatos cogeris ferre labores,*
*Pestiferosq; diu belli subsistere fluctus.*

Ad hæc Lysander, Spartanis, si maximè hoc oraculum metuerent, à Leotychida cauendum: nõ enim de eo solicitum fuisse Deum, ne quis offenso pede claudicans regnaret, sed id demum claudum fore regnum, si spurius, & non Herculis stirpe natus rex crearetur. Agesilaus Neptunum quoque testẽ laudabat Leotychidę adulterinorum natalium, qui Agidem terræmotu cubiculo eiecisset, & ab eo tempore cùm Timæa is abstinuisset, decimo peracto mense natum Leotychidam affirmabat. Hoc modo regnum Agesilaus, mox etiam opes Agidis occupauit, eiecto, vt spurio, Leotychida. Verùm quia maternos propinquos, bonos viros paupertate grauiter premi videbat, dimidiam bonorum partem eis tribuit, beneuolentiam sibi & gloriam potiùs quàm inuidiam & inimicitias ea hæreditate parandum ratus. Quod autem Xenophon dicit eum patriæ obtemperando eò potentiæ peruenisse, vt ageret quæ vellet, id tale est. Ephororum summa erat Lacedæmone potestas, & seniorum, quorum illi annuum, hi quandiu viuerent gerebant magistratum, ad cohibendam regum licentiam constituti, quemadmodũ in Lycurgo scripsimus: inde fiebat, vt antiquitus & à maioribus ad se propagatã cum his litem ac contentionem reges initio statim imperij sui susciperẽt. Sed Agesilaus contrariam viam ingressus, certamina & offensas eorũ vitare, ipsos colere, ab ipsis omnes suas actiones auspicari, vocatus præstò adesse, ephoris accedentibus quoties pro tribunali sedens responsa daret, assurgere, singulis qui in senatum adsciti essent chlænam & bouem dono quasi virtuti eius gratulans mittere. His rebus honorare & amplificare dignitatem eius ordinis creditus, nemine animaduertente

suam potentiam augebat, regnoque amplitudinem concessam aliorum erga se beneuolentia parabat maiorem. Cum reliquis ciuibus ita se gessit, vt inimicus quã amicus minus reprehensionis mereretur. Nemini enim inimicorũ iniustè oberat, amicos etiam in rebus non iustis adiuuabat: inimicos, si quid præclarè fecissent, non afficere honore turpitudini ducebat. amicos delinquentes vituperare non poterat, sed auxilium ijs operamq; præbere peccantibus, laudi sibi habebat. nimirum existimans nullum quod amico tribueretur officium turpe esse. Dissentientes à se cùm aduersam fortunam passi essent, primus omnium miserabatur, rogatusque promptam operam nauabat: ijs rebus omnium in se studia conuertebat. Quod cũ viderent ephori, potentiamq; eius metuerent, mulctam irrogauerunt, causati publicos eum ciues priuatim suos efficere. Quemadmodum enim Physici existimant lite & contentione ex rerum natura subsistere, fore vt cœlestium corporum motibus cessantibus, rerum omnium mutationes ortusq;, quòd ea ab illis pendẽt, nullos futuros: ita Lacedæmonius legumlator videretur in rempub. quasi fomitem virtutis immisisse studium contendendi, vti semper aliquid inter bonos certaminis dissidijq; esset: eam verò gratiam, qua ciues non exploratis priùs per mutuas contentiones animis vltrò alter alteri concedunt, vt ociosam & desidem, concordiæ nomen non mereri statuit. Atque hoc nimirum etiam ab Homero animaduersum fuisse putant aliqui: neque enim finxisset Agamemnonem rixa Vlyssis & Achillis gaudentem,

*Mutua cum facerent grauibus conuicia verbis:*

nisi is præstantissimorum heroum æmulationem & disceptationem magno reipubl. bono esse duxisset. Verùm hæc haud ita simpliciter (puto) quispiam concesserit: quippe nimię contentiones in grauia ciuitatem discrimina adducũt. Agesilao nuper rege facto, quidam ex Asia venientes renunciant, regem Persarum magna classe Lacedæmonios mari eijcere moliri. Ibi Lysander rursus in Asiam proficisci cupiens, & amicis (qui vrbium ab ipso præfecti dominique constituti, ob violentiam & iniurias à ciuibus partim pulsi, partim obtruncati fuerant) opem ferre, Agesilao autor fuit, vt bellum susciperet, factaq; quàm longissimè à Græcia expeditione regis conatum præuerteret: simul & amicos, quos

in Asia

*Amicitia eius.*

*Contẽtiones in ciuitate an vtiles.*

*Bellum Asiaticum.*

in Asia habebat, per literas monuit, vti missis Lacedæmonem legatis Agesilaum ducem peterent. Exinde in concionem progressus Agesilaus bellum ea conditione suscepit, vti Spartani triginta, quibus legatis in bello & consiliariis vteretur, tum duo millia lectorum tironum, sex millia sociorum sibi decernerentur. Hæc omnia Lysandro eandem rem agente decreuit statim populus: & Agesilaus missus est ad bellum cũ triginta Spartanis, inter quos facilè primus erat Lysander, non ob suam tantùm gloriã atq; potentiam, sed & Agesilai amicitiam, quem impetrata eius belli administratione maiori sibi, quàm cum regem creari effecisset, beneficio obstrinxisse iudicabat. Collectis Geræstum copiis, Agesilaus Aulidem cum amicis abiit: ibi pernoctans, in somnis visus est sibi huiusmodi sermonem audire. Intelligis haud dubiè, ô rex Spartanorum, neminem vnquam præter Agamemnonem, & nunc te vniuersæ Græciæ imperatorem constitutum fuisse, Itaq; quando & iisdem imperas, & eosdem bello petis, atque iisdem etiam ex locis ad bellum proficisceris, haud ab re sit, Diuæ quoque eadem te sacra facere, quibus ille peractis hinc soluit. Venit quidem illico in mentem Agesilao, Agamemnonem iussu aruspicum filiam suam ibi pro victima immolasse: nihil tamen perturbatus, surrexit, reque amicis exposita, Deam inquit se honoraturum iis sacris, quibus Deam gaudere par sit, stulticiam verò Agamemnonis nequaquam imitaturum. Proinde coronauit ceruam, suumq; aruspicem secus quàm solebat à Bœotiis ad hoc constitutis, immolare iussit. Eo audito Bœotorum principes indignatione accensi, apparitores miserunt, qui ederent Agesilao, ne contrà quàm instituta & consuetudo Bœotorum ferret, sacrificaret: atque hi & mandata persecuti sunt, & femora aris imposita deturbauerunt. Ita ægro animo Agesilaus soluit, Bœotis infensus, metuensq; ne id omen rem ab ipso confectam non iri, expeditionemque proposito fine non potituram significaret. Vt Ephesum peruenit, eueſtigiò Lysandri potentia & autoritas molesta fuit, cuius ad limina frequens adsiduò turba commeabat, omnesque eum comitabantur & colebant: quasi verò propter legem nomen & habitum imperatoris Agesilaus, omnia agendi, summamq; rerum poreſtatem Lysander haberet. Nemo enim vnquam dux Lysan-

*Sacrificiũ in Aulide.*

*Lysandri gloria minuitur.*

dro grauior aut potentior in Asiam missus fuerat, nemo alius maiora vel amicis beneficia, vel hostibus damna dederat: quę cùm in recenti adhuc haberent homines memoria, Agesilaum præterea simplicem & lenem popularemq; illum pristina vehementia, seueritate, & dicendi breuitate præditum viderent, huic vni sese omnes submittebant, vnumq; colebāt. Primùm reliquis hoc Spartanis molestum fuit, quòd Lysandri magis famulos, quàm regis cōsiliarios ageret. Deinde ipse Agesilaus, tametsi ab inuidia alieno ingenio, neque vllius honoribus iniquus, gloriæ tamen cupidus, & contentiosus, vereri cœpit, ne si quid splendidè actū fuisset, id Lysandri gloriæ accederet: ideoq; de potentia eius reprimenda cogitare. Itaque primùm omnibus illius consiliis repugnare, in quas res illum maximè incumbere intelligeret, iis omissis, alias illi displicentes agere. Deinde si qui ipsum compellarent, aut aliquid peterent, Lysandro maximè freti, eos infecta re dimittere: itémque in iudiciis, quibus Lysander malè vellet, secundū eos statuere, ac contrà quibus ille cupere cernebatur, eos tantùm non mulctis afficere. Hęc cum non fortuitò, sed data opera & eodē semper modo fierent, causam Lysander sensit, amicisq; palàm exposuit, propter ipsum eos ignominia affici, hortatusque est, vt ipsum porrò regem, aut qui plus apud eum possent, colerent. Hæc cùm conflandæ regi inuidiæ causa agere ac dicere videretur, Agesilaus quo magis cohiberet, diuisorem eum carnium constituit, dixitque (vt aiunt) multis præsentibus. Eant nunc, & structorem meum obseruent. Lysander indignè hoc ferens, Agesilaum accessit, &, Pręclarè, inquit, nostri amicos tuos opprimere. Sanè subiecit Agesilaus, eos, qui meipso maiores esse volunt. Ad hæc Lysander: Hæc fortassis dicta à te rectiùs, quàm à me facta sunt. Quin tu locum mihi & ordinem assigna, vbi tibi minus inuisus, plus prosim. Mittitur ergo in Hellespontum: inde Spithridatem Persam à Pharnabazo ad Agesilaum cum magna pecuniæ vi & ducentis equitibus perduxit. Non tamen iram dimisit: sed in posterum infesto animo, id molitus est, vt regnum duabus Heraclidarum familiis ademptum omnibus, ex æquo Spartanis adeundum proponeret: videturque grauis ex ea discordia motus Spartæ extiturus fuisse, nisi in Bœotiam expeditione facta Lysander maturiùs

turiùs periisset. Adeò ambitiosi homines in ciuilibus certaminibus modum excedentes, plus mali quàm boni habent. Etenim si fuit, vt sanè fuit, importunus Lysander & quàm pro temporis ratione ambitiosior: at Agesilaus tamen nosse debuit aliam honestiorem rationem virum ita illustrem corrigendi. nunc in eadem culpa esse videri possunt, cùm alter regis potentia quæ esset non agnouerit, alter ignorationem familiaris hominis ferre, vt decuit, non potuerit. *Ambitio.*

Cæterùm Tisaphernes initiò Agesilaum metuens, factis induciis confirmarat fore, vti rex Græcis ciuitatibus liberatem redderet: mox persuasus satis sibi virium esse, bellum cepit, id quod Agesilao pergratum fuit. Magnũ enim aliquid se effecturum sperabat, indignumque rebatur, cùm decem illa Græcorum cum Xenophonte millia victo quoties voluissent rege ad mare peruenissent, si ipse dux Spartanorum, terræ marisq; imperium tenentium, nullũ Græcorum memoria dignum factum ederet. Proinde primùm Tisaphernis periurium iusta fraude vlciscens, Cariam se petiturum simulauit, eóque barbaro copias contrahente, impressione in Phrygiam facta, multas vrbes, ingentesque opes cepit. Eóque facto ostendit amicis, eos qui rupto fœdere iniuriam inferant, Deorum esse contemptores: hostes verò non modò decipi iustè posse, sed & gloriã ei rei, & cum voluptate lucrum comitari. Equitatu verò inferior, cùm exta parum læta apparuissent, Ephesum se recepit, ibiq; equitatum conduxit, diuitibus permisso, vt qui militare ipsi nollent, suo loco equum equitemq; darent. Permulti fuere, qui hoc facerent, itaq; Agesilaus pro leuis armaturę militibus multos & bellicosos eos nactus est: nam qui militare nolebant, homines belli cupidos conducebant, itemq; equestris rei studiosos, qui equites esse nolebant. Idq; faciebat Agamemnonis (vt aiebat) exemplo, qui accepta bona equa, imbellem virum atque diuitem militia soluit. Iussit etiam captiuos vestibus exutos à sectoribus vendi: & cùm multi vestiũ emptores existerent, corpora alba & planè ob vmbratilem educationem tenera, vt inutilia & nullius precii ab omnibus deriderentur, adsistens Agesilaus, At hi, inquit, sunt, cõtra quos, illa propter quæ, pugnamus. Tẽpore postulante, vt rursus in hosticum inuaderet, prædixit se in Lydiam iturum. Tisaphernes autem, cùm non falleret eum Agesi- *Tisaphernis perfidia.*

Ageſilaus, ſemetipſum decepit, ei ob priorem fallaciam fidem non habens, exiſtimansq; eum, quod eſſet ab equitatu longè imparatior, nunc in Cariam equitatui iniquam regionem profecturum. Sed vbi Ageſilaus, ſicuti prædixerat, in campos Sardibus propinquos venit, coactus celeriter opem ſuis ferre, cum equitatu accelerauit, & multos hoſtium incompoſito agmine regionem vaſtantium interfecit. Ageſilaus peditatum hoſtium nondum adueniſſe, ſe omnes ſuas copias in promptu habere cogitans, ſtatuit prælio decernere. Itaque equitibus ſcutatos permiſcuit, ire celeriter, & cum hoſte manū conſerere iubens: ipſe cum phalange ſecutus eſt. Fuſis tum barbaris inſtantes Græci multos interfecerunt, hoſtiumq; caſtra ceperunt. Hoc autē eo prælio conſecuti ſunt, vt non modò populari ipſis impunè agros regis ditioni ſubiectos licuerit, ſed & pœnas dederit Tiſaphernes, homo improbus, & Græcis infeſtiſſimus. Statim enim miſſus eſt à rege Tithrauſtes, qui Tiſapherni caput amputauit, Ageſilaum miſſo auro hortatus eſt vti pace facta domum abiret. Reſpōdit Ageſilaus, ciuitatem Spartanam pacis componendæ ius habere. ſe quidem magis gaudere, ſi milites ſuos ditare poſſit, quam ſi ipſe diues ſit: & alioquin Græcos pulcrius cenſere, ſpolia ex hoſtibus quam dona capere. Tamen vt Tithrauſtæ, quod is communem Græciæ hoſtem occidiſſet, gratiam referret, triginta ab eo talentis viatici nomine acceptis, in Phrygiam copias reduxit. In itinere ſcytalam accepit, qua ephori eum iubebant claſſi quoq; præeſſe: id quod ſoli omnium Ageſilao datum eſt. Maximus ergo iam tum haud dubiè, illuſtriſſimúsque hominum erat, vt quodam loco Theopompus ait: quanquam ſibi virtutis quàm imperii nomine plus ipſe arrogauerit. Enimuero tū in eo peccaſſe creditus eſt, quod parum habita publicæ vtilitatis ratione, cùm multi ætate & prudentia priores adeſſent, ad affinitatē reſpiciens Piſandrum vxoris ſuæ fratrem claſſi præfecit. Ipſe traducto in eam quę Pharnabazo ſuberat regionē exercitu, non modo in rerum omnium affluentia vixit, ſed & multum pecuniæ coegit, & ad Paphlagoniam vſque progreſſus, regem Paphlagonum Cotyn virtute & fidelitate ſua adductū, ſocietate ſibi coniunxit. Spithridates autem, qui iam antè à Pharnabazo ad Ageſilaum tranſiuerat, vnà ſemper in expeditione aderat.

*Ageſilai victoria.*

*Tiſaphernis interitus.*

*Ageſilao claſſis etiam ſubdita.*

Erat

Erat ei pulcerrimus filius Megabates, puer ætate, forma elegantissima, ideoque ab Agesilao adamatus: erat & filia, virgo sanè formosa, & viro matura. Hanc vt duceret Cotys, Agesilaus persuasit: acceptisque ab eo mille equitibus, & duobus scutatorum millibus, in Phrygiam rediit, Pharnabaziqúe ditionem infestauit. Pharnabazus verò ne munitis quidem castellis fidere, & subsistere ausus, preciosissima & charissima quæque secum ducens subterfugiebat, in diuersis subinde partibus regionis considens: donec eum Spithridates deprehendit, & auxilio vsus Herippidæ Spartani, castris, omniqúe gaza potitus est. Ibi Herippidas acerbiùs inquirens si quis de præda quippiam surripuisset, barbarosque deponere sarcinas cogens, omniaque perscrutans, ita Spithridatem offendit, vt is cum Paphlagonibus statim Sardes abierit. Nihil vnquam molestius Agesilao euenit. Nam & Spithridatem amissum dolebat, virum eximium, cumq; eo haud paruam militum manum: & auaritiæ illiberalitatisq; crimen ægrè ferebat, à quo non se modo, sed & patriam immunem præstare semper studuerat. Sed præter has euidentes dotes doloris causas, amor eum Megabatæ vrebat, qui altè iam insederat: tametsi præsente adhuc puero cupiditati ei vehementiùs pertinaciusque repugnasset. Etenim quodam tempore Megabatem salutandi & osculandi causa accedentem declinauerat: cumque is verecundia motus deinceps eminus ipsum salutaret, pœnitētia non admissi osculi ductus, mirari simulauit, ecquid se Megabates non ore etiam admoto salutaret. Tu in causa es, dicebant familiares, qui osculum pulcri pueri formidasti atque fugisti: nam adhuc facilè ei persuadebitur, vt si te id non metuere certò sciat, ad osculum veniat. Sub hæc verba Agesilaus cùm aliquandiu cogitabundus tacuisset, Nihil opus esse respōdit id ei persuaderi: se enim libentiùs iterum eo cum osculo certaturum, quàm omnia quæ conspexisset, aurea habiturum. Talem quidem se præsente adhuc Megabate gessit: absente autē eo ita arsit, vt dictu difficile sit, an si ille rediisset, temperaturus sibi ab osculo fuerit. Secundum hæc Pharnabazus colloquium eius petiit, in vnum eos conducente hospite vtriusq; Cyziceno Apollophane. Prior dictum ad locum cum amicis venit Agesilaus, inq; herbido & vmbroso se reclinauit loco, Pharnabazum expectans:

*Herippidæ peccatum.*

*Amor Megabatæ.*

*Colloquiū cū Pharnabazo.*

expectans: qui vt venit, substratis mollibus pellibus, variisque tapetibus, Agesilai ita recumbētis verecundia motus, ipse quoq; in gramine humi accubuit, quanquā esset veste miræ tenuitatis tincturæq; amictus. Facta consalutatione, Pharnabazo non defuit, quod iustè commemoraret: se nimirum à Lacedæmoniis, quibus in bello contra Atheniēses multa magnaq; tulisset auxilia, hostiliter nunc inuadi. Agesilaus autem cùm Spartanos, qui vnà aderant, præpudore oculos in terrā defigere vidit, animiq; incertos, quod iniuriā Pharnabazo fieri putarēt, Nos, inquit, Pharnabaze, & antè cū amici regis essemus, amicè res eius tractauimus, & nunc hostes facti, hostiū more: itaq; cùm te etiam ad eius ditionē velle pertinere videamus, haud iniuria te affligendo illi damnum damus. At tu qua primùm die Græcorum amicitiam & societatē seruitio regio prætuleris, deinceps ita habe, hanc classem, hanc phalangem, hæc arma, nosq; omnes tuorum bonorū libertatisq; (sine qua nihil bonū est, nihil expetendum hominibus) tuæ custodes fore. Tū Pharnabazus nihil eorum quę sentiebat dissimulans, Siquidem, inquit, alium quàm me rex ad hoc bellum ducem miserit, vestrarum ero partium: sin me, vobis vlciscendis, ipsiusq; nomine lædendis, nihil mihi reliquum faciam industriæ. Hoc sermone delectatus Agesilaus, dextrā ipsi iniecit. Vtinamq;, ait, Pharnabaze eo te animo prędituin amicum potiùs quàm inimicum nanciscamur. Digresso cum amicis Pharnabazo, filius relictus ad Agesilaū accurrit, subridēsq;, Hospitii, inquit, ius tecum Agesilae iungo, simulq; spiculum quod manu tenebat, ei dedit. Agesilaus & forma, & comitate pueri oblectatus, oculos in adstātes coniecit, si quis haberet, quod muneris loco pulcro & generoso reddi posset: consp̄icatusque Idæi scribæ equum phaleris ornatum, celeriter eas detraxit, pueroq; donauit. In posterū quoq; semper memoriam eius retinuit: & progressu temporis re familiari spoliatum, fugatumque à fratribus, in Peloponnesum venientem, magna cura fouit. Quin & in amatoriis rebus ei auxilio fuit. Amabat enim Persa athleticum quendam Athienſem puerum: qui cùm ob molē & duriciem corporis in periculo esset, ne Olympico certamine excluderetur, Persæ pro illo deprecanti gratificatus Agesilaus, ægrè id quod petebant obtinuit. Etenim vir aliis in rebus accu-

*Pharnabazi filius.*

*Agesilai amor.*

accuratæiusticiæ, in amicitia prætextũ esse putabat nimiã iustitiam. Fertur sanè epistola eius ad Hydrieũ Carem, hoc exemplo. Niciam, si nihil peccauit, dimitte: sin peccauit, nostri causa dimitte: omnino autem dimitte. Ac talis quidem plerunq; erga amicos fuit. Aliquando tamen occasione vrgente commodum suum antiquius habuit: vti cùm subito tumultu castra mouens amasium suum ægrotantem reliquit, vocantique se & oranti, reiecto in eum vultu, Difficile est, inquit, simul misereri & sapere. id quidem Hieronymus philosophus narrat. Agebatur iam alter belli annus. Magna autem admirandaq; fama de continentia Agesilai, frugalitate, ac mediocritate per Asiam vagabatur. Peregrè proficiscens, seorsim in religiosissimis Deorum fanis diuersaba- *Continentia.*
tur, iis quæ absque arbitris facimus ferè, Deos immortales inspectores & testes adhibens. Inter tot militum millia non facilè inueniisses, qui lecto quàm Agesilaus viliori vteretur: frigus & æstũ ita ferebat, vt solùm ad ferendas prout Deus temperasset tempestates natum diceres. Iucundissimum autem Græcis Asiam habitantibus spectaculum exhibebãt præfecti ducesq;, haud ita pridè insolentia intolerabili vsi, luxuq; & opibus diffluentes: qui tum virum in vili obambulantem pallio metuebant ac venerabantur, & ad vnum ipsius breue Laconicumq; dictum sese componebãt: multisq; subibat illud Timothei dicere,

*Mars est tyrannus: aurum haud metuit Græcia.*

Mota Asia, multisq; vndiq; deditionem facientibus, vrbes composuit, respublicasq; absq; cæde & exiliis pristino decori restituit. Progredi inde statuit, bellóque à Græco mari translato, cũ rege de vita, & qua ille Ecbatanis Susisq; fruebatur felicitate dimicare: ocium ei primò omnium adimere, ne bellorum inter Græcos præmiis porrò diuidendis factiosisq; oratoribus corrumpendis vacare posset. Hæc illo agitante, Epicydidas Spartanus ad ipsum venit, nuncians graue bellum à Græcis Spartanos circumstare, ipsum ab ephoris, vti domesticis rebus auxilio esset, vocari.

*Hui, barbara inuenisse vos, Græci, mala?*

Quo enim alio nomine inuidiam istam, intestinasque seditiones Græcorum affecero? qui fortunam prospero cursu pergentem inhibuerunt, armaq; iam in barbaros versa, bellumque Græcia exterminatum, rursus in seipsos contorserunt

runt. Neque enim assentior Demarato Corinthio, qui magna voluptate Græcos caruisse dixit eos, qui Alexandrum in solio Darii sedentem non vidissent: sed merito eos lacrymaturos fuisse existimo, si cum animis suis reputassent felicitatis eius locum Alexandro & Macedonibus ab iis factum, qui isto tempore Græcorũ duces in Leuctricas, Coronenses, Corinthias, & Arcadicas pugnas insumpserunt. Neque vero quicquam hoc in Græciam reditu maius aut præclarius Agesilaus fecit: neque vllum extat isto pulcrius obedientię & iusticiæ exemplum. Nam & Annibal cùm aduersa iam vteretur fortuna, Italiaq́; pelleretur, ægrè tamen paruit ad bellum in Africam euocantibus: & Alexãder audita Antipatri contra Agidem pugna, per iocum suis dixit, Videtur mihi, ô socii, dum nos hîc Darium vincimus, interim murium aliquis in Arcadia fuisse conflictus. Quo magis Spartam Agesilai nomine beatã prædicare licet, qui tanto honore patriam, tanta leges reuerentia coluerit. Simul enim atq; scytalam accepit, felicitate tanta atq; potentia & spe ad summa ducente omissis, statim imperfecto negocio discessit, magnum sui desiderium sociis relinquens, Damostratiq́ue Corcyrei dictum abundè refellens, qui publicè Lacedæmonios, priuatim Athenienses meliores esse dixerat: nam cùm regẽ se imperatoremq́; præstantissimum ostendisset, multo se meliorem & chariorem familiaribus priuatim suis amicum exhibuit. Nomisma Persicum sagittarium insculptum habebat. Eò respiciens, cùm discederet Agesilaus, Multis sagittariorum millibus à rege se ex Asia profligari dixit: ingẽti enim pecunia à rege Athenas & Thebas missa corrupti oratores, bellum contra Spartanos excitauerant. Hellesponto traiecto cùm per Thraciam iter faceret, nullum barbarorum populum orare vt sibi transire per eius regionem liceret dignatus est: missis modò ad singulos nunciis quæsiuit, vt amicúmne an vt hostem transire ipsum vellent. Omnibus amicè excipientibus ac deducentibus, soli Tralles (populi hoc quoque Thracici nomen est) à quibus Xerxem quoq; muneribus transeundi facultatem redemisse fama est, mercedem petierunt, centum argenti talenta, totidemq́ue mulieres. Subsannauit eos Agesilaus, cur, inquiens, non statim aduenerunt vt ea acciperent? simulq́ue progressus acie occurrentes magna cum ipsorum

*Agesilai reuocati obedientia.*

*Iter vt fecerit.*

ipsorum strage fudit. Eodem modo etiam ad regem Macedonum quæsitum misit: cúmque is deliberaturum se respondisset, Deliberet sanè, inquit: nos interim progrediemur. Itaque audaciam eius miratus, sibiq; metuens rex, vt amicum venire iussit. Thessalorum, quòd suppetias hostibus ferrent, agros vastauit: Lariſſam verò Xenoclem & Scytham amicitiæ iungendæ causa misit. Quos cùm Lariſſæi comprehensos in custodia posuissent, indignè ferentib. reliquis, Agesilaúmq; admoto exercitu vrbem oppugnare iubentibus nolle se tota Thessalia potiri ea cõditione, vti alterutrum eorum virorum amitteret, respondit: pactóq; eos recepit. Id fortasse Agesilai factum non est mirandum: qui cùm audiuisset apud Corinthũ magno facto prœlio, subitò multos insignes viros periisse, & de Spartanis perpaucos, magnum hostium numerum cecidisse: nõ profectò gaudio elatus est, sed graui gemitu dato, Proh Græcia, inquit, quæ tot bonos viros ipsa perdidisti, quot viui pugna omnes simul cõiunctos barbaros vincere possent. Pharsaliis autem exercitum ipsius infestantibus, cum quingentis suorũ equitibus occurrit, fusisq; eis trophæum sub monte Narthacio erexit: eáq; victoria maximè gauisus est, quòd suo tantùm vsus equitatu rei equestris gloria maximè tumẽtes vicisset. Ibi Diphridas ephorus Sparta missus eum conuenit, mandauitq; vt statim in Bœotiã irrumperet. Statuerat quidem id paulo pòst maiori cum apparatu facere: nunquã tamen non obediendum magistratui ratus, suis prædixit propè esse diem cuius causa ex Asia venissent, duásq; cohortes ab exercitu qui iuxta Corinthũ versabatur, acciuit. At in vrbe Spartani honoris causa decreuerunt, vt qui adesse regi vellent iuuenes, nomina darent: cúmq; id studiosè omnes fecissẽt, quinquaginta ex iis ætate & robore validissimi à principibus lecti, & ad Agesilaum missi sunt. Agesilaus intra Pylas progressus, peragratáq; regione amica Phocide, vt primùm Bœotiam attigit, apud Chæroneã castra fecit. Ibi & solem deficere, & lunæ in modum mutilum conspexit: & Pisandrum nauali apud Cnidum prœlio victum à Pharnabazo & Cononе periisse accepit. Hæc, vti par erat, cum affinis sui, tum patriæ nomine dolorem ei attulerunt. Ne tamen nuncius militum ad pugnam proficiscentium animos perturbaret, eos qui à mari venerant, victoriã suorum annunciare

*Amor in ciues.*

*Solis defectus. Pisandri interitus.*

iussit: ipseque coronatus gratulatoria sacra fecit, partesque hostiæ amicis dimisit. Progressus inde Coroneam, cùm & vidisset hostes, & iis in conspectum venisset, aciem instruxit, Orchomeniis sinistro, sibi dextro cornu assignato, Thebani contra dextro in cornu ipsi, in læuo Argiui constiterunt. Pugnæ huic non temerè aliam parem extitisse Xenophon scribit, qui & ipse interfuit commilito Agesilai, quì cùm ex Asia traiecerat. Primus cõcursus haud multum habuit conflictationis aut certaminis: statim enim Orchomenios Thebani, Agesilaus Argiuos pulerunt. Ab insecutione vtrique, sinistrum suum cornu laborare & pedem referre audientes, ad pugnam redierunt. Ibi Agesilaus, cùm citra periculum victoria potiri posset, si cedentibus instans à latere ferire voluisset: animi ardore incitatus, aduersum se Thebanis, & à fronte obtulit, excipientibus eum & summa vi subsistentibus. Acre tum vndique prœlium extitit, sed longè acerrimum circa ipsum regem inter quinquaginta (quos dixi) delectos iuuenes pugnatem: quorum sanè tum laudis cupiditas commoda regi salutarisque fuit. Pugnantes enim acriter, periculisque se pro rege obijcientes, tamen ne vulneraretur, efficere nullo modo potuerunt: confauciatum autem hastis & gladiis per arma adactis vix eripuerunt morti: actóque globo multos hostium ante ipsum obtruncauerunt, multis etiam suorum amissis. Et quoniam fieri non poterat, vt Thebanos ordinibus constantibus pugnantes funderent, id quod ab initio noluerant, facere coacti sunt: deducta enim phalange interuallisque factis Thebanos per eos iam dissolutis ordinibus euadentes insecuti sunt, & ex obliquo petierunt. Non tamen eos in fugã conijcere valuerunt: sed ad Heliconem ij concesserunt, plurimum sibi id ob prœlium tribuentes, quòd inuictos sese ipsi sua ex parte præstitissent. Agesilaus autem, tametsi grauiter affecto obvulnerum multitudinem corpore, tentorium tamen prius non subiuit, quàm lectica ad phalangem gestatus, cadauera in armis congesta inspexit. Quotquot hostiũ in templum Itoniæ Mineruæ confugerant, eos dimitti iussit. Haud procul id templum Coronea abest, iuxtáque trophæum, quod Bæoti statuerunt, cùm Spartone duce Athenienses vicissent, Tolmidámq; eorum ducem occidissent. Prima luce Agesilaus vti certo exploraret, pugnámne iterũ tentare

*Pugna ad Coroneã.*

centare statuissent hostes, milites suos sertis redimitos, pręcinẽtibus tibicinibus, trophæum figere & ornare tanquam victores iussit. Ibi cùm hostes cadauera repetitũ misissent, factis induciis, cõfirmatáq; hunc ad modum victoria, Delphos ad Pythia deportatus est: ibi & pompam Deo peregit, & decimas Asiaticarum manubiarum, ad centum talenta consecrauit. Reuersus domum, charus statim & in admiratione ciuibus suis propter mores vitæq; rationem fuit. Non enim, quod pleriq; omnes imperatores faciunt, ex peregrinatione alios, nouósve intus mores, ac domestica fastidiẽs aspernánsq; rediit: sed perinde atque ij qui Eurotam nunquam transiissent, patrias consuetudines amplexus, nõ cœnam immutauit, nõ lauacrum, non vxoris cultum, non armorum apparatum, non ædificia. Quin & fores easdem reliquit, ita vetustas, vt eæ ipsæ videri potuerint, quas Aristodemus fecerat. Canathrum quoq; filiam eius nihilo quàm aliorũ filias pulchrius habuisse Xenophon scribit: sunt autem canathra imagines gryphũ & hircoceruorum, in quibus filias vehunt in põpis. (Nomen quidẽ filię Agesilai non perhibuit Xenophon: & Dicæarchus queritur neque Epaminondæ matris, neq; Agesilai filiæ nomen nobis notum esse. Verùm nos in Laconicis cõmentariis reperimus Agesilai vxorem Cleoram, filias Apoliam & Prolytam nominatas fuisse) Hastam quoq; ipsius videre est Spartę repositam, nihil ab aliis differentem. Sedenim cùm videret quosdam inimicos multum sibi arrogare, eò quòd equos alerent, sororí suæ Cyniscæ persuasit, vti quadrigis Olympiacis ludis decertaret: quò Græcis ostenderet eam victoriam nulla virtute, sed sumptu & opibus parari. Xenophontem philosophum, quem in magno secum precio habuerat, accitum pueros erudire Spartæ iussit, vt ex eo artem parendi & imperandi, qua nulla est præstantior, discerẽt. Lysandro mortuo, cùm inueniret factionẽ ab eo vt ex Asia redierat cõtra se cõcitatam, statuit demõstrare, qualis ciuis in vita sua Lysander fuisset: orationémq; de nouis rebus statúq; reip. mutando quam Cleon Halicarnassensis conscripserat, Lysander aũt pronunciare ad populũ statuerat, cùm legisset, proferre in medium voluit. Vni tamen ex senatoribus, qui ipse quoq; lecta oratione vim dictionis metuens, non effodiendum Lysandrũ, sed orationem potiùs cũ eo defodiendam

suadebat, obtemperauit, & propositum abiecit. Aduersarios autem suos palàm non est vltus, sed effecit vt ij vnus post alium duces magistratúsq; constituerentur: ostenditq; eos potestate cupidè & iniustè vti: in iudicium deinde vocatis opem ferens, ex inimicis familiares redegit, atque ita confecit, vti neminem sibi in rep. aduersum haberet. Etenim Agesipolis alterius familiæ rex, patrem exulem habens, ætate admodum adolescens, ingenióq; leni & tranquillo, non multum se reipub. administrandæ ingerebat. Hunc tamen ipsum quoq; sibi obstrinxit. Reges quoties Spartæ agunt, vna in eodem phiditio cibum capere mos est. A morib. itaque obnoxium, vt & ipse erat, Agesipolim sentiens, semper alicuius elegantis pueri mentionem inferebat, adolescentisque amoribus studium operámque suam locabat. Nihil autem turpe Laconicos amores, sed verecundiam, contentionémq; virtutum & laudum habuisse, in vita Lycurgi docuimus. Summam porrò in vrbe potentiam nactus, effecit vt frater suus vterinus Teleutias classi præficeretur: expeditionéq; ad Corinthum facta, ipse terra, frater mari aggressus, longos muros cepere. Argiuis verò Corinthum eo tempore obtinentibus & Isthmia agentibus subitò visus, ipsos quidē vix dum sacris operatos expulit relinquentes omnem apparatum: Corinthiis verò, qui ipsi aderāt, exulibus orantibus vt ipse ludos instauraret, non assensit, sed ipsis celebrantibus eos adfuit, securitatémque præstitit. Pòstillo digresso Argiui rursum Isthmia peregere, ac quidem eorum qui antè vicerant, iterum vicere, quidam victi sunt. Ad hæc Agesilaus, Argiuos magnæ seipsos timiditatis arguere dixit, qui ludorum eorum exhibitionem tanti facerent, neq; pugnare tamen propter eam ausi fuissent. Ipse in id genus rebus omnibus mediocritati studuit: ac domestica quidem certamina & choros perstudiosè exornauit, præsensq; obiit, vt ne puerorum quidē aut virginum à cōcertationibus abesset: at quæ aliis admirationi esse cernebat, ea ne cognosce re quidē volebat. Aliquando Callipedes tragœdiarum actor magni inter Græcos nominis, primùm Agesilaum accedēs salutauit, deinde superbè se vna ambulantib. immiscens ostentabat, à rege se cōpellatum iri sperans: tandem, Non agnoscis me ô rex, inquit? tum Agesilaus in eum intuens, Nónne, ait, Callipedes mimus es tu? Rursus monentib. vt quendam

*Agesipolis rex.*

*Bellū Corinthiacū.*

*Contēptio rerū inanium.*

quendam qui vocẽ luſciniæ imitabatur, audiret, Ipſam, reſpõdit, ſe audiuiſſe luſciniam. Menecrati medico, qui quòd deploratos quoſdam ſanitati reſtituiſſet, Iouis cognomentũ retulerat, ſuperbiúsq; eo vtebatur, auſo in epiſtola quadam ita ſcribere: Menecrates Iupiter regi Ageſilao ſalutem, ſic reſcripſit: Ageſilaus rex Menecrati ſanam mentem. Cùm autem in agro Corinthio cõmoraretur, Heræúmq; cepiſſet, captiuósq; homines & prædam diripientes milites ſpectaret, legati de pace petenda ad ipſum à Thebanis miſſi venerunt. Hos, vt perpetuò oderat vrbem, ac tum inſultandum quoque ei putabat, neque videre ſe, neque vocem eorum orantium exaudire ſimulauit. Hoc tam ſuperbum factum Nemeſis inultũ non eſt paſſa. Nondum enim digreſſis legatis, adfuerunt qui cęſam ab Iphicrate ipſius apud Lechæum cohortem referrent. Diu nulla eiuſmodi clades Lacedæmoniis aciderat: multos enim bonos viros amiſerant victos, à ſcutatis grauis armaturæ milites, à ſtipendiariis Lacedæmonios. Exiluit ſtatim vt ſuccurreret eis Ageſilaus: ſed vbi actum iam eſſe de ipſis audiuit, Heræum rediit, ibique Bœotos exequi legationem iuſſit. Qui cùm ludibrium ei reponentes, nulla pacis mentione facta, Corinthum modò eundi facultatem peterent, iratus, Cras, inquit, tutò mecum eò ibitis, ſiquidem amicos veſtros ſucceſſu elatos videre eſt animus. Poſtridiéque eos ſecum ducens, agrum Corinthiorum vaſtauit, & ad murum vſque acceſſit: atque ita cùm demonſtraſſet Corinthiorum timiditatem, legatos dimiſit. Ipſe cum iis qui de cohorte ſupererãt Lacedæmonem rediit, manè educens, & tenebris demum factis iter inhibens, ne qui inuidebant & odio habebant ipſum Arcades, damno eius gauderent. Poſt hęc in gratiam Achæorum vnà in Acarnaniam expeditionem fecit: ibi magna acta præda, prælio etiam Acarnanes vicit. Orantibus autem Achæis vt per hyemem ibi maneret, ſementémq; hoſtium prohiberet, contrà ſe facturum reſpondit: magis enim hoſtes bellũ formidaturos ſi verno tẽpore ſegetẽ in agris ſint habituri. Idq; conſiliũ exitus probauit: rurſum enim adducto hoſtili exercitu, cũ Achæis pacem fecerunt Acarnanes. Enimuerò poſtquã Pharnabazus & Conon regia claſſe mare obtinentes, oram Laconicæ vaſtauerunt, Athenę quoq; muris circundatæ ſunt Pharnabazo pecuniã ſuppeditãte: ſtatuerunt Lacedæmonij 12

*Expeditio in Acarnaniam.*

*Pax Antalcida.*

dæmonij cum rege pacem inire. Mittunt itaq; Antalcidam ad Teribazũ turpissimè & iniustissimè Græcos Asiam incolentes, pro quibus bellum gesserat Agesilaus, regi prodentes. Verùm eius rei infamia nihil planè ad Agesilaum pertinuit. Antalcidas enim inimicus erat, ideóq; tanto studio in pacem faciendam incumbebat, quòd bello eum ad summam gloriam potentiámq; euehi animaduerteret. Veruntamen Agesilaus & ei qui Lacedæmonios Medis obsequi dicebat, respondit non ita rem habere, sed Medos Lacedæmoniis studere: & qui pacem accipere nollent, eos bellum denunciando ipsis coegit vt pactis cum rege Persarum conditionibus starent. Idque eum maximè propter Thebanos feciſſe, vt ij Bœotia suæ libertati restituta vires amitterent, ex iis apparet, quæ postea temporis egit. Cùm enim Phœbidas pace fœderéq; neglecto Cadmiam occupasset, idque & omnes Græci, & ipsi Spartani molestè ferrent, atq; ij maximè qui inimici Agesilao erant ex Phœbida quærerent, cuius iussu hoc facinus perpetrasset, nimirum vt Agesilaum eius rei suspectum facerent: non est veritus Agesilaus Phœbidæ opitulari, palámq; dixit, rem ipsam vtilisne sit expendendam esse: quæ enim Lacedæmoniorũ ciuitati cõducant, ea rectè etiam iniussu agi. Alioquin iustitiam solebat inter omnes virtutes præstantissimam dicere, & sine qua fortitudo nullius esset precij, cùm contrà ne opus quidem hac esset futurum, si omnes homines iusti essent. Dicẽtibus, Hoc ita magno regi placere, Quid ergo, inquit, an is maior me est, si nõ sit iustior? rectè iudicans iustitia, tanquam regia mensura, præstantiam esse examinãdam. Epistolam à rege facta pace sibi missam, qua priuatim cum ipso rex hospitium & amicitiam inire studebat, non accepit, suffecturam dicens publicam amicitiam, eáq; constante, nihil priuata opus fore. Sedenim in rebus non hanc suam de iustitia opinionem secutus, sed ambitionẽ sæpenumerò, studiúmq; cõtendendi, præsertim contra Thebanos, non modò Phœbidam seruauit, sed & ciuitati persuasit, vti in se facinus id reciperet, arcémq; Thebanam sibi seruaret, Archiam & Leontidam, quorũ opera eam Phœbidas occupauerat, reip. Thebanorum præficeret. Eapropter statim suspicio insinuauit, Phœbidæ opera, consilio Agesilai rem actam fuisse: quæ autem subsecutæ sunt actiones certam rem fecerunt. Cùm enim

*Phœbidæ facinus.*

*Agesilaus de iustitia.*

Thebani

Thebani præsidio eiecto vrbem in libertatem asseruissent, criminis loco obijciens Agesilaus, quòd Archiam & Leontidam, qui sub prætorum nomine tyrannidem gesserant, interfecissent, bellum eis intulit. Itaque Cleombrotus rex (iam enim Agesipolis obierat) cum exercitu est in Bœotiam missus. Agesilaus enim, vt qui quadraginta iam postquam ex ephebis excesserat annos vixisset, beneficio legis militia soluebatur: quam subterfugiebat turpitudinem veritus, si qui paulo antè pro exulibus cõtra Phliasios bellũ gessisset, nunc Thebanos propter necatos tyrannos infestare diceretur. Erat tum quidã Laco, Sphodrias nomine, cõtrarię Agesilao factionis, vir neq; timidus, & laudis cupidus, sed qui spe quàm cõsilio bono plerunq; magis duceretur: tum Thespiis præfectus erat. Is magnum nomen affectans, Phœbidæ illustrem ob Cadmeam captam esse gloriam cẽsens, persuaderi sibi passus est, vt longè præclarius ad facinus accingeretur: nimirum vti subitò à terra irruens Piræum Atheniensibus adimeret, atque ita mari eos excluderet. Autores cõmenti huius fuisse Pelopidam & Gelonem Bœotiæ principes ferunt, eos submissis qui Lacedæmoniis se cupere simularent, Sphodriam laudando & prædicando solum eum tam præclaro facinore dignum, eò compulisse, vti conatum haud minùs Phœbidę facto iniustum, fortuna tamen & audacia destitutũ susciperet. Lux enim eum in Thriasio campo deprehendit, cùm noctu adhuc Piræum inuadere statuisset: militéque traditum est conspecta à sacris Eleusiniis luce consternatos fuisse. Sphodrias quidem fiducia excidit, cùm latêre non posset, exiguáque præda acta turpiter ac cum dedecore Thespias rediit. Missi inde ab Athenienses bus Spartam, qui Sphodriam accusarẽt, sed ij offenderunt nihil opus esse ephoris accusatore, quòd ei iam antè capitalis rei diem dixissent. Sed ille iudicium subire ausus non est, iram ciuium metuens, qui Athenienſium verecundia moti, ne iniuriæ faciendæ reo autores fuisse viderentur, vnà cum illis affecti iniuria videri volebant. Erat Sphodriæ filius Cleonymus, puer etiamnum, & forma eleganti: eum Archidamus Agesilai regis filius amabat, ac tametsi, vt consentaneum erat, dolorem cum eo de parẽtis periculo communem habebat, nihil tamen auxilij palàm ferre poterat, quòd Sphodrias ex inimicis Agesilai vnus erat. Cleonymo

*Sphodriæ conatus.*

eum accedente, & cum lachrymis obsecrante, vti suo patri patrem placaret, quem maximè ille metueret, tres aut quatuor per dies prę verecundia & metu cõpellare patrem non ausus, sequebatur: tandem iudicij die instãte abiecto timore Agesilao dixit Cleonymum se pro patre deprecari. Agesilaus iam pridem senserat Cleonymi amore Archidamum teneri, nõ tamen prohibuerat, quòd à puero statim eam de se Cleonymus opinionẽ præbuisset, vt in præclarum virum euasurus videretur. Nullam tamen benignitatis auxiliíve spem filio deprecanti ostendit, idq; modò dicens, deliberaturum se quid rectè & honestè facere posset, abiit. Itaque is verecundia motus, à Cleonymi consuetudine, qua quotidie vti consueuerat, se abstinuit. Exinde amici quoq; Sphodriæ magis magisq; de causa eius desperauerunt, donec Agesilai quidam amicus Etymocles cum illis colloquens, Agesilai sententiã eis exposuit: scilicet factum id summoperè ei improbari, Sphodriam tamen virum bonum existimare, videréq; vrbem huiusmodi militibus indigere. Hunc enim in modum de causa illa solebat loqui Agesilaus, in gratiam filij: adeò vt & Cleonymus statim operam Archidami senserit, & amici Sphodriæ animo recepto adfuerint. Fuit alioquin miro liberûm amore præditus Agesilaus, idque de eo iocosum perhibetur, aliquãdo eum domi cum filiolis equitantem in arundine collusisse: visum q; cuidam amicorum, monuisse eum ne cui id diceret, priusquam ipse etiam liberos procreasset. Absoluto ita Sphodria, Athenienses búsq; vt id cognouerunt ad bellum versis, pessimè Agesilaus audiebat, qui ob cupiditatem ineptam & puerilem iustum iudicium impediuisset, tantorúmq; in Græcos flagitiorum culpæ partem ciuitati Spartanæ imposuisset. Quapropter Cleombrotum cernens parum animi ad bellũ contra Bœotos gerendum habere, valere iussa ea, qua militiã nuper excusauerat, lege, ipse in Bœotiam impressionẽ fecit, multáq; damna intulit, multa accepit: itaq; & vulnerato quãdoq; Antalcidas dixit, pręclara eũ prędia à Thebanis auferre, quòd eos neque volentes neque scientes pugnare docuisset. Et quidem haud vnquam aliàs quàm eo tempore bellicosiores Thebani fuerunt, crebris Lacedęmoniorum cõtra ipsos expeditionibus veluti exercitati. Itaq; & antiquus ille Lycurgus in tribus legum tabulis, quas Rhetras vocant, ve-

*Agesilai amor liberûm.*

13 *Bellũ contra Thebanos.*

tuerat

tuerat sæpius eosdē bello petere, ne ij artes militares discerent. Erat & socijs Lacedæmoniorum inuisus Agesilaus, quòd nullum ob publicum crimen, sed ira & contentione quadam instigatus Thebanos perdere quæreret: seque nulla necessitate postulante ad pernicie suam hinc inde quotannis circumduci, ac tam paucorum numero Spartanorū comites esse indignabantur. Quo tempore Agesilaum narrant, vti ostenderet Spartanorum multitudinem, eo consilio vsum. Vniuersos socios inter se permixtos considere iussit, Lacedæmonios seorsim: inde præconis voce primùm fi- *Chria.*
gulos iussit, postea ærarios fabros surgere, inde lignarios, tum ædificatores, reliquosque secundum omnia artificia: ita vniuersi ferè socij, nemo Lacedęmoniorum surrexit: nullam enim ijs artem quæstuariam seu sordidam tractare legibus permittitur. Ibi tum risum tollens Agesilaus, Videtis, inquit, ô viri, quam multo nos quam vos plures milites in bellum emittamus. Megaris autem, cùm eò à Thebis exercitum abduxisset, adscendenti ad curiam quæ in arce erat, conuulsio & vehemens dolor sanum crus inuasit, ex eóq; id intumuit, inflammatióq; à sanguinis, vt videbatur, immodico affluxu ingens extitit. Cùm autem medicus quidam Sy- *Morbus*
racusanus venam infra malleolum aperuisset, dolor quidē *Agesilai.*
remisit, sed profluxus sanguinis inde ortus, cùm sisti nullo modo posset, ad animi deliquium & graue discrimen eum adduxit. Vix demum profluuio cruoris represso, Lacedæmonem delatus, aliquandiu ægrotauit, ac per valetudinem militiæ ineptus fuit. Interim multas terra marique clades Lacedæmonij perpessi sunt, quarum maxima fuit Leuctrica, vbi primùm acie à Thebanis victi sunt. Omnibus Græcis adeuersum omnes pacem constituendam visum erat: eáque de causa ex Græcia legati Spartam conuenerant. Fuit inter eos Epaminondas, eruditione & philosophia illustris, sed qui *Epaminō-*
nondum suæ in bello prudentiæ documentum exhibuisset. *dæ oratio.*
Is cùm reliquos omnes videret Agesilao se submittere, solus liberè quæ sensit ausus est effari, orationemque habuit non pro Thebanorum modò, sed vniuersæ adeò Græciæ commodis. demonstrauit enim bello Lacedæmonios augeri, reliquis omnibus eo afflictis: proinde æqualibus conditionibus pacem iustisque componendam, ita enim demum stabilem fore pacem, si æqualitas vbique constituatur. Agesi-

laus verò cùm magnopere admirari eum, orationíque eius attentos esse Græcos cerneret, percontatus est, Ecquid iustum & æquum censeret, Bœotiam suis legibus vti permittere: cúmque is mox confidenter interrogasset vicissim, ipsé ne Laconicam liberam dimitti æquum iustúmque arbitraretur, exiliens præ indignatione, disertè eloqui iussit, Bœotiámne liberam relinquat: ac rursum Epaminondas, Túne, inquit, Laconicam? Ibi tum exasperatus Agesilaus, arrepta quam diu captauerat occasione Thebanorum nomen statim ex albo pacem accipientium deleuit, bellúmque eis indixit. Reliquos Græcos abire domum iussit, & quas possent, pace, quas non, bello componere controuersias: eas enim omnes transigere & abolere, immensi erat laboris. Cleombrotum autem, qui tum in Phocide cum exercitu agebat, ephori statim contra Thebanos ducere iusserunt, missísque ad socios conquisitoribus, grauatim quidem ad bellum accedentes, hiscere tamen aut imperia detrectare non audentes auxilia contraxerunt. Multis aduersis ostentis factis (quæ in vita Epaminondæ persecuti sumus) Prothoóq; Spartano expeditioni ei repugnante, non tamen remisit Agesilaus, sed bellum commisit, sperans cùm Spartanis tota iam Græcia libera faueret, soli fœdere excluſi Thebani essent, hos se nunc vlciscendi locum habere. Ipsa temporis ratio ostendit festinatione magis quam cõsilio bellum id inceptum: decimoquarto enim die mensis Scirophorionis Lacedæmone fœdus ictum, quinta Hecatombæonis, id est, vigesimo pòst die, clades Leuctrica accepta est. Mortui sunt ea in pugna mille Lacedæmonij, & rex Cleombrotus, iuxtáque eum præstantissimus quisque Spartanorum: inter quos traditum est Cleonymum Sphodriæ F. illum formosum pro rege propugnantem ter prostratum, totiesq; resurgẽtem & pugnantem in Thebanos occubuisse. Improuisa clade Spartanis, successuq; Thebanis eo vsis, quo glorioſior alter Græcis aduersum Græcos non euenit, virtutis tamen causa non minus victam quam victricem vrbem mirari quis potuisset. Rectè quidem est à Xenophonte dictum, præstantium virorum iocos etiam & quæ inter potandum animi causa agunt, memorabile aliquid in se habere: at verò etiam magis est operæprecium animaduertere, quam ij aduersa fortuna in agendo loquendóq; modestiam seruent. Festum diem agebant

*Thebani pace excluſi.*

*Leuctrica Spartanorũ clades.*

agebant Spartani, vrbsque hospitum erat plena (erant enim gymnica certamina chororum in theatro) cùm nuncius Leuctricæ calamitatis Spartam allatus est. Hic ephori tametsi minimè obscurum erat actum esse de principatu, neque chorum tamen discedere, neq; festiuitatis eius formam immutari passi sunt: sed dimissis secundum domos eorum qui ceciderant nominibus ad necessarios, certamina chororũ ipsi perfecerũt. Postridie cùm iam omnibus innotuisset qui perijssent, qui euasissent, mortuorum quidem parentes & affines & propinqui in forum descendere, lætóq; vultu, animisq; & lætitia alacres sese mutuò datis dextris amplecti: eorum verò qui superfuerant necessarij tanquã in luctu domi sese cum vxorib. continere, aut si in publicum prodirẽt, habitum, vocem, vultúmq; tristẽ præ se ferre. Id verò magis in feminis erat animaduertere: quę incolumes suos recepissent, taciturnas mœstásq; incedere, quæ amisissent, in fanis obuersari, mutuóq; se hilari vultu consalutare. Enimuerò vt & socij desciuerunt, & Epaminondas victoria elatus in Peloponnesum expeditionem facturus creditus est, pleriſq; animo recolere subijt oracula de claudicatione Agesilai, multáque per vrbem mœsticia, & metus Deũm existebat: arbitrantium ideo eas clades accidisse, quòd regno eum qui pedibus integer esset, prohibuissent, claudúmq; & mutilum in eius locum substituissent, à quo maximè cauere sibi diuinitus fuerant iussi. Virtutem tamen eius, potentiam, gloriámq; venerati: non regem modò & ducem belli retinuerũt, sed & medico arbitróq; ciuilium difficultatum vsi sunt. Desertores, qui ea in pugna metu victi fugerant, & multi erant & potentes: ita vt tumultum metuẽtes legib. præscriptã pœnam eis irrogare non auderent. Nõ enim tantùm omni magistratu arcebantur, sed & affinitatem cum eis contrahere ignominiosum erat: ijdem impunè ab obuio quouis feriuntur, tolerantq; hoc, squalidi & humiles circũeuntes, centones discolores induti, barbæq; partẽ radunt, partẽ tondent. Graue igitur erat tã multos eo habitu, isto præsertim tẽpore, quo militib. permultis opus erat, videre in vrbe oberrantes. Itaq; Agesilaus legum ferendarũ causa vocatur. Atq; is in concionẽ progressus, nihil addens, nihil detrahens legibus, nihil mutans, eo die leges cessare debere dixit, in posterum pristinam autoritatem habere. Ita & leges ciuitati seruauit,

*Magnanimitas eorum.*

*Pœna desertorũ.*

uauit,& ab ignominia ciues. Porrò vt iuuenũ animos à præsenti mœsticia reficeret, in Arcadiam irrupit: studioseq; sibi à pugna cauens, oppidulum quoddam Mantineorũ cepit, incursionemq; in agros fecit: atq; ita spem aliquam ciuium animis reduxit, ne deploratã planè rem Spartanã putarent. Secundũ hæc in Laconicam Epaminondas inuasit cum socijs, haud minores quadraginta millibus grauis armaturæ milites ducens: multi quoq; leuis armaturę, & inermes prędæ causa comitabantur, ita vt ad septuaginta hominũ millia in Laconicam intrauerint. Haud pauciores sexcentis annis effluxerant, ex quo Dorienses Spartam habitare cœperunt: neq; ante eum vnquam diem hostes in Laconica conspecti sunt, nemine antehac id ausо. Itaq; in regionem intactam inuiolatámq; hactenus impressione facta, vsq; ad Eurotam atque vrbem incendijs & rapinis omnia vastabant, nemine resistente. Non enim patiebatur Agesilaus tanto, vt ait Theopompus, fluctui procellæque se obijcere Lacedæmonios: sed vrbis medium & præcipua loca militibus cùm muniuisset, minas & arrogantiam hostium perferebat, prouocantium eum nominatim ad pugnam, ipsumq;, qui causa malorum esset, bellũmq; incendisset, propugnare pro agro patrio iubẽtium. Haud minus molestiæ ei tumultus vrbani, vociferationesq; & discursiones exhibebant, senib. obsidionem non tolerantibus, mulieribusq; se non continentibus, sed clamore & ignibus hostilib. ad insaniam redactis. Gloriæ quoq; iactura eum torquebat, quod quam vrbẽ ipse maximam potentissimámq; acceperat, eius maiestatem deiectam, in angustũmq; redactam cerneret: cùm quidem ipse frequenter gloriatus antè esset, à muliere nulla Lacedæmonia fumum hostilem cõspectum. Fertur & Antalcidas Atheniensi cuidam in contentione fortitudinis dicẽti, Nos quidem sæpe vobis à Cephiso fugientibus institimus, respõdisse: At vos ab Eurota nunquã à nobis pulsi estis. Cuius simile est & id, quòd ignobilior quidam Spartanus, Argiuo, multos Lacedæmonios in Argolide sepultos dicenti, reddidit, At vestrũm nemo in Laconica iacet. Enimuerò Antalcidas (vt traditur) eo tempore ephorus, admodum vrbi metuens, pueros in insulam Cythera exposuit. Agesilaus hostibus fluuium transire conantibus, vrbẽmque aggredi, omissis reliquis partibus, in medio vrbis & sublimibus locis milites

*Epaminondæ in Laconicam impressio.*

collocа-

collocauit. Auctus tum niuibus Eurotas vberrimè fluebat, neq; tã aſperitas, quã frigus fluminis Thebanos inhibebat. Ibi Epaminondã ante phalangem ſuorum incedentẽ quidã Ageſilao oſtenderunt: fertúrq; diu defixis in illum quocunqueiret oculis, eam tantùm vocem emiſiſſe, O magnificum virum. Tandem Epaminondas cum fruſtra ad ipſam vrbem confligere & trophæum ſtatuere conatus, Ageſilaum excire non potuiſſet, retrò auerſus regionem populationibus infeſtauit. At Spartæ quidam iam olim prauos & ſubdolos animos gerentes, circiter ducenti, coitione facta Iſſorium, vbi Dianæ fanum eſt, munitum & expugnatu difficilem locum occupauerunt. In quos cùm extemplò impetum facere cæteri Lacedæmonij vellent, Ageſilaus veritus ne ad ſeditionem res deduceretur, reliquis quieſcere iuſſis, ipſe ſolus cum vno famulo eò acceſſit, vociferans, An non audiuiſſent quid mandati dediſſet, neque enim eò iuſſiſſe ipſos conuenire, neque omnes, ſed alios eò (alium locum demonſtrans) alios in diuerſas vrbis partes. Quòd vt factioſi iſti audiuerunt, latére ſuam conſpirationem rati, læti eò quò iuſſerat rex diſceſſerunt. Iſſorium Ageſilaus ſtatim alijs accitis obtinuit: circiter quindecim eius conſpirationis ſocios deprehendit, noctúque interfecit. Maior deinde alia Spartanorum ob res nouas occultè in domum quandam congreſſorum indicata eſt coniuratio: quos & in iudicium trahere in tanto tumultu difficilimum, & inſidiantes negligere periculoſum erat. Itaque eos Ageſilaus re cum ephoris communicata indicta cauſa necauit: cùm ad eum vſq; diem nemo Spartanus niſi in iudicio damnatus capite pœnas luiſſet. Cùm multi finitimorum & helotum, quib. arma data fuerant, ex vrbe ad hoſtes perfugerent, idq; animos ſuorum vehemẽter perturbaret: famulis negocium dedit, vt ſub auroram per cubicula circumirent, armáq; fugitiuorum inde auferrent atq; abſconderent, ne multitudo eorum innoteſceret. Thebanos diſceſſiſſe ex Laconica quidam aſſerunt appetente hyeme, cùm iam Arcades nullo ordine diſcederent, & ab exercitu diffluerent: alij, cùm tres iam integros mẽſes ibi cõmorati, pleraſq; eius regionis partes deuaſtaſſent. Theopompus ſcribit ad Bœotarchos, cùm iam diſceſſum molirentur, Phryxum Lacedæmonium veniſſe, decemq; ab Ageſilao talenta attuliſſe, quibus ille redimeret eorum abitum:

*Factiones Spartæ.*

ita

ita ijs, cùm iam antè discedere statuissent, viaticũ etiam ab hoste accessisse. Id quo modo solus Theopompus resciuerit, omnibus alijs ignorantib. haud sanè intelligo. Illud quidem apud omnes in cõfesso est, Spartam tunc beneficio Agesilai seruatam, cùm is ambitione & pertinacia (ingenerat is ipsi vitijs) valere iussis, tuta cõsilia prætulerit. Recuperare autem potentiam gloriámq; Spartæ non valuit: sed quemadmodum corporis sani quidem, nimis tamen accurata victus ratione semper vsi, vnus aliquis morbus valetudinem perpetuo damno afficit: ita vnum tum in malam partẽ momentum totam vrbis eius felicitatẽ inclinauit. Quod Spartanis euenisse, nõ est à ratione absonum. etenim reip. ad pacem, virtutem, & cõcordiam optimè institutæ violenta imperia superaddentes (quib. vrbem felicitate fruituram nihil indigere Lycurgus senserat) haud iniuria cladem passi sunt. Iam ipse Agesilaus ob ingraueſcẽtem ætatem militarib. imperijs sese abdicauerat. Archidamus autem filius eius accepto à Dionysio tyranno ex Sicilia auxilio, Arcades vicit ea pugna, quam verè lacrymarum expertem dicere possis: nullo enim suorum amisso magnum hostiũ numerum interfecit. Cæterùm hęc maximè victoria quantum corruissent vires ciuitatis Spartanæ ostendit. Antè enim ita vsitatum ipsis erat vincere, vt nullam aliam victimam præter gallum Dijs offerrent, & neque ij qui pugnassent, eo nomine sese iactarent, neq; qui de victoria inaudiebant, nimio aliquo gaudio efferrentur. Nuncio quoq; victoriæ ex eo prœlio, quod ad Mantineam commissum, & à Thucydide descriptum est, magistratus ex phiditijs præmij loco carnem misit: nihil præterea. Atqui tum renunciata victoria, cùm Archidamus ad vrbem accederet, nemo se domi continuit: sed primus occurrit pater præ gaudio flens, post eum magistratus, inde senum & mulierum turba ad fluuium descendit, manus ad cœlum tollentium, Dijsque gratias agentium: quasi tum primùm indignum à se dedecus Sparta depulisset, rursumq; ab initio in claram lucem oculos attolleret. Nam ante hãc victoriam perhibent viros acceptæ cladis pudore ne in vxores quidem suas rectis oculis intueri sustinuisse. Porrò cum Messenen Epaminondas instauasset, & in eam antiqui ciues vndique commigrarent, vi quidem id prohibere neque ausi sunt, neque verò potuerunt Spartani: Agesilao autem

*Sparta & vires collapsa.*

*Archidami de Arcadib. victoria.*

*Messene instaurata.*

autem grauiter succensebant, quòd regionem non minus Laconica populosam, agríque bonitate inter Græcas præcipuam, quam per tot annos tenuerant, sub eius regno perdidissent. Ob id Agesilaus pacem à Thebanis oblatam non accepit: nolénsque verbis eam ipsis regionem, quam reipsa obtinebant, concedere, nimiá pertinacia vsus tantum abfuit vti eam recuperaret, vt arte hostium circumuentus ipsam propè Spartam amiserit. Etenim cùm Mantinenses iterum à Thebanis defecissent, Lacedæmoniósque euocassent, sentiens Epaminondas Agesilaum eò accedere cum exercitu, clam Mantinensibus noctu Tegea exercitum versus ipsam Lacedæmonem duxit, parúmq; abfuit, quin præterito Agesilao vrbem vacuam occupasset. Agesilaus ab Euthynoo Thespiensi, vt habet Callisthenes (nam Xenophon Cretensi cuidam hoc factum adscribit) ea de re certior factus, celeriter equitem præmisit qui in vrbe id annunciaret, paulóque post ipse etiam Spartam intrauit. Exiguum interceßit temporis spacium, cùm Thebani Eurotam transiuerunt, vrbémque inuaserunt. Præter ætatem tum, ingeniúmque suum Agesilaus pro patria summa vi propugnauit. Non enim vt antè cauendi & tuta consilia sequendi, sed insanæ cuiusdam audaciæ tempus esse locúmque videbat: qua nunquàm antè vsus, tunc ea vna periculum depulit, patriámque è manibus Epaminondæ eripuit, trophæum constituit, puerisque & mulieribus ostendit Lacedæmonios pulcerrimam educationis gratiam referentes. Inspexerunt inter primos Archidamum præclarè pugnantem, cùm animi robore, tum agilitate corporis, celeritérque per vicos quà pugna inclinaret discurrentem, & sese vbique cum paucis alijs hostibus opponentem: viderunt Isadam Phœbidæ F. non ciuibus modo, sed & hostibus admirandum spectaculum. Is forma corporis ac magnitudine conspicuus, cáque ætate, qua maximè ab adolescentia ad virilem statum accedentes florent, neque armis neque vestibus tectus, oleo corpus inunctus, alteráque manu gladium, altera lanceam tenens, domo exiliit, ac per mediam pugnam protuens inter hostes versatus est, obuium quenque feriens & sternens: neque vllum accepit vulnus, siue Deo ob virtutem eum custodiente, seu quòd præstátior humana natura hostibus esset visus. Ob hoc factum fertur ab

*Sparta Epaminõdæ erepta.*

*Archidami & Isadæ laus.*

ephoris

ephoris coronatus, ac deinde mulcta mille drachmarũ affectus, quod absq; armis committere se discrimini pugnę ausus fuisset. Paucis pòst diebus ad Mantineam pugnatum est. Ibi Epaminondam, cùm primos in fugã coniectos insequeretur, Anticrates Laco subsistens hasta ferijt, vt quidẽ Dioscorides narrat: nam Lacedæmonij eos qui ab Anticrate genus ducunt etiãnum Machærionas vocant, quòd ense (id est Græcis machæra) Epaminondam percusserit. Adeò enim Epaminondæ terror charum Spartanis eius percussorẽ reddidit, vt ei honores ac munera, posteritati immunitatẽ decreuerint: qua etiam nostra ætate Callicrates vnus de Anticratis posteris fruitur. Post eam pugnam, obitúmq; Epaminondæ, Græcis inter se pacem componentibus, iuramento isto Agesilaus Messenios prohibuit, vt qui ciuitatem nõ haberent. Quos cùm reliqui omnes admitterent, Lacedæmonij eo fœdere abstinuerunt, solíq; bellum paci prætulerunt, sperantes sese recuperaturos Messeniam. Videbatur itaque violentus, rigidusq; & belli inexpletus Agesilaus, qui communia Græciæ fœdera summo studio impediret, coactus inde ob defectum pecuniæ molestus esse omnibus amicis, ab ijsque mutuum & stipem corrogare: cùm quidem decebat eum patriam oblata occasione, rebúsq; ad hunc statum adductis, malis istis liberare, neque amissis vrbibus, terræq; & maris imperio, propter bona & reditus Messeniacos præimpatientia omnia turbare. Maiorem verò sibi infamiam parauit, cùm Tacho Ægyptio ducem sese præbuit. Indignum enim videbatur, eum virum qui optimus Græcorum esset habitus, gloriáque sua orbem terrarum impleuisset, homini barbaro, & qui à suo rege defecisset, corpus, nomen, gloriámque suam pro pecunia vtendam dare, mercenariorúmque militum ducis munus subire. Etenim ne si pro libertate quidem Græciæ imperatoris officium in se recepisset, annos octoginta natus, eóque amplius, totúmque corpus vulneribus consciscus, reprehensione omni carituram eam tam intempestiuam ambitionem fuisse: quippe honestarum actionum suum esse tempus, suam ætatem: & verò omnino bona à turpibus solo modo discerni. Verùm hæc Agesilaus contemnens, neq; vllum publicum ministerium seipso indignum sentiens, potiusque dedecori sibi ducens, si ociosus domi mortem expectaret, conductis pecunia à Tacho accepta

*Epaminondæ mors.*

*Pax Græcorum.*

cepta militibus, impletisq; nauibus, soluit, triginta secum, vt antè, Spartanos consiliarios habens. Vt in Ægyptum appulit, primores statim regiorum administrorum officij causa ad nauim eius venerũt: reliqui etiam Ægyptij, apud quos magnam expectationem gloria eius excitauerat, ad spectaculum quasi concurrerunt. Qui vt nihil splendoris, tantum senem in herba apud littus decumbere viderunt, vili habitu, & paruo corpore, ridere eis & iocari subijt. Hoc nimirum, aiebant, est illud fabulæ, Parturiunt montes, nascitur tandem mus. Multo magis stulticiam eius mirabantur, qui cùm xenia offerrentur, farinas quidem, vitulos & anseres acciperet, bellaria, placentas, & vnguenta repudiaret, virgentibus vti acciperet, seruis suis ea dari iuberet. Papiro tamen coronaria, ob vilitatem eiusmodi coronarum delectatum fuisse Theophrastus refert, petijsseque & accepisse cùm à rege discederet. Congressus autem cum Tacho ad expeditionem parato, non (vti sperauerat) vniuersis copijs, sed mercenarijs tantùm militibus præfectus est: classi Chabrias Athenienſis, omnibus copijs ipse Tachos præerat. Id primùm Agesilao molestum accidit. Deinde reliquam quoq; arrogantiam & leuitatem Ægyptij ægrè ferens, sustinuit tamen, & cum eo contra Phœnices nauigauit, contra & dignitatem & ingenium suum submittens se, occasionémque patienter expectans: quam eo modo nactus est. Nectanabis Tachi cognatus, ab eóque parti copiarum præfectus, desciuit, rexque ab Ægyptijs creatus, missis ad Agesilaum & Chabriam internuncijs, magnis propositis præmijs eos ad societatem iungendam inuitauit. Sentiens hoc Tachos, ambos deprecatus est: & Chabrias quoque hortando lenidóque conatus est in amicitia Tachi Agesilaum retinere. Agesilaus autem, Tibi quidem, inquit, ô Chabria, qui vltrò huc veniſti, tuis vti consilijs licet: ego missus à patria sum auxilio Ægyptijs, contra quos non licet mihi bellum gerere, nisi iussu ciuitatis. Simul Spartã misit, qui Tachum accusarent, Nectanabímq; commendarent: misit & horum vterque, alter antiquam societatem prætendens, alter maius studium beneuolentiámq; in posterum promittens. Auditis legatis, responderunt Ægyptijs palàm, Agesilao totam rem curæ fore: eum verò missis literis hortati sunt, vt quod in rem Spartæ esset, id ageret. Ita Agesilaus cum suis stipen-

*Agesilai in Aegyptum expeditio.*

*Nectanabis à Tacho deficit.*

diarijs militibus à Tacho ad Nectanabin transijt, inhonestam planè rem patriæ commodo prætexens: nam si prætextu dempto actioni isti debitum nomen dare volumus, proditio erat. Sed Lacedæmonij primas honesti partes vtilitati patriæ tribuentes, nullam iustam rem agnoscunt, nisi quæ ad amplificandam Spartam faciat. Tachos destiturus à mercenarijs militibus, fugit. Mox quidam Mendesius contra Nectanabim insurgit, rex & ipse salutatus, contractisq; centum millibus hominum in aduersarium it. Ibi tum Nectanabi hortanti, ne multitudine hostium perterreretur, cõuenarum, ac manuarijs tantum opificijs exercitatorum, atq; ob imperitiam contemnendorum, Agesilaus non se multitudine eorum, sed imperitia perturbari respondit, & ruditate. ea enim effici, ne decipi possint. Dolo enim id, quod ad cauendum fraudem intentus minimè futurũ putabat, consequimur: at qui nihil metuit, nihil suspicatur, nullam ille fraudi ansam præbet, sicut & in lucta qui se nunquam mouet, nullum ad sternendum colluctanti momentum dat. Secundum hæc Mendesius quoque Agesilaum missis nuncijs suum efficere est conatus. Metuens itaque sibi Nectanabis, Agesilao quàm primùm prœlio congredi iubente, neq; bellum trahere contra homines imperitos, & qui ob multitudinem circumuenire insidijs, vel fossa locorúmve occupatione facilè possent, magis etiam suspectum eum habens, in magnam se & munitam probè vrbẽ recepit. Agesilaus tametsi indignè ferebat de fide sua dubitari, tamen turpe ratus ad alium trãsire, nulláque re gesta discedere, cum Nectanabi in vrbẽ intrauit. Superuenientibus hostibus, & munitionibus vrbem cingentibus, obsidionem rex metuens, rursus pugnandum existimauit, studiosè Græcis adstipulantibus, quòd in vrbe nihil erat alimentorum. Id cùm prohiberet Agesilaus, peiùs etiam quàm priùs apud Ægyptios audiuit, proditorem eum regis vocantes: sed iam æquiore animo calumnias ferebat, occasioni exequendi sui consilij intentus. Fossam circa murum exteriùs peraltam barbari agebant, vt omnino hostem in vrbem concluderent. Ea cùm iam propè esset eò perducta, vt in se rediret, mœniáque tota ambiret, noctem præstolatus, armari Græcos iussit, Nectanabinque accedens: Nunc, inquit, ô iuuenis tempus salutis adest: quã ego occasionem ne perderem, nolui priusquam instaret indicare.

*Fraudis qui securi.*

*Strategema Agesilai.*

dicare. Ipſi nos hoſtes ſuarum manuum opere tutos reddide-
runt, tanta acta foſſa, cuius quod perfectum eſt, ipſorũ mul-
titudini impedimento erit, intercapedo nobis æquali cum
ipſis prœlio congrediendi locum dabit. Agedum ergo ani-
mo viri ſtrenui cogitationes concipe, nósque curſu ſecutus,
te & exercitum ſerua. Nam neque nos à fronte impetum fa-
cientes hoſtis ſubſiſtet, & reliquis, ne damnum nobis dent,
foſſa obſtabit. Miratus eſt Ageſilai calliditatẽ Nectanabis,
inq; medium ſe Græcorum agmen recepit: facta irruptione
facilè fuſi ſunt hoſtes. Ageſilaus vt ſemel Nectanabin ſibi *Victoria.*
obtemperantem habuit, iterum eadem arte cum hoſtibus
colluctatus, modò fugiendo & poſt ſe hoſtes trahendo, modò
contrario itinere cedendo, tandem multitudinem ho-
ſtium in eum locum pertraxit, cuius ab vtroque latere aqua
ducto alueo defluebat. Horum interſtitium ipſe phalangis
ſuæ fronte occupauit, ita vt æquali numero primis hoſtium
concurreret, neque ab hoſtibus circumueniri poſſet. Ideò
hoſtes cùm haud diu reſtitiſſent, fuſi ſunt, multíſq; cæſis re-
liqui in fuga diſſipati in diuerſas partes diffluxerunt. Ex illo
Nectanabis res bono in ſtatu, ſatisque tutæ erant: id quod
ille gratum habeñs, amicè admodum Ageſilaum orauit, vt
ibi per hyemem ſecũ maneret. Sed Ageſilaus ad bellum do-
meſticum feſtinabat: patriam pecuniæ indigere, mercena-
tióque milite vti ſciens. Dimiſſus itaque reuerenter & ma-
gnificè eſt, rege præter alios honores ac dona, ad bellum ei
CCXXX. talenta largiente. In reditu tempeſtate oborta *Obitus.*
cùm terram iam nauibus attigiſſet, & in Africæ deſertum
quendam locum (Menelai portum vocant) appuliſſet,
diem obijt: cùm quidem annos XXCIIII. vixiſſet, Spartæ v-
num & XL. regnaſſet, & ex his plures quàm triginta omni-
um maximus potentiſſimusque, totiusque propemodum
Græciæ princeps atque rex, vſque ad Leuctricam pugnam,
habitus fuiſſet. Moris erat Laconici, vt cæterorum in exteris
regionibus mortuorum corpora funerata ibidem relin-
querentur, regum autem Spartam referrentur: idcircò
Spartani qui aderant, cadauer Ageſilai cera (non enim erat
in promptu mel) colliquata circumfuſum Lacedæmonem
peruexerunt. Patri in regno ſucceſſit Archidamus, in eó-
que genere vſque ad Agidem regia dignatio permanſit: A-
gidem, qui ab Ageſilao erat quintus, inſtitutam à maiorib.

reipublicæ administrationem instaurare conatum, Leonidas interfecit.

## IN AGESILAVM ANNOtationes Interpretis.

### 1. Claudicationem.

ΤΗν τῦ σκέλους πήρωσιν. Potest hoc accipi bifariã, vt vel amisisse alterum pedem, vel eo læso & claudo vsus intelligatur. Posterius ego verius puto, claudumq; fuisse, nõ altero mutilatum pede. videturq; ea claudicatio ei ex casu quodam, aut offensione pedis accidisse: quando Lysander etiam apud Xenoph. lib. 3. & mox apud nostrum, exponens oraculũ de claudo rege, vocabulo προσπταίσας vtitur, quod est offendere ad aliquam rem. Itaq; & crebrò χωλὸς & χωλότης vocabula vsurpantur de eo vitio.

2 Maternos propinquos.] Suosne, an Leotychidæ? Prius ego puto debere intelligi. videtur enim fuisse expressurus, si de Leotychidæ propinquis voluisset accipi. Omnino autem ista largitio eò faciebat, ne fratris hæreditate auctus, videretur auarus esse, & sordidus, ideoq; inuidiam sibi conflaret: quam amoliri vtroq; modo potuit. Neque tamen pugno, cùm videam ab Amioto posterius receptum.

3 Id tale est.] In Græco verba sunt mendosa. Quod non animaduertẽs, aut nõ ita vt debuit fieri perspiciens Grynæus, à quo hæc Vita melius multò quàm ab alijs pleræque alia, est conuersa, sententiam deprauauit & confudit. Libellus Xenophontis in laudem Agesilai scriptus omnium manibus teritur. Græca autem sic ego legi, & ita scripsisse Plutarchũ pro certo habeo: ὥστε ποιεῖν ἃ βούλοιτο, τοῦτο ᾠ, τῶν ἐφόρων ᾠ τότε, καὶ τῶν γερόντων, &c. Est autem singularis laudis, ita regnum gerere, vt parendo voluntati ciuium, summam potentiam tibi pares: (cùm qui alijs obtemperet, videatur

parum

*parum aut certè haud ita multum habere potentiæ.) id qua arte, ac quibus rationibus consecutus sit Agesilaus, demonstrandum sibi proponit Plutarchus.*

4 Agamemnonem.] *Locus est lib. 8. Vlyss.*

5 5 Duo millia tironum.] νεοδαμώδεις διχιλίους. *Grynæus,* Disciplinæ Spartanæ milites electi mille. *Duo millia etiam in Comment. rerum Græcarum Xenoph. libro 3. legũtur, in Agesilao tria. Athenæus lib. 6. ex Myronis Messeniacis ostendit, neodamodes fuisse seruorum genus, qui belli causa manumitterentur: quomodo & ad classem liberati serui* ἀπελεύθεροι *appellabantur. & videtur ipsum vocabulum significare, eos qui recens disciplina militari instituti, ac quasi domiti essent. Igitur non indoctè Amiotus, heilotas manumissos vertit.*

15 6 Decem illa Græcorum millia.] *Nota est historia, præsertim ex Xenophontis libris de expeditione Cyri, de Græcorum millibus decem. Qui cùm Cyro suppetias tulissent, eo occiso in pugna, variè à regis ducibus tentati, incolumes tamen ex Asia per medios hostes in Europam redierunt. Pau-*
20 *cis rem Suidas perstringit in* ξενοφῶν.

7 Cùm exta parum læta apparuissent.] *Sic in genere extuli. Ad verbum est, Cum caput extis, iocinori nempe, defuissent.* ἀλόβων φανέντων τῶν ἱερῶν. *Grynæus sacra inuiolata vertit, nescio quo vel codicis mendo (nullum enim*
25 *erat in nostro) vel argumento inductus.* λοβὸς *quid sit, notius est quàm vt in refellendo sit opera ponenda. Mox pro* τοῖς ἀπόροις, *legendum* τοῖς εὐπόροις, *rectè vidit.*

8 Agamemnonis exemplo.] *Sæpe huius facti meminit Plutarchus, vt hîc in Gryllo, in libello quo ostẽdit ma-*
30 *litiam ad infelicitatem sufficere & alibi. Loquitur autem de Aetha Agamemnonis equa, quam ei vt à militia immuni esse liceret, Echepolus Sicyonius dederat. locus est Homeri libro Iliadis penultimo.*

9 Idæi

9 Idæi ſcribæ.] ἀδαίου. *Sed ſecutus ſum Xenophontem, cuius ex quarto libro rerum Græcarum tota hæc eſt deſumpta narratio.*

10 In religioſiſſimis Deorum fanis.] ἐν τοῖς ἁγιωτάτοις ἱεροῖς. *Monſtroſe hunc locum corrupit Grynæus, planum quidem ſatis, & expeditum: deſumptum & ipſum ex Ageſilao Xenophontis, qui diſertè ſcribit, eum peregrinantē nunquam in priuata domo vlla, ſemper in templo aliquo diuertere ſolitū. Id faciebat eò, vt cū in ijs quæ palàm agebat, facilè omnē impudicitiæ immodeſtiæq; ſuſpicionē euitaſſet, etiam ea quæ ſemotis arbitris homines agunt, caſta omnia eſſe & ſancta oſtenderet: Deorū ſcilicet teſtimonio, quos inſpectores eorū adhibebat. Multo id rectius, quàm Demetrius Poliorcetes, qui ſuis libidinibus impuraq; laſciuia, ipſius Mineruæ, caſtiſſimi numinis (vt tum habebatur) ædem pro hoſpitio ſibi ab Athenienſibus conceſſam polluit.*

11 Sunt autem canathra.] *Xenophon ſcribit, Ageſilaum ſolitum publico canathro Amyclas vehi.* ἀκουσάτω δὲ (*inquit*) ὡς ἐπὶ πολιτικοῦ κανάθρου κατήει εἰς ἀμύκλας. *Varinus hoc vocabulum ita explicat: Canathra, aſtrabe eſt, aut currus crates* (πλέγματα) *habens, quo in pompa vtuntur virgines (nimirum Lacedæmoniæ) cùm in Helenæ templum eunt. Quidam ferūt, ea habere imagines ceruorum aut vulturum,* γυπῶν. *Vulturum etiam Grynæus habet. Mihi gryphum magis placet, cùm ob tragelaphos, id eſt hircoceruos: tum quia in Plutarcho hîc eſt* γρυπῶν, *teſte etiam Amioto. Euſtathius in verſum Iliadis* ω,

κάναθρον.

ὁπλίσαι ἠνώγει, πείρινθα δὲ δῆσαν ἐπ' αὐτῆς.

*Docet id eſſe* κάνναθρον *apud Xenophontem (ſcribit enim duobus* ν*) quod Homerus* πείρινθα *dicit: nempe cratem ex ſalignis viminibus contextam, quæ currui imponitur.*

12 Nemeſis inultum non eſt paſſa.] ἔπαθε δὲ πρᾶγμα νεμεσητὸν. *Sed perſpicuitati ſenſus putaui conſulendum.*

*dum. Non cohortes autem, sed cohors Lacedæmoniorum ab Iphicrate cæsa: μόρα scilicet. quod quid sit, ipse in Pelopida explicat Plutarch. Historia est apud Xenophontem libro 4. rerum Græcarum.*

13 Cleombrotum cernens.] *In Græco est,* ἐπεὶ δὲ τὸν υἱὸν κλεόμβροτον. *Quod mendum secutus Grynæus, Agesilai filium fecit Cleombrotũ. Quod fieri nullo modo potuit, cùm alterius familiæ rex fuerit, & Agesipolidi in regno successerit: quod paulo antè docuit Plutarchus. Fuit autẽ Cleombrotus Pausaniæ F. Agesipolidis frater: quo mortuo sine liberis, regnum ad eum rediit. Pausanias lib. 3.*

14 A Xenophonte.] *Principio libelli qui Symposium inscribitur.*

15 *PLVTARCHI POMPEIVS, GVIlielmo Xylandro, Augustano, interprete.*

QVOD apud Æschylum Prometheus de Hercule salutis suæ autore dicit, *Pater Pompeij.*

*Charissima infensissimi proles patris:*

id iaminde ab initio sensisse de Pompeio populus Romanus videtur. Neminem enim vnquam ducem tam constanti, támque acerbo odio prosecuti sunt, vt Strabonem Pompeij patrem: cuius cùm viuentis potentiam in armis (erat enim vir bellicosissimus) metuissent, fulmine extincti cadauer de feretro inter efferendum detraxerunt, ignominioséque tractauerunt. Rursùm inter Romanos nemo fuit, qui vehementiori, & quæ celeriùs incepisset, aut rebus prosperis magis increuisset, rebusque etiam fractis constantiùs perdurasset, populi beneuolentia vteretur, atque Pompeius. Odiorũ in illum causa fuit insatiabilis auaritia, huic cur diligeretur, multæ: victus ratio modesta, exercitatio in armis, facundia, probati mores, comitas, cùm quidem nemo esset qui vel æquiori animo peti abs sese aliquid pateretur, vel libentiùs petitionib. satisfaceret: præterea & dabat sine molestia, & in accipiendo grauitatem adhibebat. Ab initio vultus quoque haud parum ei ad cõciliandos multi- *Mores & Cultus.*

tudinis animos adiumenti attulit, voci viam ſtruens: erat enim aſpectus amabilis & blandus, ſed qui aliquid tamen haberet maieſtatis, & in florente ætate ſtatim indoles veneranda & regius animus elucebant. Tum coma leniter reiecta, oculorũmq; faciles motus atque conuerſiones faciei ſimilitudinem cum Alexandri regis effigie quandam verbis magis quàm re apparentem efficiebant: ita vt ne Alexãdri quidem appellationem ab initio fugerit Pompeius, ſed quidã per iocum eum palàm Alexandrum nominarint. Itaque L. Philippus, vir conſularis Pompeio patrocinãs, nihil ſe alienum ratione facere dicebat, quòd Philippus ipſe Alexandrum diligeret. Floram porrò meretricem iam natu grandem ferunt ſæpe gratam conſuetudinis olim cum Pompeio habitæ mentionem feciſſe, & dixiſſe, nunquam ſe abeo, ſi vnà cubaſſet, ſine morſu diſceſſiſſe. Id quoque narraſſe, Geminium quendam ex Pompeij familiaribus concubitum eius affectaſſe, ac ſæpe eo nomine cõpellaſſe: ipſam verò recuſaſſe, Pompeijque gratia non obſequi dixiſſe: Geminium Pompeio rem indicaſſe, ab eóque vt potiretur Flora impetraſſe: Pompeium deinceps ipſa, tametſi amore captus videretur, omnino abſtinuiſſe: idque ipſam grauiùs, quam pro vitæ conditione tuliſſe, ac præ dolore & deſiderio eius aliquandiu ægrotaſſe. Fertur ita nobilis forma Floræ fuiſſe, vt Cæcilius Metellus, cùm Caſtoris ædẽ ſtatuis & tabulis exornaret, ipſius quoque picturam ibi dedicauerit. Demetrij quoq; liberti ſui, qui plurimum apud ipſum valuit, ac rem quater mille talentorum reliquit, vxorem Pompeius cõtra ingeniũ ſuum neq; benignè neq; liberaliter tractauit, metuens ne pulcritudine ipſius, quæ inſignis erat, & quẽuis ad amorẽ pellicere poſſe exiſtimabatur, captus videretur. Adeò præcauendis etiam è longinquo reprehenſionib. intentus, non tamẽ effugit calumnias inimicorũ, qui eum matronarum in gratiã publica multa dimittere & negligere dicerẽt.

*Frugalitas.*

De frugalitate autem eius in victu, hoc etiã cõmemoratur. Medicus ægrotanti, & cibos faſtidienti mandauerat, vti tur dum comederet: cum venalis nullus reperiri poſſet (nã anni tempus non ferebat) & quidã inueniri apud Lucullũ altiles diceret, Ergóne, inquit, niſi Lucullus luxui ſtuderet, Põpeius non viueret? ſpretóq; medici mãdato alium cibum vulgarem ſumpſit. Admodum adoleſcens cum patre in militiã

profici-

proficiscens, qui Cinnæ erat oppositus, socium & cõtubernalem habuit L. quendam Terentium. Is à Cinna corruptus pecunia, Pompeium occidere, & submissis aliis incendere tentorium ducis statuerat. Indicium rei ad Pompeium cœnantem delatum est: isque nihil perturbatus, sed potui magis indulgens, amicéq; cum Terẽtio agens, simul ac somni tempus appetiit, occultè se è tentorio suo subtraxit, præsidióque patri circumposito, quieti se dedit: Terentius tẽpus necis esse ratus, stricto gladio ad lectum Põpeij venit, eúmque ibi iacere putãs, multos ictus ingessit. Post hæc odium ducis magnum tumultum excitauit: defectionémque agitantes milites tentoria demoliri, armáque corripere cœperunt. Dux turbam metuens, progredi ausus nõ fuit: at Pompeius filius inter medios milites obuersatus, plorans suppléxque deprecatus tandem in ipsa porta castrorum se projiciens, discessuris obstitit, flens ac sese calcarii iubens: ita vt omnes (octingentis tantùm demptis) moti verecundia recesserint, ac cum duce in gratiam redierint. Patre mortuo, ipsius nomine peculatus dies Pompeio dictus est: & magnam quidem pecuniæ publicæ partem ab Alexandro quodam liberto interuersam, cùm deprehendisset Pompeius, rem ad magistratus detulit: ipse retia, & libros de præda Asculana retinere culpatus est. Et acceperat quidem ea à patre Asculo capto: sed Cinnani satellites, cùm in vrbem rediit Cinna, impetu in domum eius facto ea diripuerant. In exordio causæ aliquot contra accusatorem certamina sustinuit, in quibus ita se acrem, ac præter ætatem suam constantem gessit, vt gloriam sibi gratiámque magnam parauerit: adeò vt Antistius prætor, apud quem ea causa agebatur, Pompeij amore captus fuerit, filiámque ei suam nuptum dare decreuerit, rẽ cum amicis communicata. Pompeio id probante, occultóque ea re composita, studium tamen Antistij in causa fuit, vti ne latêret multitudinẽ. Tandem cùm is Pompeium iudicum sententiis absolutum pronunciaret, tanquam signo dato populus acclamauit, Talasio: quæ vox antiquo instituto in nuptiis acclamari solet, origine (vt perhibent, quámq; de multis omnium maximè probabilem duco) tali. Cum Sabinorum filias quæ ad ludos Romam conuenerant, præcipui virtute Romani ad matrimonium iungendum diriperent, ignobiles quidã pastores

*Aequanimitas.*

*In patrem pietas.*

*Antistia Pompeio nubit.*

forma & magnitudine præsignem quandam virginem abstulerunt, ac ne ab obuijs præstantioribus ea ipsis eriperetur, inter currendum clamauerunt, Talasio erat autem Talasius vnus ex nobilibus & gratiosis Romanis: itaque qui audiebant id nomen, ipsi quoq; plausum dabant, nomenque idem acclamabant: & quia nuptiæ istæ Talasio bene cecidissent, ideo receptum exinde est, vti periocum in nuptiis Talasij nomen sponsæ acclamaretur. Enimuerò paucis pòst diebus. Antistiam duxit Pompeius. Cùm ad Cinnam in castra profectus ac ob criminationes & calumnias aliorum sibi metuens clàm sese è medio subduxisset, rumore in castris exorto, adolescentem à Cinna necatum esse, milites iam pridem infestos animos gerentes, impetum in Cinnam fecerunt: atq; is fugiens à quodam centurione stricto gladio insequente deprehensus, ad genua ei accidit, figilsúmque, quod magni erat precij, protendit. cui centurio acerbè admodum insultans, Atqui, inquit, non veni ad obsignandam sponsionem, sed vt pœnas de scelerato tyranno sumam: simúlque hominem obtruncauit. Cinna in hunc modum sublato, rerum potitus est Carbo, insolétior quàm Cinna fuerat, tyrannus. accedebat autem ad vrbem Sylla, quem plerique ob præsentium malorum molestiam desiderabant, domini quoque mutationem magni boni loco ducentes: adeò tum Romam calamitates redegerat, vti desperata libertate seruitutem saltem tolerabiliorem quærerent. Agebat tum in Piceno Pompeius, vbi & prædia habebat: plerunque autem benevolentia ciuitatum à patre ad se deriuata perfruebatur. Ibi cùm Romanorum nobilissimos ac præstantissimos sentiret suis rebus relictis, in Syllæ castra, veluti portum aliquem, passim confluere: indignum sese ratus, si nihil adferens ipse ad Syllam auxilij tantùm impetrandi causa confugeret, gratiam ab eo inire aliquam, cúmque gloria & potentia accedere statuit. Itaque Picenorum animos tentando, sibi conciliauit, iísque studiosè obtemperantes, à Carbone missos spreuerunt: ac Vindium quendam qui subitò ex ludo literario ad gubernandum populum præfiluisse Pompeium dixisset, statim impetu facto necauerunt. Exinde Pompeius, annos natus viginti tres, à nemine hominum dux creatus, ipse sibi arrogato magistratu Auximi (quę magna est Piceni vrbs) tribunal in foro constituit,

*Talasio.*

*Cinnæ exitus.*

*Carbo.*

*Vt ad Syllam cõcesserit Pompeius.*

stituit, duósque fratres Ventidios, qui in ea ciuitate primas obtinebant, contra ipsum factionem Carbonianam tuentes, edicto vrbe expulit. Milites deinde conscripsit, centuriónesque iis & primipilos constituit: idémq; cęteras etiam vrbes adiens fecit. Cedentibus autem Carbonianis, & reliquis promptè se ipsi adiungẽtibus, ita demũ modico tempore contractis tribus integris legionibus, tum cõmeatu, iumentis & carris ad impedimẽta vehenda omniq; alio apparatu, ad Syllam profectus est non festinans, neque latẽre cupiens, sed moram in itinere faciens infestandis hostibus, & omnem, quà ibat, Italiam ad desciscendũ à Carbone pertrahendo. Itaq; tres aduersę partis duces, Carinnas, Cœlius, & Brutus, contra Pompeium insurrexerunt tribus diuersis exercitibus eum ambientes, vti in medio incluſum arriperent. Pompeius nihil perterritus, toto exercitu instructo in Brutum duxit, equites, inter quos ipse erat, primo loco agens: cúmque hostium equitatus Gallicus obuiam processisset, primum eorum & robustissimum comminus hasta ictum deiecit: reliqui retrò auersi, peditum quoque aciem disiecerunt, & in fugam totus exercitus fede dedit. Duces autem discordia oborta, alius aliò à sese discesserunt: Ciuitates ob metum dissipatos Carbonianos ratæ Pompeio se coniunxerunt. Mox Scipio consul cùm aduersus eum proficiscereturantequam intra teli iactum acies peruenissent, milites relicto consule ad Pompeium transiuerunt, Scipio effugit. Tandem ad Arsim fluuium ab ipso Carbone immissas permultas equitum turmas fortiter substitit, fusosque vrgens in loca equitatui iniqua compulit, ita vt nulla salutis spe apparente, se cum armis & equis ipsi tradiderint. Nondum hæc resciuerat Sylla, sed primis de eo nunciis perterritus, ne inter tot tantósque hostium duces versans aliquid grauius pateretur, auxilij ferendi causa ad eum tendebat. Pompeius vbi propè Syllam esse percepit, ducibus mandauit, vti exercitum diligentissimè armarent atque instruerent, vt quàm pulcherrimus imperatori splendidissimúsq; appareret: sperabat enim magnos à Sylla honores, sed speratis maiores adeptus est. Etenim vt accedentem vidit Sylla, exercitúmque robore præstantem, rebúsq; gestis animosum hilarémque conspexit, ab equo desiluit, salutatúsq; (vti consentaneum erat) imperator à Pompeio, imperato-

*Victoria Pompeij.*

imperatoris nomine resalutauit: quod nemo eum facturũ credidisset, vt iuuenem, nondúmque senatoriam dignitatem nactum eo nomine impertiret, de quo cum Scipionibus & Mariis digladiabatur. Reliqua cum eo honore conuenerunt, quòd primis in congressibus accedente Põpeio assurrexit, quòd caput detexit: quæ nõ temerè alterius causa faciebat, tametsi multos secum & bonos viros haberet. Non tamen inflatus his honoribus est Põpeius: sed statim à Sylla ire iussus in Galliam, quam prouinciã Metellus tenens, nihil dignum expectatione gerere videbatur, non æquum esse respondit, seni & gloria illustri viro adimi belli gerendi munus: paratum quidem se esse ire ad Metellum, & vnà bellum administrare, si illi sit volenti. Hoc cùm probaret Metellus, & venire iuberet, in Hispaniã profectus, cùm ipse res admiratione dignas gessit, tũ Metelli audaciam virésq; iam senio elanguescentes rursus exuscitauit atque calefecit: quomodo affirmant æri concreto iam & refrigerato æs colliquatum igni & fluẽs affusum, maiorem ipso igne colliquandi vim habere. Verùm enimuerò sicuti præstantissimi alicuius inter homines athletæ, & qui omnibus ex certaminibus glorioſam palmam retulerit, victorias, quas puer consecutus est, memoratu dignas non existimant, neque adscribunt reliquis: sic & quæ tum edidit Põpeius facinora, ingentia ea si per se consideres, magnitudine tamen & multitudine eorũ quæ deinceps bella & certamina obiit, ita obfuscantur, vt veritus sim ne si ea referre aggrediar, primisque immorer eius actionibus, maximas res gestas, casusque qui ingenium ipsius potissimùm declarant, expositurus deficiam. Postquam Italia potitus Sylla, dictator creatus est, cùm suis ducibus gratiam referret, ditando eos ad magistratus euehendo, studioseque omnia quæ vellent largiendo, Pompeium virtutis causa in admiratione habens, multúmque suis rebus prodesse iudicans, statuit affinitate aliqua sibi copulare. Itaq; assentiente vxore Metella, Pompeio persuadet, vt dimissa Antistia priuignam Syllæ, Scauri & Metellæ filiam Æmiliam, quę tum alterius viri vxor erat, vterúmque ferebat, in matrimonium acciperet. Tyrannicę erant sanè istæ nuptiæ, magisq; Syllæ rebus quàm Pompeij vitæ conueniebant: cum Æmilia gravida ab viro suo abduceretur, Antistia ignominiosè & miserabiliter expellere-

*Pompeius ad Metellũ mittitur.*

*Pompeius Syllæ gener.*

tur, nu-

tur, nuper etiam propter maritum amisso patre. (in Curia enim Antistius iugulatus fuerat, ob affinitatem Pompeianam Syllæ rebus studere creditus.) Atq; Antistiæ mater hęc vidēs, vltrò mortem sibi consciuit: neq; id modò tragœdiæ istarum nuptiarum accessit infortunium, sed & ipsa Æmilia statim in partu apud Pōpeium periit. Interim Perpenna Siciliam occupat, contrariæq; factionis superstitib. hominibus insulam eam receptaculi loco præbet: ibidemq; cum classe Carbo erat, & in Africam Domitius peruenerat, multiq; alij nobiles exules, qui proscriptionem Syllanam euasissent, in istas partes se receperant. Hęc vbi Syllæ sunt nunciata, aduersum istos Pompeius cum magnis copiis mittitur. Perpenna statim Sicilia abiit. Vrbes miserè affectas recepit Pompeius, humanūmq; sese omnibus præterquā Mamertinis Messanensibus præbuit. His tribunal eius & iurisdictionem recusantibus, quòd antiqua lege quadā Romani id fieri prohibuissent: Nunquāmne, inquit, nobis gladiis succinctis leges recitare desinetis? Videtur & Carbonis calamitatibus inhumaniùs insultasse. Si enim fuit (vt fortasse fuit) necesse eum occidere: at statim id fecisset, satisq; erat iussisse. At Pompeius eum virum qui ter Romanorum consul fuisset, vinctum ad se adduci iussit, stantisq; ad tribunal sedens ipse causam examinauit, omnibus qui aderant molestè ferentibus, atque ita tandem abductum necari mandauit. Carbonem quidem tradunt cùm ad supplicium duceretur, stringiq; iam gladium cerneret, locum sibi dari & exiguum ventris exonerandi spacium petiisse. C. autem Oppius, Cæsaris amicus, inhumaniter vsum etiam Q. Valerio Pompeium scribit. Cùm enim sciret rara præditum esse doctrina virum, adductum ad se apprehendisse, vnáque deambulasse: ac postquam ex eo didicisset quæ voluisset, famulis mandasse vt statim abductum occiderent. Verùm Oppio, cùm de amicis inimicisve Cæsaris scribit, cautè admodum adhibenda est fides. Pompeius Syllæ hostes, si qui illustres, & apertè capti ad se adducerentur, necesse habuit supplicio afficere: alioquin cæterorum quotquot potuit, latere passus est. Cùm porrò Himeræorum ciuitatem punire statuisset, quòd hostium partes secuta esset, Sthenis, qui in ea repub. plurimum potuerat, impetrata dicendi facultate, iniustè facturum Pompeium dixit, si fonte omisso insontes perdat. In-

*Res in Sicilia gestæ.*

*Carbonis interitus.*

*Q. Valerij.*

dat. Interrogatus inde, quémnam sontem diceret, Ego, inquit, is sum, qui amicos persuadendo, aduersarios vi ad id quod factum est à nobis faciendum adegi. Huius magnanimitatem, inque dicendo libertatem admiratus Pompeius, primùm ipsi, pòst toti etiam ciuitati culpam condonauit. Audiens porrò milites in itinere immodestos se gerere, gladios eorum obsignauit, & qui sigillum non seruassent, iis pœnam irrogauit. Hæc agenti in Sicilia, Senatusconsultum & literæ à Sylla afferuntur, in Africam traijcere omniáque vi bellum Domitio facere iubente. Etenim Domitius copias multo maiores contraxerat iis, quibus haud ita dudum fretus ex Africa in Italiam traiecerat Marius, rebúsq; in suam potestatem redactis de exule tyrannus factus fuerat. Itaque Pompeius omnibus celeriter instructis, præfectóque Siciliæ Memmio sororis suę marito, ex Sicilia soluit cum nauibus longis CXX. onerariis autem, quibus commeatum, tela, pecunias, & machinas deportaret, octingentis. Cum quibus vt partim Vticam partim Carthaginem appulit, septem millia hostium ad ipsum desciuerunt: ipse verò sex perfectas legiones ducebat. Narrant eo loco rem ei ridiculam euenisse. Quidam milites cùm in thesaurum forte fortuna incidissent, ingẽtem sunt nacti pecuniam: ea res cùm vulgo innotuisset, omnes reliqui in eam opinionem venerunt, omnia circùm loca pecuniis referta esse, quas Carthaginiénses imminente exitio terra obruissent. Nullam ergo ad rem vti militibus suis potuit Pompeius, multos perdies thesauris quærendis intentis: sed obambulabat ridens, inspiciénsque tot hominum millia fodientes, inuertentésque terram. tandem desperata re, Pompeium se ducere quo vellet iusserunt, abundè iam pœnas suæ stultitiæ dedisse rati. Cùm instructa acie Domitius occurrisset, & conuallem quandam salebrosam transitúq; difficilem ante se cepisset, effusus vnà cum vento ingens imber ab aurora obtinuit, ita vt Domitius desperata pugna in castra reducere intenderet. Eam occasionem arripiens Põpeius, celeriter superata conualle hostes adortus est, perturbatis iam ordinib. trepidantes, & neque vniuersos, neque æqualiter subsistentes, vento quoq; grandinem eis aduersam obijciẽte. Tametsi eã tempestas Romanos quoque conturbauit, cùm se ipsos mutuò haud perspicuè cognoscere possent: parúmque abfuit, quin ipse

*Liberè dictum.*

*Bellum in Africa cõtra Domitium.*

ipse Pompeius à quodam milite, cui tesseram quærenti tardius responderat, per ignorationem cæderetur. multa demum cum cæde hostibus fusis (quippe de viginti millibus tria tantùm euaserunt) Pompeium imperatorem salutauerunt: cúmque is respondisset se vallo hostium stante id nomen non accipere, proinde si dignum eo putarent, illud prius deijcerent, impetum in castra hostium dederunt. Ibi Pompeius metu prioris periculi sine galea pugnauit: castráque capta, & occisus est Domitius. Vrbes porrò partim continuò imperata fecerunt, partim vi captæ sunt. Cepit & regem Hiarbam qui Domitio auxilium tulerat, regnúmque eius Hiempsali dedit. Inde fortunæ hoc successu, militúmq; robore vsus in Numidiam perrexit, progressusque aliquot dierum iter, cùm obuia quæq; in suam potestatem redegisset, nonénque Romanorum cuius iam ex animis barbarorum effluxerat formido, terribile iterum eis ostendisset, ne feras quidem Africam inhabitantes roboris felicitatisque Romanæ inexpertas relinqui debere dixit: ideóq; paucos aliquot dies leonibus & elephãtis venandis insumpsit. Quadraginta omnino diebus hostes eum confecisse, Africam subegisse, regum controuersias cõposuisse perhibent: ætatis tum annum agebat vigesimum quartum. Vticam reuerso literæ à Sylla redduntur, quibus dimittere exercitum, ac vna cum legione ibi successorem expectare iubebatur. Ægrè id quidem tulit Pompeius, veruntamen dissimulauit. Exercitus autem palàm indignatus est, & orante Pompeio vt procederent, Syllam vituperauerunt, Pompeiúmque à se se dimissuros negauerunt, ac ne se committeret tyranno monuerunt. Conatus primùm verbis eos lenire Pompeius cùm nihil efficeret, à tribunali descẽdit, lachrymánsq; in tabernaculum abiit: sed milites eum cõprehensum rursum in tribunali collocauerunt. Magna parte diei altercando exacta, illis manere & imperare iubentibus, ipso vt obedirent sibi, néve tumultuarentur precante, tandem instantibus, cúmq; vociferatione vrgentibus, manus se sibi allaturum, si cogere pergerent, iurauit: vixq́, ita eos repressit. Sylla autem, vt primo Pompeium defecisse annunciatum est, amicis dixit: Nimirũ ergo in fatis erat, vt senex cum pueris decertarem. nam & Marius iunior, admodũ adolescens, multũ ipsi molestiæ exhibuerat, inq; extremum discrimen adduxerat:

*Amor militũ in Pompeium.*

Sed

Sed vbi rem vt erat cognouit, omnésque homines Põpeiò studiosè occurrere, accipere, comitarique eum amicè sensit: operam dedit, vt omnium beneuolentiam ipse superaret: itaque obuiam profectus, cùm quàm familiarissimè excepisset, alta voce Magnum salutauit, idque ei cognomentum tribuere eos qui aderant iussit. Alij in Africa id ei primùm à militibus acclamatum, inde à Sylla confirmatum obtinuisse dicũt. Ipse quidem Põpeius postremò omnium, & post multum temporis pro consule in Hispaniam aduersus Sertorium missus, epistolis suis & edictis Pompeium Magnum se adscribere cœpit: iam enim consuetudo inuidiam eius cognominis aboleuerat. Quare miretur aliquis haud iniuria antiquos illos Romanos, qui huiusmodititulo non bello tantùm præclarè facta, sed & ciuiles actiones virtutésq; compensarint. Duos enim Maximos populus nominauit, Valerium, quòd ei senatum dissidentem reconciliasset, & Fabium Rullum, quòd diuites quosdam ex libertinis in senatum lectos, eiecisset. Triumphum verò petenti Pompeio, Sylla restitit. eum nemini nisi consuli aut prætori leges concedere: atque hanc fuisse causam cur Scipio maior Carthaginiensibus in Hispania victis (quod fuit sanè præstantius factum) triumphum non postulârit, quia neq; consul, neq; prætor rem gesserat. quòd si imberbis Põpeius, & cui per ætatem senatori esse non liceret, triumphum in vrbem inueheret, permultum eam rem odij & Sylla imperio & Pompeiano honori conflaturam. Hæc ita Pompeium Sylla monebat, vt se prohibiturum, ac si non obtemperasset, pertinaciam eius repressurum diceret. Pompeius autem nihil remisit, sed reputare Syllam iussit, solem orientem à plurib. quàm occidentem adorari. suam iam augeri, illius decrescere & languescere potentiam innuens. Hoc Sylla cùm nõ satis inaudiuisset, sed ex eorum qui perceperant vultu & gestu videret dictum id admirationem omnibus excitasse, quæsiuit quidnam dictum fuisset: cóque intellecto, cognita Pompeij audacia obstupuit, bisq; exclamauit, Triumphet. Multis indignantibus, vt molestia eos grauiori (sic enim ferunt) afficeret Põpeius, statuit currum quatuor elephantis (multos enim de regiis captos ex Africa adduxerat) trahentib. in vrbẽ inuehi: sed angustia portę prohibitus, equos adhibuit. Vt verò milites expectatione sua

*Vt triumpharit.*

minora

minora adepti interpellare eum & tumultuari sunt aggressi, Nihil se eos curare respondit, ac malle triumphum omittere, quam ipsos adulari. Cum quidem Seruilius illustris vir, & qui maxime triumphum eius impugnauerat, dixit, Nunc se intelligere Pompeium vere magnum esse, & dignũ triumpho. Neq; obscurum est facile tum fuisse Pompeio senatoriam dignationem impetrare: verùm id consultò fertur omisisse, ex ipsa obscuritate gloriam captans. Non enim mirum erat, si ante quam ætas ferret, senator lectus fuisset: sed id sane quam splendidissimum fuit, quod nondum senator triumphauit. Idque ei haud parum in concilianda multitudinis beneuolentia profuit: gaudebat enim populus, cùm eum acto triumpho inter equites agere cerneret. Sylla autem tametsi ægre ferebat eum ad tantam gloriam potentiamq; progredi, verecundia tamen motus, ab impediendo abstinuit. Tamen cùm ipso inuito Lepidum ad consulatum eueheret, comitia eius obiens, populique erga se beneuolentiã ei vtendam præbens: videns è foro discedentem, magna caterua comitante: Cerno, inquit Sylla, *Sylla dictum.* te ô iuuenis exultare hac victoria, neq; verò abre. Non enim hoc præclarum sit facinus, populo ita à te instructo, Lepidum omnium ciuium pessimum prius renunciatum consulem Catulo omnium optimo? Enimuerò nullus tibi „ socordiæ locus est relictus, rebusq; te intentum esse oportet, qui tuum aduersarium teipso potentiorem effeceris. Testamento autem suo maxime ostendit Sylla infensum se esse Pompeio: cùm enim reliquis amicis dona legasset, filiique eos sui procuratores constituissent, Pompeium prorsus præteriuit. Quod ipsum tamen æquo admodum animo, ciuiliterq; tulit Pompeius: ac cùm Lepidus aliiq; cadauer eius in Campo sepeliri, publiceq; efferri nollent, ipse iis restitit, sepulturamq; & tutam & gloriosam præstitit. Statim à Syllæ morte id quod is prædixerat, apparuit. Etenim Lepidus Syllanam sibi potentiam vindicans, nullis ambagibus, nullo prætextu vsus, illicò in armis erat, iam olim monstrũ alentes factionum reliquias, quæ Syllam effugerant, colligens & resuscitans. Collega eius Catulus, cui maxime sani ciues intenti erant, quanquam inter Romanos temperantiæ & iusticiæ nomine summæ esset autoritatis, videbatur tamen ciuilibus quam bellicis rebus administrãdis aptior,

resq; ipsa Pompeium ducem requitere. Atque is nihil cunctatus, optimatibus sese adiunxit, estq; ab iis dux belli contra Lepidum creatus, qui iam multas Italiæ partes concitauerat, citerioremq; Galliam Bruti exercitu obtinebat. Reliquis facile in potestatem redactis Pompeius, aliquandiu Mutinæ Brutum obsedit: interim Lepidus ad Romam duxit, & cum exercitu ante mœnia consedit, alterum sibi consulatum postulans, suorumque multitudine eos qui in vrbe erant perterrefaciens. Hoc terrore ciues literæ à Pompeio missæ soluerunt, quibus bellum sine prœlio confectum nunciabatur. Nam Brutus seu ipse copiis traditis, seu proditus ab illis ad hostem inclinantibus, seipsum Pompeio dediderat, & ab equitibus in oppidum quoddam Pado vicinum deductus fuerat. cæterum interposito die vno, Pompeius eum misso Geminio interfecit, non sine graui crimine. Etenim cùm initio scripsisset ad Senatum, Brutum vltrò ipsi se adiunxisse: paulo pòst aliis literis interfectum accusabat. Filius eius Bruti is fuit, qui cum Cassio Cæsarem occidit, neq; bello, neque exitu patris similis, vt in ipsius vita perscriptum est. Proinde Lepidus statim ex Italia pulsus in Sardiniam aufugit, ibiq; ex mœrore mortuus est. Mœstitiæ causa fuit non res, vt aiunt, fractæ: sed quod incidisset in literas quasdam, ex quibus de adulterio vxoris suę cognouit.

*Bruti interitus.*

Hispaniam autem Sertorius obtinebat, nequaquam similis Lepido dux, sed magnum Romanis terrorem offerebat, ad eumq;, tanquam postremam reipub. perniciem, omnes bellorum ciuilium reliquiæ confluxerant. Et iam multis 7 minoribus ducibus interfectis, cum Metello Pio decertabat, nobili & bellicoso viro, sed qui ob senectutem segnius iam occasiones belli sectaretur, quas celeritate sua plerũq; Sertorius præripiebat, latronis in morem eum adoriens, variisq; insidiis & circumcursionibus infestans virum iustorum certaminum peritum, exercitusq; grauis & acie dimicare cõsueti ducem. Ideo Pompeius exercitũ sub se habens, id egit, vt Metello adiutor mitteretur, iussuq; Catuli milites non exautorauit, sed alias ex aliis obtendens causas, circa vrbem armatus versabatur: donec L. Philippi suasu imperium ei contra Sertorium est decretum. Quo tempore (vti aiunt) cùm quidam in Senatu quæreret, ecquid Pompeium pro consule ad bellum mittendum putaret: Philippus, Ne-

*Pompeius ad Sertorianũ bellum mittitur.*

qua-

quaquam, inquit, sed pro consulibus. vtrunque consulem nullius esse precij existimans. Vbi primum Hispaniam attigit Pompeius, nouiq; ducis gloria nouas in animis hominum (vt fieri assolet) spes excitauit, ac populi qui nondum plane Sertorio se coniunxerant, mutari in alteram partem cœperunt: superbos de Pompeio sermones diuulgauit Sertorius & per iocum dixit, ferula sibi & flagello tantum opus fore ad puerum istum coercendum, nisi anum istam (Metellum significabat) metueret: re quidem ipsa sibi ab eo cauit, Pompeiiq; metu bellum non ea qua antè temeritate gessit. Metellus enim (quod nemo putasset) luxuriæ se totum & voluptatibus dederat, subitoq; magna eius ad fastum & luxum mutatio extiterat. Quod ipsum Pompeio præter gloriam, miram quandam beneuolentiam conciliauit, frugalitatem vitæ magis etiam intendentem, cùm alioquin exiguo opus haberet apparatu victus eius ratio, hominis natura modesti & continentis. Belli eius varię formę fuerunt: sed Lauronis maxime excidium Pompeio molestum fuit. Existimans enim Sertorium à se circumuentum, gloriatusque aliquid ea re, subito hostilibus se copiis circumquaque cinctum sensit: itaq; mouere se non ausus, ante oculos suos eam vrbem conflagrare vidit. Herennium verò & Perpennam Sertorij, ad quem confugerant, legatos, apud Valentiam superauit, & vltra decem millia hostium cecidit. Ea victoria elatus, propere contra ipsum Sertorium duxit, vti victoriæ laude Metellum excluderet. Ad Sucronem amnẽ iam adueſperascente commissum est prœlium, vtroq; duce Metelli aduentum præuertere cupiente, altero vti solus, altero vt cum solo depugnaret. Incerta victoria eius prœlij fuit: alterum enim vtrinq; cornu vicit. Ex ducibus Sertorius plus laudis meruit: cornu enim sibi oppositum fudit. Pompeium autem vir magnus, & alioquin equester, pedes inuasit, congressisque ipsis comminus vtriusque gladij ictus in alterius manum incidit, ita quidem, vt Pompeius tantum sauciaretur, hostis verò manum amputaret. Pluribus inde contra ipsum concurrentibus, iam coorta fuga præter spem euasit, equum hostibus dimittens aureis phaleris, & precioso ornatu instructũ: hæc enim spolia inter se diuidẽtes, atque inter se de iis certantes barbari, effugiendi spacium Pompeio reliquerunt. Vt primum illuxit, vtrinque in

aciem proditum est, victoriæ disceptandæ causa: Metello autem accedente, Sertorius dissipato exercitu discessit. Etenim milites eius ita à se mutuo diuelli, rursumque in vnum coire assueti erãt, vti Sertorius sæpe solus oberrauerit, mox cum cẽtum ac quinquaginta militum millibus, veluti torrens subito inundans, sese ostenderit. Pompeius autem post eam pugnam Metello obuiam iuit, cumq; prope iam adesset, fasces suos submisit, Metellum vt honore præstantiorẽ veneratus. Sed neque hoc passus est Metellus, & in cæteris quoq; æquum sese præbuit, nihil sibi tanquam consulari & seniori amplius vindicans, nisi quod tessera, si vna forte castra habebant coniuncta, à Metello vtriusq; exercitus militibus dabatur. Plerunq; verò seorsim castrametabantur, artibus & calliditate Sertorij mutuò diuulsi, breui temporis momento diuersis ex partibus sese ostendentis, & ex vno certamine subitò ad aliud traducentis. Atq; is ad extremum commeatu intercluso, agris vastatis, mari occupato, vtrunque ea quam ipse obtinebat Hispania eiecit, coactos rerũ necessariarum penuria in alias prouincias abire. Pompeius verò cùm in id bellum omnem propè suam rem familiarẽ impendisset, pecunias à Senatu postulabat, se cum exercitu in Italiam, nisi eæ mitterentur, venturum scribens. Ibi Lucullus, qui tum erat consul, Pompeij inimicus, cum bellum Mithridaticum affectaret, studiose egit, vt pecuniæ mitterentur: veritus ne Pompeio Sertoriũ (quod is alioquin cupiebat) dimittendi, & bellum in Mithridatem conferendi occasio daretur, hostem superatu (vt putabatur) facilem & magnam victori gloriam allaturum. Interim Sertorius a suis per dolum cæditur. Fuit inter hos princeps Perpenna, eademq; aggressus est quæ Sertorius agere: vsus quidem eodem apparatu, iisdemq; copiis, sed qui similiter iisdem vteretur, animum nõ habens. Statim itaq; Pompeius aduenit, inepteq; res administrare Perpennam sentiens, decem cohortes inescandi hominis causa in campos immisit, nullo ordine eos palare per agros iubens. Quibus cùm se Perpenna insequendis dedisset, cum omnibus copiis ipse superuenit, prœlio commisso hostem fudit necatis plerisq; aduersæ partis ducibus. Perpennam verò ad se adductum interfecit, non ingratus immemórve accepti in Sicilia beneficij (hoc enim à quibusdam ei crimen obiicitur) sed insigni, & omnibus sa-

*Sertorij & Perpennæ exitus.*

bus salutari vsus consilio. Nam Perpenna scriniorum Ser- *11*
torij compos, literas ostendebat potentissimorum Romæ virorum, qui res nouas, reipublicęq; mutationem affectantes, Sertorium in Italiam euocabãt. Proinde veritus Pompeius, ne ista maioris alterius belli occasionem præberet, Perpennam è medio sustulit, literasq; ne lectas quidem à se cremauit. Commoratus inde in Hispania tantum temporis, quantum maximis tumultibus componendis æstuique rerum sedando satis esset, exercitum in Italiam abduxit, forte tum maxime vigente bello seruili. Itaq; & Crassus prælio decernere audacter admodum festinauit, & vsus secundo Marte, XXII. hostium millia & trecentos deleuit. Veruntamen huius quoq; victoriæ in partem aliquam fortuna Pompeium cooptauit. Quinq; millia enim fugitiuorum ex pugna in ipsum inciderũt: quibus occidione cæsis, Crassum literis ad senatũ dandis anteuertit, in quibus scripsit, Crassum quidẽ acie gladiatores viciſſe, se aũt id bellum radicitus extirpasse. Fuitq; hoc Romanis ob beneuolentiam erga ipsum & auditu & dictu gratum: nam Hispanicum quidem & Sertorianum bellum ne ioco quidem quisquam ab vllo alio quam Pompeio confectum dixisset. Enimuerò cum tanto honore atq; expectatione metus tamen & suspicio apud ciues insinuabat, non dimissurum exercitum, sed armis recta ad Syllanum imperium progressurum Pompeium: itaque iis qui beneuolentia ducti ei occurrerent, amiceque acciperent, haud pauciores fuerunt, qui metu idem facerent. Postquam hanc quoque suspicionem Pompeius aboleuit, professus se statim à triumpho milites dimissurum: id vnum inuidi quod carperent, inuenerunt, quod populo magis quam senatui se dederet, populiq; autoritatem a Sylla deiectam erigere in gratiam multitudinis atque instaurare intenderet. Neq; id falsum fuit. Neq; enim est quẽ magis insano amore populus, quam Pompeium, dilexerit, aut quem maluerit Syllano amore rerũ potiri: itaq; Pompeius magna in parte felicitatis putauit, quod in eam, quæ tum erat, reipub. formam statumq; incidisset: cum quidem si consulatus ab aliis fuisset præreptus, nullam aliam rationem inuenire potuisset, qua gratias studiis populi referret. Triumpho ipsi, & consulatu decreto, non quidem ob hæc adeo in admiratione populi fuit: sed id euidens maiestatis

*Spartacij à Pompeio deleti.*

*II. Pompeij triumphus, & consulatus cum Crasso.*

eius argumentum habitum est, quod Crassus, eorum qui tum in repub. versabantur opulentissimus, facundissimus, atq; potentissimus, & qui alias non cæteros modo, sed & ipsum Pompeium præ se contemneret, tum nõ ausus est nisi prius exorato Pompeio consulatum petere. Et verò Pompeius, qui eum sibi iam pridẽ aliquo officio deuincire quærebat, gratum id habuit: benigneq; eum complexus, hortatus est populum, vt hunc sibi collegam darent, id sibi non minus acceptum, quam ipsum consulatum, fore affirmans. Atqui consules creati, omnibus in rebus dissenserunt, crebræq; fuerunt inter ipsos offensæ. In senatu quidem Crassus pręualebat: Pompeij summa erat apud populum potentia. Nam & tribunatum plebis ei reddidit, & iudicia passus est lege iterum ad equites deferri. Iucundissimum autẽ populo spectaculum ipse exhibuit, cum rei militiæ gestæ rationes edidit. Mos est, vt equites Romani postquam legitimum militandi spacium absoluerunt equum in forum ad censores deducant, enumeratisq; ibi quæ sub quibus imperatoribus atq; ducibus stipendia fecerint, eorumq; ratione exposita, absoluantur: honor quoq; aut ignominia vnicuique pro meritis vitæ confertur. Ita tum Gellio & Lentulo censoribus in foro pro dignitate sua sedentibus, & equitibus inspiciendos sese præbentibus, conspectus est Pompeius supernè in forũ descendens, consularia insignia gestans, atque ipse equum sua manu adducens. Postquam prope ad censores peruenit, dimoueri à lictoribus turbã iussit, equũque ad tribunal adduxit: obticuitq; præ admiratione populus, & censores gaudio simul verecundiaque eo aspectu perfusi sunt. Et cum eorum senior ita interrogasset, Quæro ex te Pompei Magne, militiámne toties, quoties leges iubent obieris: alta voce Pompeius, Defunctus sum, inquit, omnibus, idq; me ipso imperatore. Hoc vt audiuit populus, exclamauit: & censores cùm vociferationem eam præ gaudio populi compescere nequirent, surrexere, Pompeiumque domum suam deduxerunt, gratificantes ciuibus, qui cum plausu eum comitabantur. Cùm iam in fine consulatus inimicitiæ Pompeij cum Crasso magis magisque crescerent, C. Aurelius equestris ordinis homo, & qui hactenus in ocio vixisset, concione frequenti in rostra progressus, Iouem sibi in somnis visum dixit, monuisseque vt

*Pompeius censetur.*

consu-

consulibus mandaret ne priusquam in gratiam rediissent, magistratu sese abdicarent. Hæc vbi dixit, Pompeius vti adstiterat, ita immotus perstitit: Crassus autem dextram ei protendens, priorque compellans, Nihil, inquit, ô ciues, indignum aut humile facere me arbitror, si prior Pompeio concedam, quem vos imberbem etiamnum Magni cognomento affeciistis, nondum in senatum recepto duos triumphos dare dignati estis. Reconciliata inde gratia, ita consulatu abierunt. Et Crassus quidem in eo vitæ instituto, quod ab initio susceperat, perseuerauit. At Pompeius pleraq; porrò patrocinia subterfugere, paulatim se à foro subtrahere, rarò in publicum procedere, neque vnquam sine magna caterua: non enim nisi multis stipatum erat accedere. qua re vti gaudebat conspectui suo splendoris aliquid accedere, ita intactam suam vulgi compellationibus & consuetudini maiestatem seruandam sibi censebat. Etenim qui re bellica magni sunt facti, & in ordinem sese cogi haud facile ferunt, iis in toga viuentibus procliuis est ad ignominiam lapsus. Ipsi enim vt militiæ, ita domi etiam primas sibi vindicant: at verò qui in bello posteriorem loco sunt, nullo modo ferre possunt si ne in toga quidē plus aliis possint. Ideo si quem rebus gestis & triumphis splendidum virum in foro deprehendunt, opprimunt eum, suamq; in potestatem redigunt: rebus autem vrbanis sese abstinentes, gloria & potentia bellica inuidiæ secura permanet. Atque hoc ipsum paulo pòst re ipsa ita habere compertum est. Prædonum maritimorum manus primum à principio temerario & occultò exorta ex Cicilia eruperat: pòst Mithridati in bello contra Romanos operam nauando, maiora animo facinora agitare cœperat: inde Romanis ciuilibus in bellis ad ipsas Vrbis portas inter se decertantibus, mare præsidio omni nudatum occasionem iis vires suas ita augendi, potentiæque proferendæ præbuit, vt non iam nauigantes solum infestarent, sed insulas porrò, & vrbes maritimas excinderent. Iam & opibus potentes, & genere nobiles, & prudentia præstantes socios se piratarum latrociniis, tanquam rei glorioſæ, adiunxerant. Itaq; passim naualia erant piratarū, & speculæ muris munitæ, classesq; occurrebant, non classiariorum tantum fortitudine, peritiáve gubernatorum, aut velocitate & agilitate nauiū ad institutū suum præcla-

*Pompeius populi se subtrahit.*

*Pirata.*

rè instructæ, sed & inuidiosa in eo apparatu superbia plus, quam terror ipse molestiæ afferebat. quippe aureis malis, purpureis velis, argentoq; inclusis remis vtebantur, quasi luxuriantes, & ostentantes sese maleficiis. Tum omnibus in littoribus fistulæ, cantilenæ, crapulæ, principum personarum rapinæ, & captiuarum vrbium redemptiones, Romani erant imperij opprobrium. Naues eorum plures quam mille fuerunt, captæ vrbes supra quadringentas. Delubra etiam ad id vsq; tempus sacrosancta & intacta exciderunt, Clarium Didymæum, Samothracium, Proserpinę quod est Hermione, & Æsculapij apud Epidaurum, Isthmicum, Tænarium, Neptuni in Calauria, Apollinis vnum Actij, alterũ Leucade, Iunonis in Samo, Argis, & Lucania. In Olympo etiam peregrina quędam sacra, rituſq; arcanos peregerunt: ex quibus adhuc Mithri sacrum permanet, prius ab eis demonstratum. Romanis verò plurimum per libidinem insultauerunt: ac præterea digressi à mari, prędationibus eorum itinera infestauerunt, mariq; propinquas villas exciderunt. Duos quoque aliquando prætores rapuerunt Sextilium & Bellinum, & prætextatos eos vnà cum ministris & lictoribus abduxerunt. Ceperunt & Antonij triumphalis viri filiam rus euntem, eaque magna redempta est pecunia. Summæ autem fuit, quod referam, petulantiæ. Si quis ab ipsis captus Romanum se esse vociferaretur, nomenque ederet, perterritos se, sibiq; metuere simulantes, femora percutiebant sua, suppliceſque ei facti veniam flagitabant: & qui ita humiliter deprecari eos videret, serio agere putabat. Interim alij calceos ei subligabant, alij toga amiciebant, vt ne in posterum iterum Romanus esse ignoraretur. Postquam ludibrio hominis tandem saturati essent, medium in mare scalam protendentes, abire iam tum, ac valere iusserunt, & si quis descendere nollet, vi impulsum merserunt. Cæterum ea piratarum classis vniuersum prope mediterraneum mare obtinebat, omneſque eo mercatores arcebantur. Quapropter annonæ caritate pressi, maioresq; in posterum metuentes difficultates Romani Pompeium ad liberandum piratis mare emittendum cogitauerunt. Legem autem tulit Gabinius vnus ex Pompeij familiaribus, quæ non classis præfecturam, sed apertum vni in omnes homines, nulliſq; obnoxium legibus imperium dabat. Præesse enim ex omni

*Pompeio bellum piraticũ decretum.*

quod

quod est intra columnas Herculis mari iubebat, omnique terræ vsq; ad c c c c. stadia à mari dissitæ: (qua sane mensura pauca Romanis subdita loca nõ includebantur: quin & maximas gentes ea, & potentissimos reges comprehendebat) præterea legatos eum ex senatu quindecim deligere, ex ærario & à publicanis pecuniæ quantum vellet accipere, ac naues ducentas, ipsumque multitudinis & delectus sociorum naualium atque classiariorum potestatem habere. Promulgatam legem mirifico applausu populus excepit. At procetibus senatus infinita ea nullisq; circumscripta legibus potestas inuidia quidem superior, formidabilis autem esse videbatur, ideoque legem impugnabant. Solus Cæsar ei patrocinabatur, minime quidem in Pompeij gratiam, sed iam inde ab initio populi fauorem captans. Cæteri senatores grauiter Pompeium reprehenderunt: inter quos consulum alter cum ei dixisset, Romulum eum æmulantem, similem vitæ exitum non effugiturum, pene est à populo necatus. Catulo aduersus legem dicere aggresso populus verecundia viri altum silentium tenuit. Atque is, honorifice multa de Pompeio, ac citra inuidiam locutus, populo consuluit vti parcerent ei, neque tantum virum vni ex alio obiicerent discrimini atque bello: Quem enim (dicebat) alium habebitis, si hunc perdideritis? ad hoc vna voce populus, Teipsum, exclamauit. Itaque Catulus cum non persuaderet, abiit. Roscio autem in conscionem progresso aures nemo præbuit: cumque is digitis demonstraret non solum, sed cũ collega Pompeium rei præficiendũ, præ indignatione tantum (sic enim traditum est) clamorem sustulit populus, vt coruus forum casu tum superuolans attonitus in turbam deciderit. Propterea non ruptura aut diuulsione aeris vehementer conturbati decidere aues videntur: sed ictu vocis percussæ, cum ea vehementior atque copiosior in aere æstum quendam & fluctum excitauit. Ita tum soluta est concio. Quo die autem lex perferenda fuit, rus abiit Pompeius: perlatamque legem audito, noctu in vrbem rediit, concursum ad se inuidiosum fore cogitans. Exorto sole in publicum progressus, rem sacram fecit: inde concione habita, effecit vti multa adiicerentur iis, quæ ante decreta fuerant, duplumque prope prioris apparatum reddidit. Quingentas enim naues instruxit, legionariorum c x x, equitũ quin-

que millia coegit, ex senatu viginti quatuor legatos delegit, duos quæstores habuit. Statim vero precia rerum venalium decreuerunt, lætantique populo sermonem ea res dedit, ipso Pompeij nomine sublatum bellum esse. Enimuero

*Qua ratione id confecerit.*

Pompeius mari mediterraneo in tredecim portiones diuiso, singulisque harum certum nauium numerum, & legatum præficiens, vno momento omnes in partes distributo exercitu, naues piraticas in mari confertas vna deprehensas indagine cinxit, statimque assecutus in terram eduxit. Quæ vero dissipari à se inuicem, & effugere occupauerant, eæ vndique in Ciliciam veluti alueare quoddam se recipiebant: aduersum hos piratas ipse cum sexaginta totius classis optimis nauibus ire statuit. Non ante tamen id fecit, quam omnibus latrociniis expurgauit Thyrrhenum, Africum, Sardoum, Corsicum, Siculumque maria: id quod & seipso indefesso, & legatis alacribus vtens, quadraginta dierum spacio confecit. Cum autem Romæ Piso consul ira inuidiaque ductus apparatum classis eius impediret, milites-que classiarios dimitteret: naualibus copiis Brundusium aduocatis, ipse per Etruriam ad Vrbem accessit. Quod vbi Romæ innotuit, vniuersi ciues obuiam ei se effuderunt, quasi diu absenti, & quem non ante paucos dies emisissent. Gaudij autem causa fuit insperata mutationis celeritas, quæ magnam annonæ copiam effecerat. Itaque parum abfuit, quin Piso consulatu deiiceretur: in eamque rem rogationem iam conscripserat Gabinius. Sed Pompeius & hoc prohibuit, & cæteris in rebus agendis æquum se se ei præbuit, ac impetratis quæ voluisset, Brundusium rediit, indeque soluit. Occasioni vero intentus, ideoque festinans, & vrbes nauigando præteruectus, Athenas tamen nō præteriit, sed eo egressus sacra Diis fecit, populumq; salutauit: atque inde statim discedens, singulares versus de se conscriptos legit, vnum intra portam.

*Bonitas in Pisonem.*

*Quatenus hominem te esse nosti, eatenus es Deus:*

Extra autem,

*Expectatum vidimus, coluimus, & prosequimur.*

Vt autem quibusdam ex piratis, qui coniunctis adhuc nauigiis vagabantur, deprecantibus humanum se præbuit, ac ceptisq; in potestatem nauibus eorum & corporibus, nihil mali fecit: reliqui etiam in spem bonam venientes, cuitatis

cæte-

cæteris ducibus Pompeio sese cum vxoribus & liberis dediderunt: Pompeius omnibus pepercit, horumque deinde potissimum opera reliquos, qui extremorum sibi facinorum conscij latitabant adhuc, indagauit ac cepit. Plerique autē & potentissimi, liberis suis, pecuniaque & prælio inutili turba in castellis apud Taurum oppidisq; validis repositis, nauibus ipsi conscensis apud Coracesium Ciliciæ promontorium Pompeium aduentantem substiterunt: victiq; ab eo nauali pugna & obsessi, tandem exorata per præcones salute, se ipsos, vrbesque & insulas, quas occupatas ita munierant, vti oppugnari ac vi capi non facile possent, in potestatem eius tradiderunt. Hoc modo bellum confectum, prædones vndiq; mari profligati intra tertium mensem. Naues multas alias, æreis rostris armatas nonaginta Pompeius cepit. Ipsos autem piratas, quorum erat super viginti millia numerus, occidere ne cogitauit quidem: dimittendos porro, committendumq; vt homines egeni & bello viuere soliti plerique aut in varias regiones dissiparentur, aut inter se rursus coirent, nullo modo censuit. Enimuero cum animo suo reputās, hominem natura suapte neq; efferū, neq; quod domari non possit esse animal, sed vitiis contra naturā vtēdo degenerare: disciplina porro, locorumq; & victus mutatione feras etiam ci curari, sæuitiamq; suam cultui mansuetiori adhibitas exuere. Has secutus rationes, transferre eos à mari in terram statuit, vitæq; placidæ adsuefacere, vrbes eis habitandas, agrumq; colendum mandando. Proinde multos eorum in exiguis & prope desertis iam Ciliciæ vrbibus collocauit, agro iis addito. Solos etiam vrbem nuper à Tigrane Armeniæ rege vastatam instaurauit, multosq; de piratis in ea posuit. Multos Dyme recepit, vrbs Achaica multum bonumq; agrum habēs, & tum habitatorib. egēs. Hæc inuidi eius carpebant. Quæ vero in Creta cum Metello egit, ea ne summis quidem eius amicis voluptati fuerunt. Is Metellus necessarius illius Metelli, qui in Hispania Pompeij fuerat collega, dux in Cretam, ante quam Pompeius Imperator contra piratas crearetur, missus fuerat. Ibi enim alius præter Ciliciā fons latrociniorum extiterat: multosque prædonum Metellus deprehensos exciderat atque deleuerat. Qui autem adhuc supererant, & in obsidione habebantur, ij supplicibus missis literis Pompeium in Cretam aduoca-

*Ratio domandi hominis.*

*Creticum bellum.*

aduocabant, quod ea insula ipsius sub imperio esset, & mensura eius vndiquaq; contineretur. Pompeius accepta conditione Metello scripsit, vti bellum desineret: vrbibus quoq; per literas mandauit, ne Metello obtemperarent. Misit etiam eò legatum suũ L. Octauium, qui intra muros ad obsessos accessit, pro iisq; propugnans, non grauem modo & importunum, sed & ridiculum ostendit Pompeium, qui no
« men gloriamque suam præ inuidia & contentione honorum cum Metello, amuleti loco hominibus impiis & scelestis vtendam daret. Nam ne Achillem quidem vt viro erat dignum, sed plane adolescentuli in morem egisse dicebant, stolida gloriæ cupiditate elati, qui reliquis interdiceret, ne quis telo Hectorem peteret, eoq; icto

*Ipse ita posterior, prærepta laude, veniret.*

Pompeium autem præterea vti multis laboribus merito duci triumphum eriperet, defendendo publicos hostes salutéiis attulisse. Non cessit tamen Metellus: sed & piratas excidit, suppliciisq; affecit, & ignominiose habitum in castris Octauium dimisit. Posteaquam Romæ renunciatum est, bellum Piraticum esse confectum, Pompeiumq; ocio frucentem per vrbes circumire: Manilius vnus de tribb. plebis legem promulgat, vt Pompeius accepta omni Luculli prouincia, omnibusq; copiis, præterea etiam Bithynia, quam tum Glabrio tenebat, retento etiam nauali iisdem quibus antè conditionibus imperio, contra Mithridatem & Tigranem bellum gerat. Id nihil erat, nisi vniuersum Romanum imperium vnius potestati tradere. Quæ enim prouinciæ priori lege ei concessæ non videbãtur, Phrygia, Lycaonia, Galatia, Cappadocia, Cilicia superior, Colchis, & Armenia, hæc tum ei addicebantur, vna cum iis, quibus Mithridatem & Tigranem debellauerat Lucullus copiis. Veruntamen Luculli minorem habebant optimates rationem, quanquã inique cum eo atque ingrate agi arbitrarentur, cui rerum gestarum gloria eriperetur, ac triumphi verius, quam belli successor daretur. Potentiam Pompeij grauiter ferebant, constituique ea tyrannidem sentiebant: ideo priuatim sese cohortabantur ad impediendam legem, defendendamque libertatem. Sed vbi tempus perferendæ legis appetiit, reliqui metu populi causam destituerunt: Catulus cum multis legem reprehendisset, neque de populo quenquam mouisset,

*Lege Manilia bellũ Mithridaticum põpeio decretum.*

uisset,alta voce de rostris aliquoties senatum montem quę rere maiorum exemplo aliquē,cliuumve iussit,quo confugientes libertatem tuerētur.Perlata est lex omnium (vt fertur)tribuum suffragiis,absentique Pompeio omnis fere ea potestas decreta,quam bello,armisque capta vrbe Sylla obtinuerat.Atqui ipse literis acceptis decretoque cognito amicis præsentibus atque gratulantibus, supercilium contraxisse dicitur,& femur feriisse,ac,veluti exosus iam imperia exclamasse.Hui infinita certamina: quam præstiterat vnum ex obscuris fuisse, si nullus bella gerendi finis erit, neque inuidiam imperiorum exuere,&in agro cum vxore degere vnquam licebit. Hanc eius simulationem ne familiarissimi quidem probauerunt,scientes eo magis ipsum gaudere,quod ad ingeneratam eius ambitionem discordia cū Lucullo tanquam fomes accessisset: & vero statim res ipsæ hoc demonstrauerunt. Etenim vbique propositis edictis milites ad se vocauit, principes regesque subditos ad se exciuit,regionemq; peragrans,nihil eorum quæ Lucullus cō stituisset,immotum reliquit:quin & pœnas ab eo irrogatas remisit,& dona ademit,totusque in eo fuit,vt Lucullum eius admiratoribus ostenderet nullius rei potestatem habere.Ea propter illo per amicos expostulante,visum fuit è re, vti conuenirent,congressiq; sunt in Galatia. Sicut autem consentaneum erat summos duces, rebusq; præclarissime gestis splendidos,lictoribus fasces laureatos præferentibus obuiam facti sunt.Ibi cum Luculli lictores Pompeij lauros emarcuisse plane viderent ( nam per loca arborum nuda & gelida processerat , Lucullus autem per virentia & opaca) de suis lauris recentibus adhuc Pompeianos fasces exornauerunt: quo videtur præmonstratum signo fuisse, Pompeium venire Luculli victoriæ præmia & gloriam interceptū. EratLucullus consulari tum dignitate,natuq; maior:Pompeius ob duos actos triumphos maiori in existimatione. Primus eorum congressus quam maxime ciuilis amicusq; fuit,vnius alterius res gestas prædicantium, mutuoq; congratulantium.in ipso autem colloquio ad æquale moderatumve peruenirī nihil potuit. exprobrantesque Pompeius Lucullo opum , Lucullus Pompeio imperiorum cupiditatem,ab amicis ægre diremptī sunt.Ex eo Lucullus in Galatia agrum captiuum,& munera quibus volebat assignauit:

*Simulatio Pompeij.*

*Cū Lucullo congressus.*

Pom-

Pompeius paulum remotis castris, edixit ne quis ei obsequeretur, militesq; ab eo omnes abstraxit, mille sexcentis exceptis, quos ob contumaciam & ipsi inutiles, & Lucullo infensos fore cogitabat. Palã quoq; facta Luculli exibilans, contra tragicos apparatus eum regum, vmbratilibusq; præliis decertasse ferebat: sibi certamen contra veras & castigatas copias superesse, Mithridate iã ad scuta, gladios, equosque confugiente. Lucullus autem conuicia reponens, ire Pompeium dicebat, vti cum larua & vmbra hostium depugnaret, solitũ alias ignauæ volucris instar in aliena cadauera deuolare, hostilesq; reliquias laniare: ita eum Sertorio, Lepido, Spartaco victo nomẽ suum inscripsisse rebus a Metello, Catulo, Crasso confectis: itaq; mirum non esse, si homo qui quacunq; arte seruilis triumphi in partem se ingere conatus fuerit, nunc in gloriam Armeniaci Ponticiq; bel li subeat. Proinde Lucullus prouincia abiit. Pompeius cum per omne quod est inter Phœnicen & Bosporum mare naualia præsidia collocasset, ipse aduersus Mithridatẽ duxit, qui phalangẽ triginta millium armatorum habens, & duo equitum millia, prœlio tamen coire nõ audebat. Et primũ, cum natura munitum montẽ, in quo forte castra posuerat, tanquam aquæ expertem reliquisset Mithridates, eũ ipsum occupauit Pompeius: & ex stirpium ibi pullulantiũ natura, & locorum conuexitatibus coniectatus scaturigines aquarum ibi locorum esse, vbique iubens puteos agi, abundea quarum castris parauit: vt mirari subierit, tam longo tempore eam rem à Mithridate ignoratam fuisse. Deinde ei exercitum suum circundedit, munitionibusque cinctum in obsidione habuit. Mithridates XLV. dies tolerata obsidione, cum validissimis copiarum suarum occulte erupit, cum prius bello inutiles & ægrotos occidisset. Postea apud Euphraten eum assecutus Pompeius, copias iuxta collocauit: veritusq; ne Euphratẽ transire occuparet, media de nocte armatum exercitum in eum duxit. Fama est eo tempore Mithridatem in somnis ea vidisse, quæ euentum ei prædicerent. Imaginatus est enim se cum secundo vento Ponticum mare pernauigasset, iamq; Bosporo apparente, amicos, vt qui certam salutem sibi partam lætaretur, consalutasset, subito ab omnibus destitutum exigua in cymba hinc indeiactatum fuisse. Huiusmodi eum cogitationibus insomniisque

*Expeditio in Mithridatem.*

que detentum amici excitauerunt, irruere Pompeium nun
ciantes. Necessario autem erat pro castris propugnandum:
ideo duces exercitum in aciem eduxerunt. Pompeius ho-
stium instituto cognito, nocturnum prœlium formidans, *Nocturnã*
satis esse existimabat si circumuenirentur vti ne effugere *pugna Mi-*
possent: facta luce pugnandi occasionem meliorem fore. *thridates*
Sed qui natu erant inter centuriones maximi, orando & in *victus.*
stando impulerunt, vt hostem statim inuaderet. Non enim
tenebræ obtinebant plane, sed luna ad occasum vergens cõ
spicienda adhuc corpora præbebat: idque maxime damno
hosti fuit. Romani enim lunam à tergo habentes in hostem
ibant, eamque iam occasui proximam: quo fiebat vt vmbræ
longe excurrerent, hostesque interuallum acierum quan-
tum esset cum cernere non possent, veluti comminus iam
congressis Romanis pila frustra emitterent, neque quen-
quam tangerent. Quod vbi senserunt Romani, sublato cla-
more irruerunt, ac subsistere non ausos, præque terrore in
fugam se coniicientes strauerunt, vltra decem millia cæsis
permultis, castrisq; potiti sunt, Mithridates cum octingen-
tis equitibus per Romanos erupit: mox omnibus cæteris
dilapsis, solus cum tribus relictus est. De tribus vna fuit Hy-
psicratea pellex, virili semper animo audaciaque vsa, ita vt
Hypsicratem rex appellauerit. Ea tum Persæ habitu equo-
que instructa, neque cursus longitudine, neque regis cor-
pus equumque curando defatigata est. Tandem ad castel-
lum Inora, regia pecunia & thesauris plenum peruenerunt.
Ibi rex inter eos qui ex fuga eo confluxissent, preciosas vẽ-
stes distribuit: amicorum quoque singulis lethale venenũ
dedit, ne quis inuitus in hostium potestatẽ veniret. Ipse in
Armeniam inde ad Tigranem profectus est: cumq; is recu-
sasset hospitium, interfectoriq; eius centum talenta præmij
loco per edictum constituisset, fontibus Euphratis præteri-
tis per Colchidem fugit. Cæterum Pompeius in Armeniam *Tigranes*
irrupit, vocatus à iuniore Tigrane, qui iam à patre defece- *vt impete-*
rat, & se ad Araxem fluuium (qui ex iisdem cum Euphrate lo *statem*
cis ortus aduersus orientem profluit, inque mare Caspium *Pompeii*
exit) obuiam ei dedit: coniunctique vna perrexerunt, vrbes *veneratur.*
in suam potestatem recipientes. At rex Tigranes nuper
à Lucullo fractus, cum mitem placidoque ingenio præ-
ditum Pompeium audisset, impõsito in regiam præsidio,

amicisq;

amicisq; & cognatis ad se receptis, ipse traditum sese Pompeio profectus est. Vt eques ad castra venit, duo Pompeiani lictores equo eum descendere, peditemque ire iusserunt: ne minem enim vnquam equitare in castris Romanis visum. Et in hoc obtemperauit Tigranes, & præterea ensem suum iis tradidit. Posteaquam ad ipsum peruenit Pompeiũ, cidarim capiti detractã ante pedes eius deponere, seq; (id quod erat turpissimum) ad genua ipsius prouoluere intendit. Sed Pompeius præuertit, dextra eum arreptum ad se attrahens, ac iuxta se, filium vero Tigranem ab altero latere collocãs. Tum ita locutus est: Lucullo cætera tua damna imputare debes, qui tibi Syriam, Phænicen, Galatiam, Sophenemademit: quæ ad hunc diem seruasti, ea retinebis, iniuria, quã Romanis intulisti, sex talentorum millibus compensata: filius tuus Sophenæ rex erit. Hæc Tigranes pergrata habuit; Romanisq; regem eum salutantibus, magno perfusus gaudio, militibus Romanis singulis dimidiam minam argenti, centurioni minas decem, tribuno militum talentum se dono daturum pollicitus est. Iunior autem Tigranes cum moleste hæc ferret, & ad cœnam vocatus, nihil se isto honore Pompeij opus habere, sed alium à Romanis impetraturũ respondisset, in vincula positus, & ad triumphum est seruatus. Paulo post Phraates Parthiæ rex misit, qui Tigranem filium, vti generum suum, à Pompeio exposcerent, vtque prouinciarum terminum Euphratem haberet postularent. His Pompeius respondit, Tigranem patri magis quam socero deberi, ius autem se pro fine imperij habiturum. Inde Afranio Armeniæ præsidio relicto, per gentes circa Caucasum proficiscens contra Mithridatem molesto admodum itinere perrexit. Inter has gentes maximæ sunt Albani & Iberi: quorum hi ad Moschicos montes & Pontum pertinẽt, illi orientem versus & Caspium mare vergunt. Albani primum petenti transeundi facultatem Pompeio concesserunt: post cum hyems exercitum in ipsorum regione deprehendisset, & festum Saturnalia Romani agerent, collecti ad quadraginta millia, & Cyrnum fluuium (is ex Ibericis montibus scaturiens, Araxe, qui ex Armenia defluit, in se recepto, duodecim ostiis in Caspium mare exit: quidam Araxem non misceri Cyrno, sed seorsim haud longe ab eius ostiis in id pelagus effluere asserunt) transgressi, Romanos

*Vt Mithridatem sit persecutus*

inuase-

inuaserunt. Pompeius fluuium transire eos, tametsi resistere poterat, nemine interturbante passus, inde adducto exercitu fudit, ingentique strage affecit: post regi eorum per legatos deprecanti gratia delicti facta, initoque fœdere, aduersum Iberos profectus est. Hæc natio neq; minus quam Albani populosa, & bello etiam potentior, à Mithridate gratiam inire Pompeio repellendo magnopere studebat: alioquin neque Medis neq; Persis subditi erant, & Macedonicum quoque imperium subterfugerant ob Alexandri celerem ex Hyrcania discessum. His quoque magno prœlio fusis (nam nouem Iberorum millia cæsi, vltra decẽ millia capti sunt) Pompeius in Colchidem intrauit. Ibi ad Phasin amnem Seruilius ei occurrit cũ classe, quæ Pontum custodiebat. Cæterum Mithridatem persequi in Bosporanas & Mæoticas gentes sese recipientem, res erat quæ in magnas incurreret difficultates. Interim renunciatur, Albanos denuo desciuisse. In hos præira & studio contendendi conuersus, Cyrnum fluuium ægre ac magno cum periculo transiuit, quod barbari pleraſq; fluminis partes vallis adactis intercluserant. Cumq; progrediendum esset longo & difficili, aquæq; experte itinere, decem millib. vtrium aqua impletorum assumptis, in hostem contendit, in eumq; ad Abantem fluuium incidit. instruxerant Albani aciem, LX. peditũ millia, equitum millia XII: erant autem plerique male armati, pellibusq; modo ferarum tecti. Ducebat regis frater Cosis: atq; is commisso prœlio in ipsum Pompeium tẽdens, iaculo eum, quà thoracis est commissura, ferit: Pompeius autem comminus perfossum interfecit. Hac in pugna memorant Amazonas quoq; ab iis qui sunt circa Thermodontẽ fluuium montibus profectas Albanis adfuisse. Et cũ a prœlio spolia legerent Romani, peltas quidẽ Amazonicas & cothurnos inuenerunt, corpus autẽ muliebre nullũ apparuit. Habitant Amazones in partibus Caucasi ad Hyrcanum mare pertinentibus, non finitimæ Albanis: etenim Gelæ & Leges interiacent, cum quibus illæ quotannis ad Thermodontem accedentes per duos menses conuersantur, atque iis finitis digressæ seorsim viuunt. Secundum hanc victoriam Pompeius cum in Hyrcaniam & ad mare Caspium (à quo tridui itinere aberat) ire vellet, multitudine venenatorum reptilium prohibitus, in Armeniam minorem recessit. Ibi

*Amazones.*

sit. Ibi Elymæorum & Medorum regibus, qui legatos ad ipsum mittebant, amice respondit: Parthum autem, qui facta in Gordyenem impressione Tigranis regionem infestabat, Afranio cum copiis misso eiecit, & vsq; ad Arbelitidē insecutus est. Porro autem pellicum Mithridatis cum multæ ad ipsum adducerentur, nulli corpus miscuit, sed omnes parentibus earum & propinquis remisit: erant enim pleræque ducum regulorumve filiæ & vxores. Stratonice, quæ apud Mithridatem in summo erat honore, arcemq; cum ingenti auri thesauro custodiebat, filia fuit, vti aiunt, citharœdi cuiusdam senis, minime alioquin lauta re præditi. Hæc cum in conuiuio fidibus cecinisset, ita statim cepit Mithridatem, vt cum ipsa illico iuerit cubitum, dimisso patre, qui iniquo animo ferebat, ne compellatum quidem sese benigne. Verum vbi sub auroram experrectus mensas vidit argenteis & aureis poculis onustas, magnam famulorū turbam, eunuchos & pueros precioſas ad se vestes afferre, equum pro foribus ornatum eo more quo amicorum regiorum equi solent astare, illudi perque iocum se vexari putans, effugere per fores intendit. Famulis autem inhibentibus, dicentibusque regem opibus ipsum cuiusdam diuitis nuper mortui donare, hasq; exiguas tantum esse primitias, cęterarumq; diuitiarum indicia: vix tandem fidem habens, purpura se vestiuit, insiliensq; in equum, per vrbē vectus est, vociferans passim, Hæc omnia mea sunt: & iis qui irridebant, Non, inquit, hoc mirum est, sed quod non insaniens præ lætitia obuios saxis impeto. His natalibus orta Stratonice, Pompeio & arcem tradidit, & multa dona obtulit: Pompeius iis tantum acceptis, quæ ad templorum ornatum & triumphi splendorem facerent, cætera Stratonicæ habenda permisit. Similiter missum à rege Iberorum lectulum, mensam, & soliū, aurea omnia, flagitante vt acciperet, quæstoribus in publicum referenda tradidit. In nouo præterea castro in secretas quasdam Mithridatis literas incidit, easq; non sine oblectatione percurrit, quod ingenium illius præclare indicarent. Deprehendit enim eum veneno sustulisse cum alios multos, tum filium suum Ariarathem, & Alcæum Sardianum, quod is eum equestrium certaminum gloria superasset. Erant & conscripta insomniorum iudicia, quæ partim ipsi, partim mulierib. euenissent. Reperæ etiam

*Pellices Mithridatis.*

*Secretæ Mithridatis literæ.*

tæ etiam Monimæ & Mithridatis literæ lasciuæ, mutuo scriptæ. Theophanes orationem quoque Rutilij inuentam ait, qua ad cædem Romanorum per Asiam cohortatus is Mithridatem fuisset: quod pleriq; maliciose fictum à Theophane coniiciunt, an quod Rutilium ipsius plane dissimilem odisset, an quod Pompeio gratificaretur, cuius patrem Rutilius in historiis pessimum fuisse hominem demonstrauerat? Amisum inde profectus Pompeius, in rem reprehensione dignam propter ambitionem incidit. Etenim qui Lucullo multis verbis exprobrasset, quod is hoste viuente cõstitutiones quasdam edidisset, munera & honores distribuisset, id quod victores confecto demum omni bello facere vsu receptum esset: is tum Mithridate Bosporum obtinente, iustasque copias secum iam habente, eadem quæ Lucullus tanquam iam debellato, agitabat: prouincias cõponebat, munera diuidebat, multis ad ipsum principib. duodecimq; barbaris regibus profectis: quibus etiam id gratificatus est, vti Partho rescribens non, vt alij, regem regum eum salutaret. Vehemens autem amor incesserat Pompeio Syriam recipiendi, & per Arabiam ad rubrum mare proficiscendi, vt victor vbique ad mare quod extra terram alluit perueniret. Nam & in Africa primus vincendo vsq; ad Oceanum progressus fuit. & in Hispania Atlanticum pelagus finem Romano imperio fecit: tertiùm quoq; Albanos persequens, parum abfuit quin ad Hyrcanum vsq; mare excurreret. Ita expeditionis finem mare rubrum sibi statuẽs, exercitum mouit, cum alioquin Mithridatem armis indagari difficulter posse videret, & fuga, quam bello molestiorem esse. Huic grauiorem quam Pompeius esset hostem, famem nimirum relicturum sese dicens, naualia præsidia cõstituit, quæ nauigantes in Bosporum obseruarent negociatores, deprehensosq; morte punirent. Ipse cum exercitus maiori parte iter ingressus, cum in cadauera eorũqui Triario duce infeliciter cũ Mithridate pugnauerant inhumata etiamnũ incidisset, honorifice sepeliit: quod à Lucullo neglectum, haud minimã odiis in ipsum causam præbuisse videtur. Inde Afranij opera Arabib. qui circa Amanum montẽ accolunt in potestatem redactis, ipse in Syriam profectus, eam, vt quæ legitimos reges non haberet, prouinciam ditionẽq; populi Romani redegit. Iudæam porro subegit, regemque

II

*Pompeij peccatum.*

*Syriam & Iudæam subigit.*

Aristobulum cepit: vrbes partim condidit, partim supplicio affectis tyrannis libertati restituit. Plurimum autem otij in diiudicandas ciuitatum regumq; controuersias impendit, missis ad arbitrandum amicis, quo ipse non proficiscebatur: sicut Armeniis etiam ac Parthis de finibus litigantibus, arbitriumque ipsi deferentibus, tres suorum misit qui rem componerent. Magnum enim nomen potentiæ eius, maius virtutis erat atque clementiæ: eoque pleraque suorum amicorum & familiarium peccata occultabat, natura à puniendis delictis alienus, ac tam benignum suis se in congressu præbens, vt facile eorum auariciam ac peruersitatem toleraret. Qui plurimum apud ipsum posset, Demetrius erat libertus, iuuenis ingenio non malo, sed fortunæ nimius: de quo tale quiddam fertur. Cato, is qui philosophus est vsurpatus, cum adhuc iuuenis esset, magna tamen gloria, altosq; spiritus duceret, Antiochiam accesserat vrbis eius perlustrandæ causa, absente Pompeio: pedes ipse ibat, amici equites comitabantur. Hic cum ante vrbis portam turbam virorum candidatorum, & iuxta viã ephebos seorsim, seorsim pueros adstare videret, existimans sibi nihil talia curanti honoris & reuerentiæ causa hæc fieri, indigne tulit, amicosq; ab equis descendere, & vna ire iussit. Vbi propius accesserunt ad portam, magister eius pompæ coronatus baculumque gestans occurrit, & ex ipsis, quæsiuit, vbinam Demetrium reliquissent, & quando is esset venturus. Tum Cato amicis in risum conuersis, ô miseram (inquit) vrbem: nihilque aliud respondens præteriit. Veruntamen Pompeius ipse à Demetrio ludibrio habitus, idque æquo animo sustinens, effecit vt eo leuiora aliorum in eum odia essent. Traditum est sæpenumero in conuiuiis Pompeio cæteros expectante, illum accubuisse, ac præfastu pileum vsq; ad aures capiti attraxisse. Idem Demetrius antequam in Italiam rediret, iã Romæ amœnissima suburbana, ac gymnasia pulcerrima habebat, hortiq; pretiosi erant, qui Demetrij nuncupabantur. Et vero ipse Pompeius ad tertium vsq; triumphum ædibus vsus est minime splendidis: post cũ Romanis insigne illud, & præclarum extruxisset theatrum, aliquanto splendidiorem priore domum veluti appẽdicis loco sibi ædificauit: sed hanc quoque ita inuidiæ securam, vt qui eam post Pompeiũ occupauit, miratus sit, & quæsiuerit, vbinam Pom-

*Demetrij liberti fastus.*

Pompeius Magnus cœnasset. Arabiæ autem Petreæ rex cum pridem spreuisset Romanos, tunc vero magno terrore percussus imperata facturum sese scriberet, Pompeius vt animum eius exploraret, expeditionem aduersus Petram suscepit multis multorum reprehensionibus obnoxiam. etenim subrerfugere eum persecutionem Mithridatis censebant: & contra illum antiquum aduersarium potius ire debere existimabant, qui bellum nouo apparatu resuscitare, ac per Pannonios & Scythas Italiam versus proficisci nunciabatur. At vero Pompeius, qui facilius belligerantem opprimi, quam fugientem comprehendi posse iudicaret, frustra eum insequendo tempus terere nolebat, potiusque interim alias res veluti appendices eius belli gerere statuebat: Sed eam controuersiam fortuna diremit. Nam cum haud procul à Petra abesset, iamque sub vesperam vallo iacto sese eques antè castra exerceret, tabellarij è Ponto citatis equis aduenerunt, lætum nuncium afferentes: hoc enim indicant cuspides hastarum lauro reuinctæ. Quos simul atque conspexerunt milites, ad Pompeium concurrerunt: isque cum initio exercitationes ad finem perducere vellet, clamore eorum precibusq; victus, ab equo descendit, & literis acceptis in medium progressus est. Tribunal nullum erat, neque adhuc militari more magnis cespitibus inuicem impositis suggestum excitauerant: itaque raptim iumentorum clitellis congestis editum aggerem extruxerũt. In eum progressus Pompeius, militibus renunciauit Mithridatem mota à filio eius Pharnace seditione sua ipsius manu mortem oppetiisse, Pharnacem suo & populi Romani nomine omnia in potestatem accepisse, itaque ad se scripsisse. Accepto hoc nuncio milites summo (vti par erat) gaudio affecti, sacrificiis & conuiuiis vacarunt, in vno Mithridate infinitos hostes periisse rati. Pompeius autem cum ei bello longe facilius quam ipse expectasset finem imposuisset, statim motis ex Arabia castris, & peragratis quæ in medio erant prouinciis, Amisum venit. Ibi multa à Pharnace missa munera accepit, multa regiorum amicorum, ipsiusque etiam Mithridatis cadauer, cognitu haud facile, quod ministri ignorauerant cerebrum eliquandum fuisse: curiosi tamen ex cicatricibus agnouerunt. ipse enim Pompeius inspicere nõ sustinuit, inuidiamq; fortunæ amolitus,

*Expeditio in Petram*

*Mithridatis mors.*

Sinopen remisit. Vestis autem, & armorum, quæ Mithridates gessisset, magnitudinem splendoremque admiratus est. Baltheum Publius quidam surripuit, x L. talentis confectũ, & Ariarathi vendidit : cidarim miro artificio elaboratam Caius qui cum Mithridate educatus fuerat oranti Fausto Syllæ F. clam tradidit. Hi cũ in præsentia Pompeium fefellissent, Pharnaces postea re comperta, supplicio fures affecit. Rebus Ponticis constitutis Pompeius proinde maiori cum pompa, ac minori cum festinatione iter fecit. Cum Mitylenem peruenisset, vrbem in Theophanis gratiã libertate donauit, poetarumq; certamen ita à maioribus institutum inspexit, quibus res ipsius gestæ materia carminum erant. Theatri autem formã probans, lineamentis eam expressit, vti ad eius exemplũ Romæ aliud, maius tamen ac magnificentius ædificaret. Rhodi omnes rhetores audiuit, singulos que talento donauit. Posidonius disputationem quoq; eius cum Hermagora sophista de generali quæstione habitam perscripsit. Athenis cum eodem modo philosophos tractasset, vrbi ad ædificationes quinquaginta talenta largitus, splendidissimum sese mortalium in Italiam, suisq; quorum tenebatur desiderio, exoptatissimum venturum sperauit. Enimuero quicunque is est genius, qui magnis atq; amplis fortunæ munerib. triste aliquid admiscere solet, is iampridem domi illius delitescens, minus iucundum ei reditum machinatus fuerat. Etenim per eius absentiam Mucia pudicitiam imminuerat: ac Pompeius cum longius adhuc abesset tem istam contempserat, postquam prope Italiam peruenit, & magis ocioso (vt videtur) animo crimen perpendit, nuncium ei remisit, neq; tum, neq; post diuortium causam discidij indicans. Verum ea in epistolis Ciceronis est perscripta. Varij autem de Pompeio sermones Romam perferebãtur, trepidabaturq; vulgo quod exercitum recta ad vrbem adducturus, & tyrannidẽ occupaturus crederetur: & Crassus adeo siue re vera metuens sibi, siue vt suo exemplo calumniæ vires daret, odiaq; hominum in Pompeium incenderet, cum liberis & opibus Romã excessit. Sed Pompeius vt primum Italiam attigisset, aduocatis in concionem militibus, allocutus eos benigne & quæ præsens occasio ferret, verbis persecutus, discedere vnumquemlibet in patriam, & ad suos abire iussit, ac curare, vti tempore triumphi frequentes

*Iter Pompeii Victorix.*

*Mucix diuortium.*

quentes adessent. Dissipato ad hunc modum exercitu, eaque re vulgata, mirum est quod accidit. Etenim ciuitates Pompeium inermem, ac paucis cum familiaribus tãquam à profectione priuata redire videntes, effusæ ingenti copia eum Romam vsq; comitatæ sunt, beneuolentia adductæ: vt si quid nouarum rerum moliri voluisset, nihil suo illi exercitu opus fuerit. Quia vero lex vetat quenquam triumphaturum, ante quam triumphum egisset in vrbem venire, Põpeius postulauit vti tantum sibi gratiæ daret Senatus, vt comitia differret, donec præsens ea cum Pisone obire posset. Verum ea petitio, Catone repugnante, frustra fuit. Ex eo Catonis constantiam libertatemq;, quibus ille vnus pro iurè palam propugnabat, miratus, statuit eum quacunq; ratione sibi adiungere: & cum is duas haberet fratris sui filias secum, alteram sibi, alterã filio in matrimoniũ petiit. Cato cum corrumpendi sui gratia eas à Pompeio affectari nuptias intelligeret, ideoque detrectaret, soror eius vxorq; graui ter tulerunt Pompeij Magni affinitatem ab eo recusari. Interim Pompeius cum Afranium ad consulatum promouere cupiens, ciuibus in hortum suum venientibus tributim pecuniam diuideret, vt eos Afranio cõciliaret, eiusq; rei fama in vulgus percrebrescente Pompeius male audiret, quod magistratum, quẽ præclarissimis ipse facinoribus vti summum decus meruisset, eum hominibus indignis venalem redderet: Cato mulieribus dixit, Horum quoq; opprobriorum pars ad nos redundabit necessario, si Pompeij necessarij esse volumus. quo audito eæ agnouerunt, rectius ipsum honori suo, quam ipsas, consuluisse. Magnificentiæ autem triumphi, tametsi in duos dies diuisi, tempus non suffecit: & multa eorum, quæ apparauerat, ista pompa excluſa sunt, & ad alia exornanda spectacula reseruata. Inscriptiones in triumpho præferebantur, quibus is de gentibus ageretur indicantes. Erant autem Pontus, Armenia, Cappadocia, Paphlagonia, Media, Colchis, Iberia, Albania, Syria, Cilicia, Mesopotamia, Phœnice, Palæstina, Iudæa, Arabia, & piratæ terra mariq; debellati. tum castella capta ad mille, vrbes haud multo pauciores non ingentis, naues piraticæ octingentæ, vrbes iterum habitatoribus præditæ vndequadraginta. Indicabatur porro inscriptione, antehac in Romanis reditibus fuisse bis millies sestertiũm, nunc ex

*Reditus Romam.*

*Pompeius affinitatẽ Catonis petit.*

his quæ ipse ciuitati Romanæ subegerit, redire ter millies ac quadringenties sestertiûm: porro in ærariũ inferri nomismate & vasis auri argentiq; vicies mille talenta, præter ea quæ militibus elargitus fuisset: acceperat autem is, cui pro rata proportione minimum datur, sestertia sex. Captiui ducebantur præter principes piratarum filius Tigranis Armeniæ regis cum vxore & filia, tum Tigranis senioris vxor Zosime, rex Iudæorum Aristobulus, Mithridatis soror & quinque nati, ac Scythicæ mulieres: ad hæc Albanorum, Iberorum, & Commagenorum regis obsides, & ingens trophæorum numerus, numero prœliorum æqualis, ex quibus aut ipse, aut legati victoriam reportauerant. Id vero plurimum ad gloriam fecit, quod & nulli ante Romanorum contigerat, quod tertium triumphum ex tertia orbis terrarum parte duxit. Quippe ante ipsum quoque inuenti sunt, qui ter triumpharent: sed Pompeius qui primum ex Africa, secundum ex Europa, tertium ex Asia attulisset triumphum, de toto orbe terrarum quodammodo videbatur triumphasse. Qui in eo sunt, vt omni ex parte Alexandro similem fuisse ostendant, nondum triginta quatuor annos eum natum fuisse affirmant: accedebat autem, si veritas rei quæritur, iam ad quadragesimum. Atque adeo præclare fuisset cum ipso actum, si vita defunctus tum fuisset, dum Alexandri adhuc vtebatur fortuna. Quæ enim subsecuta sunt tempora, & successus ei inuidiosos, & calamitates immedicabiles attulerunt. Etenim quam in vrbe potentiam meritis suis adeptus fuerat, ea iniuste pro aliis vtens, dum suam carpens gloriam vires eorum augeret, non sensit sua se potentia atque magnitudine seipsum pessundare. Nempe quo modo munitissimæ arces atque partes vrbium hostibus, cum ab iis occupantur, id quod in ipsis erat positum roboris atq; præsidij addunt: sic Cæsar Pompeiana potentia elatus ad opprimendam vrbem, quibus rebus contra reliquos præualuit, iisdem Pompeium quoq; ipsum euertit. Res ita acta est. Lucullum, cum magnis a Pompeio affectus iniuriis ex Asia rediisset, splendide Senatus accepit, & magis adhuc cum Pompeius etiam rediisset amplexus, vt gloriam suam ad remp. coniungeret hortatus est. Ibi tum Lucullus (tametsi iam studium rerum gerendarum remisisset, ocioq; & luxui deditus voluptatem negociis tractandis antepo-

antepoſuiſſet) Pompeium adortus, conſtanterq; vrgens, obtinuit in Senatu, vt ſuæ conſtitutiones, quas reſciderat Pōpeius, ratæ haberentur, adſtipulante præſertim Catone. Pompeius pulſus ac circumſcriptus, coactus eſt ad tribunos plebis iuniores confugere, quorum omnium impuriſſimus atque audaciſſimus Clodius eum arripuit, populoque ſubmiſit, inque foro præter dignitatem eius obuerſantem ſecum rapiens, ad confirmanda ea, quæ ipſe in gratiam populi promulgaret aut diceret opera eius vſus eſt. Et quidem, quaſi non ignominia ſed beneficio affeciſſet, mercedem poſtulabat: quam & poſtea obtinuit, cum Ciceronem amicum ſuum, & qui pro ipſo plurima exegiſſet, in gratiam eius prodidit. Etenim in periculo verſantem, auxiliumque petentem, in conſpectum admittere non ſuſtinuit, miſſiſque ad ſe ab eo occludens fores, alio oſtio ædibus exiit: ita vt iudicij metu Cicero Roma diſceſſerit. Interim Cæſar à bello reuerſus, rem aggreſſus eſt, quæ & tum magnam ipſi gratiam, & multum in poſterum potentiæ parauit, Pompeio autem ciuitatiq; grauiſſimum damnum attulit. Conſulatum enim ambiens primum, quia Craſſum cum Pompeio diſſentire, atque horum alterutrum ſe inimicum habiturum ſentiebat, ad conciliandos eos inuicem animum adiecit. Quod factum honeſtum alioquin, & ciuile, cauſam tamen habuit malam, eſtque ab eo inſidioſa callidirate ſuſceptum. Omnis enim reipub. vis, quæ antè diuiſa veluti ſcapham modo in hoc modo in alterum nutantem latus æquali momento addito librauerat, in vnum coacta tantū roboris effecit, cui obſiſti porrò nequiret, quin factione ſua totam rempub. euerteret. Quapropter Cato dicentibus diſſenſione Cæſaris & Pompeij (quæ pòſt inceſſit) ciuitatē peſſundari, reſpōdit male eos iudicare, qui extremum culpent: non enim eorum diſſidium & inimicitiam, ſed coitionem atq; concordiam primum, maximumq; reipub. damnum dediſſe. Cæterum Cæſar conſul creatus, illicò egenos ciuium adulans, legem de coloniis deducendis, agriſq; diuidendis tulit, imminuta magiſtratus maieſtate, cum de conſulatu tribunatum plebis quodammodo faceret. Repugnante Bibulo collega, eique ſumma vi opitulari Catone aggreſſo, palam ad roſtra Pompeium produxit, nominatimq; compellatum interrogauit, eáſne leges probaret: an-

*Pompeius Clodio addictus.*

*Cæſaris cōſulatus.*

nuentiq;, At si quis, inquit, vim legibus istis faciet, nónne plebi auxilium feres? Vtique, respondit Pompeius, adero, & contra eos qui gladios minantur, cum gladio clypeũ quoque afferam. Nihil ad eum vsq; diem insolentius Pompeius neq; dixisse neq; egisse visus fuit: adeoq; amici eius excusare aggressi, excidisse ei ex tempore id dictum asseruerunt. Sed quæ postea fecit, satis ostenderunt eum Cæsari se totum vtendum tradidisse. Iuliam enim Cæsaris filiam, Cæpioni iam desponsatam, paucis ante nuptiis destinatum tempus diebus præter omnium expectationem duxit, Cæpionis indignationem coniugij filiæ suæ, quæ Fausto Syllæ F. pacta fuerat, promissione leniens. Ipse autem Cæsar Calpurniam Pisonis filiam duxit. Proinde Pompeius vrbe militibus repleta, vi omnium rerum potestatem tenuit. Hi enim Bibulum consulem cum Lucullo & Catone in forum prodeuntem subito inuadentes, fasces eius perfregerunt, & quidam corbem stercore repletam in Bibuli caput effudit: duo etiam tribuni plebis eum comitantes sauciati sunt. Ita aduersariis foro pulsis legem agrariam pertulerunt: qua inescatus populus ad omnia cicurem se eis præbuit, vt nulli eorum instituto se opponeret, nihil inquireret, sed tacitus omnibus eorum decretis suo suffragio subscriberet. Confirmatæ proinde sunt constitutiones Pompeianæ, de quibus cum Lucullo ei lis fuerat: decretum etiam, vt Cæsar cũ quatuor legionibus vtranq; Galliam & Illyricum per quinquẽnium obtineret: consulesq; in sequentem annum designati Piso Cæsaris socer, & Gabinius, Pompeij asseclarum coryphæus. His actis Bibulus domi suæ se continuit, octoque integris sui consulatus mensibus in publicum nõ prodiit, emissis quibus vtrunq; traduceret atq; accusaret edictis. Cato autem veluti diuino furore concitus in Senatu quæ Pompeio essent, ciuitatiq; euentura prædixit. Lucullus rebus deploratis in ocium se dedit tempus ad rempub. gerendam suum se exegisse causatus. cùm quidem Pompeius dixit, senem intempestiuius voluptati quã rebus publicis vacare. Atq; hic ipse tamen Iuliæ amore statim emollitus, illique vni studens, plerunque in villis aut hortis suis agitabat vnà, neglectis rebus forensibus: adeo vt Clodius tum tribunus pleb. audacissima facinora ipso spreto conatus sit. Nam posteaquam Ciceronem vrbe exturbasset, ac

16 *Iuliã Pompeius duxit.*

*Lex agraria.*

in Cy-

in Cyprum amandasset Catonem, Cæsare in Gallias profecto, cùm populum sibi omnia in vulgi gratiam agenti deditum esse animaduerteret, continuo aggressus est quasdam Pompeij constitutiones conuellere. Itaq; & Tigranem abreptum secum tenuit, & amicos Pompeianos in ius traxit, vires Pompeij in eis periclitans: tandem cùm iudicij cuiusdam causa processisset in publicum Pompeius, parata hominum impurorum manu, loco conspicuo ipse constitit, atq; ita quæsiuit: Quisnam imperator est impudicus? quis vir virum deperit? quis vno digito caput scabit? ad hæc illi libidinosi homines, veluti chorus ad respondendum alternis instructus, ipso togam concutiente ad singulas quæstiones respondere, Pompeius. Hæc etsi Pompeius ægre ferebat, male audire non assuetus, & huiusmodi certaminum imperitus: maiorem tamē ex eo capiebat molestiam, quod sentiret Senatui pergratum esse ipsum contumelia affici, proditiq; Ciceronis pœnas dare. Sed vbi in foro ad vulnera vsq; certatum est, & quidam Clodianorum per turbā Pōpeiū circumstantē obrepens gladio armatus esse cōpertus est: hoc vsus prætextu, cùm alioqui petulantiā & maledicentiā Clodij formidaret, domi sese omni eo tempore, quod Clodiano tribunatui supererat, continuit, cum amicis deliberans, quánam ratione Senatus optimatiumque iram placaret. Et Culeoni quidem Iuliam dimittere, atque ab amicitia Cæsaris ad Senatum redire iubenti non paruit: Ciceronem Clodio infestissimum, & Senatui charissimum reducere hortantibus obtemperauit: productoque in forum fratre eius cum magno hominum agmine, manibus in foro consertis, & sauciatis multis, nonnullis etiam cæsis Clodium vicit, legemque de reuocando Cicerone obtinuit. In vrbem reuersus Cicero, confestim Pompeium in gratiam cum Senatu reposuit, legemq; frumentariam defendens, rursus quodammodo terræ marisque imperium P.R. Pompeio tradidit, in potestatem eius dando portus, emporia, fructuum venditiones & emptiones, denique & nauigantium, & terram colentium negocia. Clodius sanè non eò, quod annona deficeret, latam eam legem: sed penuriam inuectam, vt occasio esset legis ferendæ, per quam languēs iam eius deficiensque potentia, nouo imperio vires reciperet, causabatur. Alij Spintheris consulis technam fuisse affir-

*Clodius Pompeiū vexat.*

affirmant, Pompeio maius imperium deferētis, vt ipſe Ptolemæo regi opitulatum mitteretur. Et tamen Canidius tribunus plebis rogationem promulgauit, vti Pompeius cum duobus tantum lictoribus, & abſq; omni exercitu Ptolemæum Alexandrinis reconciliaret: quod cum inique pati Pompeius videretur, Senatus tamen metuere ſe ei viro prætendens irritum fecit. Repertæ etiam ſparſim in foro & ponè Curiam literæ, Ptolemæum pro Spinthere Pompeium poſcere aſſerentes. Timagenes Ptolemęum nulla coactum neceſſitate Ægypto ceſſiſſe, ſed à Theophane perſuaſum inquit, qui Pompeio pecuniæ faciendæ, nouorumque imperiorum materiam procuraret. Id non tam probabile Theophanis malitia facit, quam incredibile Pompeij natura, nequaquam ita malicioſe & illiberaliter ambitioſi. Cæterum rei frumentariæ procurationi præfectus, dimiſſis in varias partes amicis, ipſe in Siciliam, Sardiniam, & Africam nauigauit, & frumentum coegit. Inde Romam verſus oram cum vellet ſoluere, gŭbernatoribus ob magnitudinē venti mari incumbentis trepidantibus, primus in nauim ingreſſus anchoram attrahi iuſſit, Nauigandum ſibi neceſſariò, non neceſſariò viuendum inquiens. Huiuſmodi audacia & alacritate, proſperaq; ſimul vſus fortuna, frumento emporia, mare nauibus impleuit: ita vt externis quoq; hominibus is apparatus copiam rerum ſuffecerit, veluti ex fonte in oēs exundantem. Interim Gallica bella Cæſarem ad magnam potentiam euexerunt, cùm qui longiſſime ab vrbe cum Belgis, Sueuis & Britannis videretur concertare, is aſtute, neq; animaduertentibus aliis, interim in medio populi, ſummiſſque rebus artibus ſuis præſens Pompeium euerteret. Namque Cæſar bellica potentia, veluti perſona, tectus, corpus ſuum certaminibus contra barbaros, veluti verationibus exercebat, neque id tam aduerſus barbaros, quam vti potentiam ſuam inuictam, omnibuſque terribilem efficeret. Aurum verò argentumq;, & ſpolia, opeſq; iis bellis partas ingentes Romam mittens, muneribus ac ſumptuum ſuppeditatione ædiles, prætores, conſules, vxoribus quoq; eorum dona largiendo, corrumpebat. Ideo cum tranſgreſſus Alpes Lucæ hyemaret, magna virorum mulierumq; certatim ad ipſum confluentium multitudo fuit, ſenatores ducenti, interque hos Pompeius & Craſſus, & proconſulum

*Cæſaris technæ.*

præto-

prætorumque centum & viginti fasces ante fores Cæsaris conspecti. Ibi Cæsar cum reliquos omnes spe & pecunia onustos à se dimisisset, cum Crasso & Pompeio ita pepigit, vt hi consulatum pererent; & ipse multis ad suffragia ferenda missis militibus eorum petitionem adiuuaret: simul atque verò coss. designati essent, prouincias sibi ipsis & exercitus decerni curarent, ipsi autem Cæsari imperij, quod obtinebat, prorogationem in aliud quinquennium. Hæc eorum conspiratio postquam innotuit in vulgus, grauiter procesres reipub. offendit. Et Marcellinus coram populo vtrunq; percontatus est, petiturine essent consulatum: multitudoque respondere eum iuberet: fortassis petiturum se, fortassis non petiturum Pompeius dixit: ciuilius Crassus, Facturum se quod ex vsu reipublicæ iudicasset. Pompeius autem cùm à Marcellino vehementi oratione esset notatus, iniustissimum esse eum hominem respondit, qui ab ipso loquax de muto, & vomens de famelico factus, gratiam non haberet. Enimuerò omnibus à petitione consulatus abstinentibus, L. Domitio persuasit Cato, ne eam rem desperaret: non enim de magistratu, sed pro libertate contra tyrannos certamen fore. Sed Pompeius vehementiam Catonis timens, ne is senatum vniuersum à sua parte habens, quod sanum erat populi in suam pertraheret sententiam: Domitio ad forum descendenti armatos immisit, qui seruo lucernam præferente occiso, reliquos in fugam coniecerunt: quorũ nouissimus recessit Cato, dextrum cubitum dum pro Domitio propugnat, sauciatus. Hoc modo consulatu potiti Pompeius & Crassus, nihilo se moderatiores deinceps gesserunt. Primùm Catoni prætoram populo decernente, Pompeius de cœlo ostentum factum causatus concionem soluit: inde corruptis pecunia tribubus, Antiam & Vatinium prætores constituerunt. Deinde leges Trebonij tribuni plebis opera promulgârunt, Cæsari (vti pacti fuerant) aliud quinquennium, Crasso Syriam & bellum Parthicum, Pompeio vniuersam Africam, Hispanias, quatuorque (ex quibus duas Cæsari ad bellum Gallicum vtendas dedit) legiones decernentes. Et Crassus quidem omisso consulatu statim in prouinciam abiit. Pompeius autem extructo theatro, in eius dedicatione gymnica & Musica certamina edidit, venationesque in quibus quingenti leones interfecti sunt,

17 *Pompeius II. consul.*

18

item-

itemque pugnam elephantorum, maxime horrendum ſpectaculum. Propter hæc in admiratione habitus, & dilectus ab omnibus, eo tamen haud leuiorem ſibi inuidiam parauit, quod exercitum & prouincias amicis ſuis legatis mandans, ipſe per amœna Italiæ loca obambulans modo hic, modo alibi cum vxore degeret: ſiue amore eius captus, ſiue amantem ſui vxorem deſerere non ſuſtinens. Nam & hoc fertur, & Iuliæ inſignis in maritum Pompeium præter ætatis rationem amor celebratur: cui cauſam præbuiſſe videtur continentia viri, nullius prætet vxorem mulieris noticiam habentis, & grauitas, cõſuetudine non immodica, ſed gratioſa, & mulierum animos apprime trahenti vtentis. ſiquidem etiam Floræ teſtimonio habenda eſt fides. Comitiis ſane ædiliciis conflictu circa ſe orto, & cæſis haud paucis, ſanguine conſperſus veſtem mutauit Pompeius. Cruentam vero cùm ſerui curſim & cum tumultu domum referrent, Iulia tum prægnans veſte conſpecta animi deliquium paſſa eſt, ægreq; ad ſe rediit, iſq; adeo terror abortus ei cauſa fuit. Itaq; qui amicitiam Pompeij cum Cæſare maxime improbarent, amorem tamen erga vxorem non culpabant. Iterũ grauida facta, filiolam enixa è doloribus partus expirauit, ac filiolæ paucis pòſt diebus mors ſubſecuta eſt. Cùm in Albano coniugem ſepelire Pompeius ſtatuiſſet, populus vi eum coegit in campum Martium funus ducere, magis adeo miſeratione Iuliæ, quam in Pompeij Cæſariſve gratiam: tametſi alioquin maior populi pars ad hunc quam ad illum inclinaret. Statim enim à morte Iuliæ ciuitas fluctuabat, omnibuſq; in rebus æſtus, ſermoneſq; ad diſſidium facientes exiſtebant: affinitate, quæ eatenus occultauerat magis eorum virorum, quam inhibuerat principatus cupiditate, ſublata. Neq; diu pòſt Craſſum apud Parthos periiſſe renũciatum eſt. atq; hunc etiam magnum belli ciuilis obicem remotum eſſe apparet. Quippe antea vterq; huius metu, vtcunq; pactis inter ſeſe ſteterant. Sed vbi fortuna eum, qui certaminis eorum inſpector victori imminebat, ſuſtulit, ſtatim licuit Comici illud vſurpare:

*Iuliæ in Virum amor & mors.*

*Origo ciuilis belli.*

*Aduerſus alterum alter hic inungitur,*
*Hauritq; puluerem manibus.*

Vſq; adeo fortuna nihil eſt ad naturam, neque huius poteſt cupiditatem implere: quando hos duos viros tanta moles, tanta-

tantaq; amplitudo imperij cohibere non potuit. qui cum legendo & auditu percepissent inter ipsos Deos,

*Esse tribus mundum diuisum partibus omnem,* 19
*Vnumquenq; horum sceptris & honore potitum:*

sibi duobus sufficere Romanum imperium non putauerũt. Et quidem in concione aliquando dixerat Pompeius, se magistratum omnem expectatione citius occepisse, aliorumque expectatione citius deposuisse: & profectò eius rei testimonium habuit, quod semper exercitus statim dimisit. Verùm eo tempore Cæsarem intelligens non dimissurum copias, in eo fuit, vti ciuilibus magistratibus se aduersus eũ muniret: noui præterea nihil moliebatur, neq; diffidere socero, sed eum contemnere videri volebat. Pòst vbi magistratus non pro sua sententia conferri vidit, corruptis largitione ciuibus, passus est ciuitatem sine magistratibus esse: statimq; de dictatore mentio frequens per vrbem vagata est. Hanc primus publice facere ausus est Lucilius tribunus plebis, populo suadens, vti Pompeium diceret dictatorem: & Catone repugnante parum abfuit quin tribunatum amitteret. Pompeium amici præsentes multi excusabãt, qui neq; expeteret eum magistratum, neq; esset accepturus. Catonis porrò Pompeius reuerentia, hortantis vti decus reipublicæ curaret, effecit vti consules crearentur, Domitius & Messala. Paulo pòst iterum interregno existente, multisq; iam dictatoris mentionem impudentius referentibus, veritus Cato & qui idem sentiebant ne id vi à se extorqueretur, statuerunt legitimum aliquem magistratum Pompeio tradere, eaque ratione eum ab immodica illa & tyrannica potentia auertere. Ac Bibulus, Pompeio inimicus, in senatu primus omnium sententiam dixit, Pompeium sine collega consulem esse creandum: ita enim aut ciuitatem præsenti confusione liberatum iri, aut seruituram præstantissimo. ea cùm propter autorem absurda videretur sententia, Cato assurgens, cùm contrà dicturi opinionem de se præbuisset, Se quidem istius sententiæ autorem nunquam fuisse futurum dixit, sed prolatæ ab alio parendum censere: quemuis enim magistratum nullo sibi potiorem videri, neque esse, quem Pompeio rectius istis in tumultibus reipublicæ posse præesse sentiat. Quæ sententia vbi est à senatu approbata, decretumque vti Pompeius consul solus

*Pompeius solus consul.*

mag-

magistratum gerat, aut si collegam requirat, ne eum ante duorum mensium exitum deligat: ita à Sulpicio interrege consul creatus, peramice Catonem salutauit, fassusque se magnam ipsi gratiam debere, hortatus est vt priuatim consiliarius sibi esse vellet. Ad hæc Cato, Non esse sibi gratias agendas: nõ enim Pompeij, sed ciuitatis causa se dixisse sententiam: priuatim autem se vocatum, consilia communicaturum: sin verò, publicè quod ex vsu fore putaret dicturũ. Talis omnino fuit Cato. Cæterùm Pompeius vt in vrbem venit, Corneliam Scipionis Metelli filiam vxorem duxit, *Corneliã ducit.* morte P. Crassi (huic enim virgo nupserat) in Parthia nuper interfecti viduam. Erant ei iuuenculæ multæ præter formã amoris illecebræ, vt quæ literas, canere fidibus, ac Geometriam probe nosset, & cum fructu philosophos audire consueuisset, aberant quoq; ea vitia, quæ ex huiusmodi studiis iuniores mulieres contrahere solent, morositas & curiositas. Pater & genere & gloria erat minime contemnendus. Veruntamen nuptias istas eo nomine quidam improbant, quod aliena ætate essent contractæ, cum iam nurus, quam vxor Pompeij rectius esset Cornelia. At subtiliores ciuitatis statum neglectui fuisse Pompeio culpabant, cui ea, vt suarũ calamitatum medico, soli sese dedisset: ipsum verò serta ferre, & sacrificia nuptialia peragere, cum ipsum suum consulatum in cladibus patriæ numerare debuisset, quem nunquã ei salua respublica ita præter leges cõmisisset. Præterea iudicia & leges de ambitu statuerat, inq; iis iudiciis grauiter & sincere versabatur, iudicibusq;, cum armatis ipse præ- *Iudicia.* sidens, securitatem, ordinem, & quietem præstabat: verùm vbi Scipio socer ipsius in ius vocatus est, trecentos istos ac sexaginta iudices domum aduocãs, vt socero suo auxilium ferrent, deprecatus est: ita quidem vt actionem accusator dimiserit, Scipioni iudices è foro comites ire cernens. Ob hæc rursus in infamia versatus est. Auxit hanc, quod cùm lege lata laudari reos vetuisset, ipse in iudicium Planci laudandi causa venit. Cum quidem Cato, vnus iudicum, manibus aures obthurans, non licere sibi laudationem legibus prohibitam audire dixit. Et Catone tamen antè quam suffragium ferret amoto, cæterorum sententiis Plancus damnatus est cum dedecore Pompeij. Quippe Hypsæus homo consularis, reus factus & ipse, paucis post illud factum

ctum diebus Pompeium à balneo ad cœnam euntem cùm obseruasset, suppliciterq; genua tangens inuocasset, Pompeius sanè quam superbè eum præteriit, nihil ipsum efficere, sibi modò cœnam corrumpi dicens. Hæc eius inæqualitas in reprehẽsiones incurrit. Cærera præclarè in ordinem composuit, & in reliquos adhuc quinque menses socerum suum collegam sibi adsciuit. Decreto quoque Põpeio prouinciæ in quadriennium prorogatæ, & statutum, vti quotannis mille talenta ad alendas copias acciperet. Hoc initiũ amici Cæsaris nacti postulauerunt, vti huius quoque ratio aliqua haberetur, qui tot pro imperio Romano certamina obiisset: scilicet vt aut alter ei consulatus decerneretur, aut imperii tempus proferretur: ne quis alius superueniens laborum eius gloriam præriperet, sed ipse eo vsque imperaret, dum rebus confectis suis per ocium honoribus potiretur. Contentione super his postulatis exorta, Pompeius tanquam Cæsari cuperet, & inuidiam ab eo amoliretur, literas se Cæsaris habere dixit, quibus is affirmet, se successorem mitti sibi velle, & imperium abdicare. par tamen esse, vti absenti etiam consulatum petere liceat. Hæc cùm à Catone impugnarentur, priuatum positis armis petere à ciuibus præmia iubente, Pompeius dimissa contẽtione & quasi victum se fassus, suspicionem sui in Cæsarem animi ostendit. Quin & Parthici belli prætextu repetiit ab eo quos vsui dederat milites: quos Cæsar, tametsi causam non ignoraret, præclarè donatos ei remisit. Secundum hæc Pompeius Neapoli ex periculoso morbo cõualuit: & Praxagoræ suæ su Neopolitani sacris pro salute eius operati sunt. Horum exemplo vicinis totáque deinceps Italia ducta, omnis & parua & magna ciuitas festos dies aliquot egit, occurrentibus autem Pompeio nullus satis fuit amplus locus: omnia itinera, pagi, portus conuiuantium & sacrificantium erant pleni, multi coronati prelatis facibus eum excipiebant, floribusque passim in eum coniectis comitabantur: ita vt reditus iste ad vrbem eius splendidissimi spectaculi loco fuerit. Et verò traditum est, nullam aliam grauiorem belli ciuilis causam hac ipsa pompa fuisse. Etenim rerum gestarum memoriæ ingẽs gaudium additum, ita animum eius inflabat, vti cautionis adhibendæ (qua ratione antehac vsus ad tutum locum actiones suas successusque perduxerat)

*Pompeij morbus.*

*Securitas.* securus immodica audacia Cæsaris potentiam sperneret, nihil sibi contra eum armis aut labore opus futurũ, multóque nunc facilius, quàm antè euectus fuisset, opprimi à se eum posse arbitrans. Sub hæc Appius eos, de quibus dictum est, Pompeianos milites ex Gallia à Cæsare reducès, mirum in modũ Gallicis rebus eleuatis, Cæsari obtrectauit, Pompeium nõ rectè suarum virium conscium esse dicens, qui se alienis contra Cæsarem armis muniret, quem suis ipsius copiis posset pessundare: tantũ enim esse odium militum in Cæsarem, tantumque Pompeii desiderium, vt statim ad hunc semel conspectum sint tranſituri. Quamobrem Pompeius eò confidentiæ, & propter hãc negligentiæ peruenit, vt eos qui bellum metuerent, risui habuerit, dicentibusque non videre se copias quibus Cæsari aduersus Vrbẽ ducenti possint obsistere, subridens & hilari vultu respõderit, bono ipsos esse animo debere: Ego, inquiens, cùm primùm Italiæ solum pede percussero, peditum equitumq; turmæ erumpent. At verò Cæsar vehementius iam ipsam rem tractabat, ipse non procul ab Italia versans, milites subinde Romam ad comitia mittens, pecunia autem multos magistratum gerentes occultè corrumpens: inter quos fuit etiam Paulus consul, qui M D. talentis suam Cæsari sententiam addixit, & Curio tribunus plebis, ingenti ære alieno à Cæsare liberatus, & M. Antonius debiti ob Curionis amicitiam socius. Deprehensum quidem fuit, quendam de Cæsarianis centurionibus cùm ad Curiam adstitisset, audiuisséque tempus prorogandi imperii postulatum Cæsari non dari, manu gladium pulsasse, ac dixisse, Attamen hic dabit: & eódem spectabant quæ agebantur, ac quæ parabantur. Curionis tamen pro Cæsare postulata magis videbantur popularia. Alterutrum enim horum petebat, vt aut Pompeius etiam exercitum dimitteret, aut ne Cæsar quidem hoc facere iuberetur: aut enim priuatos æquali conditione, aut si ita maneant, suo vtrunque statu contentos fore: qui verò alterutrius vires imminuat, eum alterius potentiam, quæ quidem vtrinque metuatur, augere. Aduersum hæc Marcello Cæsarem prædonem appellante, hostémque decerni, nisi arma deposuisset, iubente: Curio tamen & cum eo Piso atq; Antonius senatum coarguerunt. iusserunt enim eos qui solum Cæsarem arma deponere,

*Cæsaris actiones & postulata.*

nere, Pompeium magistratum retinere vellent, secedere: & plerique omnes secessionem fecerunt. Iterum iusserunt eos qui vtrunque dimisso exercitu priuatum esse vellent, secedere: & pro Pompeio viginti duo solùm, pro Curione reliqui omnes steterunt. Itaque Curio veluti victor gaudio elatus ad populum se proripuit, plausu & florum sertorumque iactationibus exceptus. Non aderat tum in senatu Pompeius: nam qui exercitui præsunt, vrbem non ingrediebantur. Marcellus autem surgens, Non, inquit, hic porrò sedens orationes audiam: sed quia decem legiones iam Alpes transire cerno, ipse quoque ibo vt emittam qui pro patria propugnet. Simul, vt in luctu, atras vestes sumpserunt. Marcellus autem senatu comitante per forum ad Pompeium profectus, vt contrà adstitit, Iubeo, inquit, te Pompei auxilium patriæ ferre, copiis quas habes vti, exercitum alium conscribere. Idem quoq; Lentulus consulum designatorum alter dixit. Pompeio autem delectum instituenti, partim nomina non dederunt ciues, partim ægrè & nulla cũ alacritate, pleriq; pacificationem clamore poscebãt. Etenim Antonius apud populum inuito etiam senatu epistolam Cæsaris recitauerat, vulgo gratas conditiones habentem: nam hoc poscebat, vt prouinciis exercituq; dimissis vterq; apud populum suorũ factorum rationes redderet. Lentulus porrò iam consul, senatum non habebat. Cicero tum ex Cilicia reuersus, paci studebat, hac conditione proposita, vti Cæsar relicta Gallia Illyricum & duas legiones retinens, alterum cõsulatum expectaret: & Pompeio hîc se difficilẽ præbente, Cæsarianis persuasit, vt alteram quoq; legionem remitterẽt. Lentulo tamẽ repugnante ac Catone Pompeium iterũ deceptum peccare clamante, pacificatio ea irrita fuit. Interim Cæsarem capto Arimino (quę magna est Italiæ vrbs) cum omnibus copiis ad Romam tendere nunciatur. Erat hic nuncius vanus: cum trecentis enim tantùm equitibus & quinque legionariorum milibus ibat. non præstolatus reliquum, qui adhuc trans Alpes erat, exercitum, quòd subitò irruere in perturbatos & nihil tale expectantes, quàm ad bellum parandum tempus concedere mallet. Atque vbi ad Rubiconem amnem, qui ipsius prouinciam terminabat, peruenisset, tacitus substiterat, magnitudinem conatus sui secum aliquandiu

*Pompeio bellum cõtra Cæsarẽ mandatũ.*

*Cicero pacẽ studet.*

*Cæsar irã ruit.*

reputans: pòst, quemadmodum qui se à præcipitio in profunditatem immensam demittunt, oculos comprimere solent, animo conniuens præ tam grauibus ausis, idque tantùm Græcè ad præsentes vociferatus, iacta esto alea, exercitum traduxit. Fama rei primùm allata Romam, maiore quam vnquam anteà accidisset trepidatione, terrore, metuque vrbem repleuit: ac statim ad Pompeium senatus & qui cum magistratu erant cõuenire. Ibi cùm Tullius Pompeium de copiis percontaretur, isque cunctanter responderet, trepideque exercitum à Cæsare sibi paratum venire, sperare etiam se quos anteà ad triginta millia conscripserat celeriter contracturum, altum exclamans, Fefellisti nos Pompei, suasit vti ad Cæsarem legati mitterentur. Et M. Fauonius, vir non improbus, sed qui contumacia & petulantia sæpenumero Catonianam in dicendo libertatem æmulari se posse putaret, Pompeium pede terram ferireiussit, &, quas pollicitus fuisset, euocare copias. Quod tamen tam importunum dictum æquo animo Pompeius tulit. Idem Catoni in memoriam reuocanti, quæ de Cæsare olim ei prædixisset, Verùs quidem Catonem vaticinatum, à se autem amiciùs actum respondit. Cato cùm consilium dedisset, vti Pompeius dux cũ mero imperio belli crearetur, (etenim eiusdem esse magna excitare mala, & compescere) statim in Siciliam abiit, quæ ei prouincia obtigerat: eodémque in suas singuli modo profecti sunt. At verò tota Italia excitata, magna erat consilii inopia: vndique enim Romam confugiebatur, cùm Romani ipsi vrbem relinquerent, tanta in tempestate & tumultu, quòd pauci ciuium vtiles, plerique magistratibus intractabiles essent. Non enim trepidatio reprimi potuit, neque suis rationibus Pompeio vti licebat: sed vt quisque timebat, dolebat, aut dubitabat, ita statim suum affectum ad Pompeium deferebat, eodémq; ipsum pertrahebat, vti eodem die varia & diuersa statueret. De hostib. autem nihil certi poterat cognoscere, quòd plerique obuios quosque rumores referrent, fidémq; non habenti succenserent. Ita demum Pompeius tumultum esse decreuit, edictóque vti omnes ipsum senatores sequerentur, qui remansisset eum Cæsarianum à se habitum iri: imminente iam nocte vrbe exiuit. Consules quoque non factis, quæ initiò belli consueuerunt, sacrificiis Roma fugerunt.

*Pompeius Roma cedit.*

gerunt. Mira tamen fuit periculosissimo etiam isto tempore hominum in Pompeium beneuolentia, quòd plerisque militiam istam culpantibus nemo ducem odio habuit: ac plures quòd Pompeium deserere non possent, quàm spe libertatis eum secuti sunt. Paucis pòst diebus Cęsar Romam venit, omnibus sese benignum præbens, animosq; ciuium placans: nisi quòd Metello tribuno plebis pecuniam ipsum exærario accipere prohibenti, mortem minatus est, voçe quàm minæ ipsæ essent asperiori addita, Minari hoc, quàm facere, sibi esse difficilius. Reiecto hunc in modum Metello, acceptis quæ opus haberet, Pompeio insequendo se dedit, eiicere eum ex Italia antequã exercitus ex Hispania ei coniungeretur, festinans. At Pompeius Brunduſio occupato, naues ibi nactus, consules cum triginta cohortibus Dyrrachium præmisit: Scipionem socerum, & Cneum filium in Syriam classis parandæ causa amandauit. Ipse obstructis portis, in muris expeditissimos militum collocauit, & oppidanis mandato vti se domi quisque suæ continerent, totam intus vrbem suffodit, omnesque vicos actis palis valauit, duobus, qui ad mare pertinerent, relictis. Tertio die cùm multitudo iam tutò naues conscendisset, murorum custodibus subitò signum dedit, celeriterque decurrentes ad se recepit, & auectus est. Cæsar vt desertos muros vidit, fugam factam sentiens, parum abfuit quin hostem insequens in sudes & fossas incidisset: monitu tamen Brundusinorum vrbem vitans, eáque ambita ad mare perueniens, auectos esse omnes, præter duo nauigia paucis militibus onusta deprehendit. Omnes alii scriptores hanc Pompeii ex Italia fugam, inter præstantissima strategemata ponunt. Cæsar verò mirari se ait, quòd vrbem tenens munitam, exercitum ex Hispania expectans, mare præterea obtinens, Italiam reliquerit. Incusat etiam Cicero, quòd Themistoclis potiùs quam Periclis consilia imperatoria imitatus sit, rebus hunc non illum requirentibus. Atque ipse profectò Cæsar re ipsa ostendit, se sibi plurimum à tempore metuisse. Cùm enim Numerium Pompeii amicum cepisset, Brunduſium eum misit, ad æquas pacis conditiones Pompeium prouocans: sed Numerius inde cum Pompeio auectus est. Post hæc sexaginta dierum spacio tota Cæsar Italia, nullo quidem sanguine facto, potitus, cùm statim persequi

*Apparatus Pōpeij & copiæ.*

Pompeium cogitaret, nauibus destitutus in Hispaniam se conuertit, vt Pompeianas ibi copias ad se pertraheret. Interim magnæ ad Pompeium conuenerunt copiæ: classis planè inuicta, in qua præter quingentas ad prœlium instructas naues, liburnarum & speculatoriorum nauigiorum ingens erat numerus: equites Romani & Itali septem millia, flos hominum genere diuitiis audaciaque præstantium. Peditatum autem commixtum, & exercitatione opus habentem Berrhœæ instituebat, non ociosus ibi desidens, sed iuuenis in morem exercitationibus deditus. Magnum enim ad audaciam momentum ipse afferebat, cùm natus annos duodesexaginta cerneretur pedes in armis certare, deinde eques promptè stringere gladium currente equo, & in vaginam nullo labore recondere, in iaculationibus non certitudinem modò ostendere, sed eminus iacere tanta vi, vt multi iuuenum superare non possent. Concesserunt ad eum reges quoque & reguli, principúmque ex vrbe virorum tantus numerus, vt perfectum senatum expleret: tum Labienus Cæsare, cuius amicus & legatus in Gallia fuerat, relicto: & Brutus, filius eius Bruti quē in Gallia Pōpeius occiderat, vir magnanimus, & qui Pompeium, vti patris sui interfectorem, nunquam antè salutasset, verbóve cōpellasset, tunc ei se vt liberatori patriæ submittebat. Cicero etiam, quamuis aliter & scripsisset & consuluisset, turpe tamen sibi fore iudicauit, si non se quoq; ei parti, quæ pro patria propugnabat, adiūgeret. Venit & Tidius Sextius ad eos in Macedoniā, extrema senectute, & altero crure mutilus: quem cùm reliqui riderent & exibilarent, accedēti Pompeius assurrexit, & occurrit, magnū pro se ratus testimonium, quòd præter ætatem & vires quidam securitati commune periculum anteponerent. Senatu inde conuocato, ex sentētia Catonis decretū est, ne quis Romanorum extra prœlium occideretur, néve vlla vrbs Romanis subdita diriperetur, id decretum multum fauoris Pompeianis partibus conciliauit. Nam & quibus vel procul diffitis nihil eius belli intererat, vel qui ob tenuitatem negligebantur, ipsa tamen ij voluntate assentiebantur, verbisq; pro iusticia vnà propugnabant, diis hominibusque inimicum iudicantes, qui non victoriā Pompeii esse vellet. Neque vero Cæsar victoria sua iniquè vsus est. Nam & captis in Hi-

in Hispania Pompeii copiis, duces dimisit, militesque ad se recepit: & cùm rursum superatis Alpibus Italiaq; peragrata Brundusium sub ipsam brumam veniisset, atq; inde Oricum traiecisset, Vibullium amicum Pompeii, quem tum captiuum tenebat, ad Pompeium misit, hanc conditionem 22 eiferens, vti inter se congressi vterq; intra tertium diem copiis dimissis, inita denuò amicitia, & sacramento dato, in Italiam reuerterentur. Hæc Pompeius insidias esse putauit: itaque statim ad mare degressus, loca terrestribus castris apta & munita occupauit, stationesque & portus nauibus à mari accipiendis tutos: vt iam omnis ventus ipsi spirauerit, annonam, milites, aut pecuniam subinde afferens. Cæsar contrà difficultatibus terra mariq; circumuentus, pugnam expetere coactus, identidem oppugnauit castra, & ad prœlium prouocauit. Leuibus autem conflictibus plerunq; victor, semel parum abfuit quin toto amisso exercitu attritus fuisset: cùm Pōpeius præclara pugna totū hostilē exercitū fudit, duobus hominū millibus cæsis, in castra tamen vnà cum fugientibus irrumpere aut nequiuit aut nō est ausus. Tū quidē Cæsar amicis dixit. Ea die victoriam penes hostes fuisse, si ducem vincēdi gnarum habuissent. Proinde hoc elati successu Pompeiani, prœlio decernere festinabant. At Pompeius, rametsi absentibus regibus, ducibus, & vrbibus scripsisset se victoria potitum, pugnæ tamen periculum formidabat, statuebatque tempore & penuria debellare homines armis quidem inuictos, & qui vincere simul multis iam annis consueuissent: sed qui ad cætera militiæ onera, cum hinc inde proficiscendum & vagandum, fossæ agendæ, muniendæ vrbes essent, præsenectute animos despondissent, ideóque manum conserere quàm primùm cuperent. His rationibus ab initio vtcunque persuasit suis, vti quiescerent. Sed vbi Cęsar secundum eam pugnam penuria compulsus mouit, ac per Athamanes in Thessaliam profectus est: non iam compesci porrò temeritas Pompeianorum potuit, quin fugere Cæsarem clamantes, partim insequi eum, partim ire in Italiam iuberent. Fuerunt qui seruos & amicos Romam mitterent, ædes foro vicinas occupatum, tanquam mox magistratus petituri. Quidam sua sponte ad Corneliam (quam in Lesbum emiserat Pompeius) nauigarunt, confectū esse bellum

*Pompeij victoria & cōsilia.*

nunciantes. Aduocato senatu Afranius consuluit Italiam arripiendam esse, maximum scilicet eius belli præmium: hanc tenentibus statim accessuram Siciliam, Sardiniam, Corsicam, Galliam omnem: & patriam, cuius potissimùm habēda sit ratio, eminus iam manus protendentē, minimè negligendam Pompeio, neque ferendum vt ea contumeliis pressa tyrānorum seruis & adulatoribus porrò seruiat. Pompeius neque glorioſum ſibi fore dixit, ſi Cæſarem denuò fugeret, cuius inſequendi fortuna ſibi locum dediſſet: neque pium eſſe Scipionem virosque in Græcia & Theſſalia conſulares deſtituere, ſtatim cum copiis & opibus magnis in poteſtatem Cæſaris venturos: Romæ autem curam vel maximè gerere, qui præſtet ei, vti bello quàm longiſſimè remoto ea interim illęſa victorem expectet. Hoc ita decreto, Cæſarem ſtatuit perſequi, certus animi prælio non congredi, ſed proximè inhærens penuria eum oppugnare atque conficere: cùm quòd ita ex vſu eſſe ſentiret, tum quòd rumor ad eum allatus erat, ſparſus inter equites, ſtatim profligato Cæſare Pompeium quoque eſſe opprimendum. Quidam perhibent eum propterea Catonis quoque opera nulla magna in re vſum, & cùm ad perſequendum Cæſarem proficiſceretur, ad mare eum cuſtodiendorum impedimentorum cauſa reliquiſſe, quòd metueret ne is occiſo Cæſare ſtatim ipſum quoque imperio ſe abdicare cogeret. Itaque hoſtium veſtigiis ita per ocium inhærens, obtrectationibus aduerſisque clamoribus locum dedit, ac ſi id conſilium non Cæſaris euertendi, ſed patriam & ſenatum decipiendi cauſa ſuſcepiſſet, vti ſemper cum imperio eſſet, atque iis qui ſibi in orbem terrarum imperium arrogarent, famulis ſtipatoribusque vteretur. Domitius etiam Ahenobarbus inuidiam ei conflauit, Agamemnona identidem, & regem regum nominando. Fauonii quoque intempeſtiua dicacitas non minus quàm aliorum liberæ voces moleſta fuit, vociferantis crebrò, Ne hoc quidem anno, ô viri, licebit nobis ficubus Tuſculanis veſci. Et L. Afranius, qui in Hiſpania copias amiſerat, proditionisq; eo nomine inſimulabatur, cùm Pompeium pugnam ſubterfugere videret, mirari ſe dicebat, cur accuſatores ſui nō ad pugnandum contra emptorem prouinciarum procederent. Hæc illi, multaque id genus alia dictitantes, Pompeium

peium existimationis retinendæ cupidum, amicorumque *Suorũ im-*
verecundia victum compulerunt, vti optimis cõsilijs omis- *portunitas-*
sis, voluntates eorum spesque sequeretur. Quod sanè vel *si cedit.*
nauis gubernatori indecorum erat facere, nedum tot gen- "
tium exercituumque imperatori. atq; is medicos laudare
solitus, qui nihil vnquam ægroti cupiditatibus quicquam
indulsissent, malè sanis in exercitu suo ducibus concessit,
metuens ne salutem afferendo molestus esset. Sanos enim
illos ego neq̃aquam censuero, qui in castris obambulan-
tes, iam tum consulatus & præturas ambiebant: & quidem
Spinther, Domitius & Scipio de pontificatu Cæsaris ma-
ximo litigabant, & suffragia iam tum aucupabantur. qua-
si verò Tigranem hostem oppositum haberent, aut re-
gem Nabatæorum: non Cæsarem ijs cum copijs, cum qui-
bus mille vrbes expugnauerat, populos trecentis plures
domuerat, cum Germanisque & Gallis inuictus depugna-
uerat, innumerabiliaque prœlia fecerat, mille captiuo-
rum millia abduxerat, mille hostium millia interfecerat.
Enimuerò vrgentes Pompeium tumultuantesque, vt in
Pharsalicos campos peruẽtum est, Senatum aduocare coe-
gerunt: ibi Labienus magister equitum primus omnium
surgens, iurauit se nisi fusis hostibus ex prœlio non redi-
turum, eodemque modo cæteri omnes iurauerunt. Noctu in *Ostenta.*
somnis visus est sibi Pompeius in theatrum ingredi, applau-
dente populo, & multis ornare spolijs templum Veneris vi-
ctricis. Eo insomnio partim confirmatus est, partim terri-
tus, metuens ne Cæsari, qui ad Venerem genus suum refere-
bat, gloriam ipse & splendorem adferret. Panici quoq; ter-
rores in castris exorti ipsum excitauerunt. Matutina vigilia
in castris Cæsaris summo silentio, ingens lumen effulsit, at-
que inde fax flammea accensa super Pompeij castra decu-
buit: hoc se Cæsar ipse, cùm excubias inspiceret, vidisse ait.
Orta luce, cùm Scotusam versus proficisci statuisset, ac iam
tabernacula milites demolirentur, & iumenta calonesque
præmitterent, exploratores annunciant multa in castris
Pompeij arma hinc inde circumferri, tumultumq̃ae esse &
agitationem qualis ad pugnam exeuntium assolet: post hos
alij primos iam ordines aciei instructos referunt. Tum Cæ-
sar, expectatum illum diem adesse inquiens, vbi non cum fa-
me & egestate, sed cum hoste sit pugnandum, celeriter ante

tabernaculũ puniceam togã (hoc pugnę signũ est Romanis) ſuſpẽdi iuſſit. Quæ vt à militib. eſt conſpecta, effuſo gaudio atq; clamore omiſſis tabernaculis arma rapuerũt, & à ducto ribus in ſuum quiſq; locũ ducti, veluti chorus quidã abſq; omni turba cõpoſitè ſuum ſinguli ordinẽ ſeruauerunt. Pompeius dextrũ cornu Antonio oppoſitũ cepit, mediam aciem Scipioni ſocero tuendã cõtra Domitium Caluinũ dedit, ſiniſtrũ L. Domitius Ahenobarbus ducebat, equitatu multo munitum: huc enim ſe omnes ferè contulerat, vti decimam legionem, quæ maximè virtute bellica erat nobilis, diſijcerent, Cæſaremque in ea pugnam obire ſolitum funderent. Verùm Cæſar cùm læuum hoſtium cornu tam valido equitatu ſtipatum cerneret, armorum ſplendorem metuens, ſex cohortes ex ſubſidijs euocauit, & à tergo decimæ legionis collocauit: mandato vti quieſcerent, neq; ſe conſpicuendos hoſtibus darent, atq; vbi equites hoſtium impetũ dediſſent, tum ipſi per primã aciem ſeſe proriperent, neq; tum (vti ſolent fortiſſimi facere militum, ad rem gladijs gerendã properantes) pila abijcerent, ſed ijs altiùs coniectis oculos & facies hoſtium impeterẽt. Etenim formoſos illos & ætate florentes ſaltatores, neq; oculos attollere aduerſus ferrum præſens auſuros. Hæc Cæſar agebat. Pompeius verò ex equo aciem inſpiciens, cùm hoſtes loco ſe tenere, & tempus pugnę compoſito ordine expectare cerneret, milites autem ſuos præ imperitia æſtuare ac tumultuari, ac vix ſe continere, metuens ne initio pugnæ à ſe inuicem diuellerentur, primam aciem tuentibus mandauit, vti loco perſiſterent, impetumq; hoſtium conſtanter exciperent. Id conſilium Cæſar reprehendit: nempe ictuum violentiam, quæ excurſu intenditur, retudiſſe eum: præterea impetu illo (qui impetus inter excurrendũ in hoſtem pleroſq; incẽdit & quaſi furore quodam incitat, ac cũ clamore & curſu ardorem pugnandi auget) repreſſo, animos eum ſuorum refrigeraſſe. Erant in exercitu Cæſaris XXII. millia: in Pompeiano duplo parum minores numero. Cùm vtrinq; ſignum pugnæ datum eſſet, claſſicumq; arma expedire monuiſſet, gregarij milites ſinguli de ſe erant ſoliciti. Pauci ex optimatibus Romani, quidámq; Græci ſpectatores pugnæ, cũ iam iam conflicturę eſſent acies, reputauerunt quem in locum cupiditas pertinaciaque imperium Romanum deduxiſſent. Erant & arma

*Prælium Pharſalicum.*

cogna-

cognata, & ordines germani, & communia signa, vniusque vrbis virtus & potentia in seipsam conuertebatur, ostendēs quā cæca & insana sit humana natura, cū affectibus fertur. Poterat enim vterq; ducum quietus iam imperare, & terra mariq; partis virtute sua ditionibus totum propè mundum complectentibus frui. Sin cupiditati trophæorum & triumphorum siti indulgendum putassent, licebat eam Parthicis aut Germanicis bellis restinguere. Restabant etiam Scythia & Indi, quas barbaras gentes velle cicurare haud erat inglorius cupiditatis prætextus. Quis enim Scytharū equitatus, aut Parthorum sagittæ, aut Indorū diuitiæ septuaginta armatis Romanorū millibus restitissēt, idq; Pompeio & Cæsare ducibus? quorum nomina priùs quam Romanorū audierant, adeò inaccessas ij multas, ferasq; gentes vincendo peragrauerant. Ij tum ad depugnandum inter se coibant, ne gloriam quidem suam, propter quam patriam in id malorum coniecerant, miserati: cùm eum vsq; ad diem vterque inuicti cognomen tenuisset, nam affinitatem illam & Iuliæ amorem, nuptiasque, statim ab initio apparuit fraudem esse, dubiæque fidei, & veræ amicitiæ expertis ac necessitatis causa initæ societatis obligationem. Posteaquam Pharsalij campi viris, equis, & armis repleti fuerunt, signumque conflictus datum, primus ex Cæsaris acie procurrit C. Crastinus, manipuli centum & viginti virorum dux, & quod Cæsari splendidè promiserat, egregiè repræsentauit. Etenim cum primus Cæsari castris exeunti visus, ab eoque salutatus & interrogatus fuisset, quid animi de pugna futura haberet, manu sublata clamauerat: Victoria magnifica potieris ô Cæsar: me autem vel viuum hodie, vel mortuum laudabis. Huius tunc promissi memor, impetu facto, multisq; suorum secum vnà abreptis, in medios hostes irruit. Hic statim pugna ad gladios perducta, multisque cæsis, conanti prorumpere, & primum quenque ferienti gladium aliquis in aduersum os ita impulit, vti mucro in occipitio impingeret. Cæso Crastino, aliquandiu in ea parte æqualis fuit pugna. Pompeius autem dextrum cornu nō statim mouit, sed oculos in vtranq; partem torquēs, & quid equites acturi essent intentus morabatur. Iam tum ij turmas explicuerant, vti Cęsarem cingerent, obiectisque hostium equitibus pulsis pedestrem aciem inuadebant. Ast vbi Cæsar signum dedit,

dedit, equitibus sese recipientibus, cohortes (quas in subsidio legionis decimæ positas dixi: erant autem tria virorum millia) vt circundari aciem prohiberent procurrere, obiectique hostium equitatui, directis (vt moniti fuerant) in sublime pilis vultus eorum impetierunt. Sed Pompeiani equites omnis pugnæ rudes, ad hanc verò neq; expectatione neque disciplina instructi, non sustinuerunt ictus in oculos oraque ingestos, sed manibus facies tegentes tutpiter retrò auerti sunt. Fugientes Cęsariani omiserunt, & impeditatum, quâ is maximè nudatus equitum ala & circumuentu facilis erat, irruerunt: atque simul his ex obliquo ingruentibus, à fronte decima legio inuasit, non subsistentes, neq; ordines aciei seruantes, cùm quo modo se circumuenturos hostem putassent, eo se circumdari viderent. His quoque fusis Pompeius vbi puluerem vidit, & quid equitibus accidisset conIecit, quod secutus consilium sit, difficile dictu est: maximè autem attonito, & de potestate rationis deturbato similis, neque cogitanti quòd Pompeius Magnus esset, neminem allocutus lento gressu in castra abijt. Et omnino in eum versus hi quadrabant:

*Aiaci incussit tunc Iupiter ipse timorem:*
*Attonitus stetit, atque in dorsum tergora scuti*
*Reijciens septena boum, late omnia circum*
*Prospiciens, turbamq; hominum.*----

Talis tunc Pompeius vt in tentorium venit, tacitus consedit, donec fugientibus multi hostium instantes vnà in castra irruperunt. Ibi hac vna edita voce, Ad castrane etiam? nihil præterea locutus, veste qualis præsenti fortunæ conueniebat indutus, aufugit. Fugam reliquæ etiam legiones fecerunt, & in castris magna calonum & eorum qui tabernacula custodiebant cædes fuit. Sex modò militum millia cecidisse Asinius Pollio scribit, qui in ea pugna Cæsari adfuit. Captis castris amentiam & vanitatem Pompeianorum viderunt. Omnia enim tabernacula myrto fuerunt coronata, veste stragula versicolori exornata, mensę poculis instructę, appositi crateres vini, atq; omnino is apparatus, qualis hominum sacrificantium & festos dies agentium est potiùs, quam ad pugnam euntium: hac illi spe perditi, & insana temeritate capti, ad bellum accesserant. Pompeius paululum extra castra progressus, equum dimisit, paucisque admodum

modum comitatus cùm nemo hostium insequeretur, tacitus abijt, ijs in cogitationibus versans, in quas venire parerat virum qui triginta quatuor annis omnes superare solitus, tunc primùm in sua senectute quid esset vinci & fugere sentiret: tum reputantem, quantam gloriam potentiamq; multis certaminibus bellisq; auctam vnius horæ momento amisisset, vt paulò antè tot militibus, equis, nauibusque stipatus, adeò nunc destitutus & abiectus discederet, vti hostes etiam inquirentes falleret. Inde Lariſſam transgressus, vt ad Tempe venit sitibundus, in faciem se sternens aquam Penei hausit: atque inde surgens per Tempe vsque ad mare iter fecit. Ibi noctis reliquũ in piscatoria casula exegit: circa auroꝛã in fluuiatilem lembum ingressus, de comitibus, ingenuos ad se recepit, seruos abire ad Cæsarem bono animo iussit. Inde oram legens, ad iustæ magnitudinis onerariam nauim peruenit, cui præerat Peticius quidam vir Romanus, qui Pompeium de facie nouerat, nihil alioquin admodum cum eo commercij habuerat. Ei præterita nocte in somnis visus fuerat Pompeius, non qualem sæpe viderat, sed abiectus & mœstus secum colloqui: idq; tum vnà nauigantibus insomnium exponebat (sicuti solent homines ocioſũ huiusmodi de rebus cõfabulari) cùm subitò quidam nautarum ei dicit, videre se fluuiatilem lembum à terra remigio adigi, hominesque quosdam vestes concutere, manusque versum ipsos protendere. Peticius itaque inhibito remigio, confestim Pompeium, qualis ei per insomnium apparuerat, agnouit, feriensque caput, scapham aduertere eis iussit, manusq; intendens Pompeium vocauit, fortunam viri ex ipso habitu intelligens: quare non præstolatus preces aut orationem Pompeij eo, & quos is iubebat (duo autem hi erant Lentuli, & Fauonius) receptis prouectus est: paulo pòst ad ipsos à terra contendentem Deiotarum receperunt. Sub tempus cœnæ, cùm nauclerus pro præsenti copia instruxisset, Fauonius Pompeium cernens inopia famulorum ipsum lauare & vngere sese, accurrit, eumque lauit, & vnxit, atque in posterum omnia seruitia vsque ad pedum etiam lotionem & cœnæ administrationem obiuit. Qui ministerij eius liberalitatem inspexisset simplicis, & ab omni simulatione puri, is vtique dicturus fuerit,

*En, omnia ingenuos & egregiè decent?*

Ita

Ita vectus Amphipolim Pompeius, Mitylenen indè traiecit, filium & vxorem ibi assumpturus. Vt ad littus insulæ appulit, nuncium in vrbem misit Corneliæ, quæ annunciatis & scriptis sibi delinita, hoc vnum opinabatur Pompeio restare, vt bello iam ad Dyrrhacchium confecto Cæsarem persequeretur. His eam intentã cogitationibus accessit nuncius, & salutatione omissa, potissima & pleraq; malorũ lacrymis magis quã voce indicans, properare iussit, si Pompeium vna & aliena aduectum naui cernere velit. Quod vt audiuit Cornelia, humi procubuit, & aliquandiu mentis vocisque impos iacuit: vix tandem ad se redijt, intelligensq; non hoc lamentandi esse & flendi tempus, ad mare per vrbem excurrit: occurrentiq; Pompeio, obuijsq; vlnis labantem, in ipsumq; corruentẽ tenenti, Video, inquit, te marite, non tua sed mea fortuna ad vnicũ nauigium recidisse, qui ante Corneliæ nuptias quingẽtis nauibus per hoc æquor vehebaris. Quid me visum venisti? cur me non aduerso meo fato reliquisti, à qua in te etiam tantum redundauit calamitatis? Ah quã felix fuissem mulier, si ante quàm P. Crassum, cui virgo nupsi, in Parthis occidisse renunciatũ fuit, mortẽ obijssem: quam verò laudabilis, si (quod conata fui) eo mortuo vitam proiecissem. nunc in hoc me seruatam video, vti Pompeio Magno cladem afferrem. Hæc eam locutam, Pompeium sic respondisse memorant: Prosperã nimirum, ô Cornelia, fortunam tantùm noueras, quæ te (vti sentio) decepit, medium. tius quã moris eius est complexa. Sed tamen & hęc ferenda nobis sunt, quippe hominibus: & periclitanda porrò fortuna. neque enim desperandum est posse nos ex hoc casu ad pristinũ statum redire, cùm ex eo huc redacti simus. Exinde Cornelia opes & famulos ex vrbe acciuit. Mitylenęos autem Pompeius salutatũ egressos & vt in vrbem intraret orantes, hoc recusato monuit, vti bono animo essent, & victori parerent Cæsari, bono & clementi viro. Ipse ad Cratippũ philosophum (qui & ipse Pompeij videndi causa eò accesserat) cõuersus, reprehendit, ac de prouidentia diuina pauca quædam cum eo disputauit: Cratippo, ne contradicendo molestus aut intempestiuus esset, subterfugiente certamen, & ad meliores spes suscipiendas deducente. Etenim Pompeio de prouidentia sui casus causam quærenti, respondebat Cratippus, ita accidisse quòd vitiosus reipubl. status monarchiam

*Cornelia questus.*

*Cratippus.*

natchiam iam expoſceret: viciſſimque quærebat, At quomodo nos, quove argumento certi ſimus te meliùs, quam Cæſarem, vſurum fortuna fuiſſe? verùm hæc (addebat) quæ in deorum ſunt poſita arbitrio, relinquamus. Cęterùm vxore & amicis receptis Pompeius ex Lesbo ſoluit, neque niſi aqua aut cibo cùm eſſet opus, nauim portui appulit. Prima vrbs quam intrauit, Attalia fuit Pamphiliæ: ibi aliquot triremes ad ipſum, militesq; conuenerunt, adeò vt rurſum ſexaginta ſenatorios viros ſecum haberet. Audiens autem & claſſem adhuc conſtare, & Catonem multis ad ſe receptis militibus in Africam tranſmittere, fortunam ſuam apud amicos deplorauit, ſeque incuſauit, qui cogi ſe ad prœlium terreſtre committendum paſſus, nauali busque copijs (quibus abſque dubio prœualebat) nullam ad rem vſus fuiſſet, neque claſſem loco circumpoſuiſſet, vt clade in terra accepta, in promptu vires hoſti pares à mari haberet. Non enim aliud Pompeij grauius eſt peccatum, aut Cæſaris callidius cõſilium, quàm quòd ad pugnam tam procul à claſſis auxilio abſtraxit hoſtem. Veruntamen ex præſenti re conſilium capere, & aliquid moliri coactus, ad vrbes partim miſit, partim ipſe nauibus acceſſit, pecuniam & ſupplementum nauibus exigens. Interim hoſtis celeritatem metuens, ne ſuperueniens eum rebus nõdum ſatis paratis arriperet, de perfugio in præſentia aliquo, & receſſu cogitauit. Deliberanti bus nulla P. R. prouincia ſatis tuta viſa fuit. Ex regnis ipſe Parthiam prætulit, quæ & in præſens ad ſuſcipiendum & tegendum infirmos ipſos, & ad erigendum magnisq; cum copijs emittendum ſatis haberet opum. Reliqui partim Africam & Iubam regem præferebant. Theophanes Lesbius inſani iudicabat eſſe, relicta Ægypto, quæ tridui itinere aberat, & Ptolemæo ephebo, & qui pro amicitia beneficijsque patri ſuo præſtitis gratiam deberet præterito, infideliſſimæ Parthorum genti ſe committere: & qui ſocero pridem ſuo, viro Romano nolit primas in republ. tribuere, atque ipſe ſecundo loco omnibus prior eſſe, neque eius æquitatem experiri, eum ſe Arſaci tradere, qui ne Craſſum quidẽ niſi mortuum ferre potuerit: deniq; Scipionis genere ortam vxorem ætate florente inter barbaros adducere, qui libidine poteſtatem ſuam definiant, & quibus eam, tametſi nihil patiatur, atque metuenda tantùm ſit vis, graue ſit

credere.

credere. Hoc vnum fuisse aiunt, quòd à profectione in Parthos Pompeium auerterit: si tamen consilium eo tempore aliquod Pompeius secutus est, & nõ fatum iam dux viæ fuit. Itaq; vt sententia fugiendi in Ægyptum vicit, Seleucien si triremi à Cypro cũ vxore auectus est, reliquis partim nauibus longis, partim onerarijs eum comitantibus: & cùm tutò id maris traiecisset, Ptolemæum cum exercitu apud Pelusium agere, bellum contra sororem gerentem, audiens, cò appulit: præmisso qui de eius aduentu regi indicaret, atq; deprecaretur. Erat adhuc admodum adolescens Ptolemęus: Photinus summam omnium rerũ gubernans, potentissimorum (hi erant, quos ipse volebat) senatum aduocauit, & quemuis dicere quod sentiret iussit. Id verò indignũ erat, de Pompeio Magno consultare Photinum eunuchum, & Theodotum Chium, qui mercede regẽ oratoriam docebat, & Ægyptium Achillam: hi enim inter cubicularios & educatores regios cæteros præcipui erant consiliarij, huiusq; consilij sententiam procul à terra in anchoris expectabat, quem salutem suam Cæsari debere indignũ erat. Cùm reliquorum sententię diuersę essent, quibusdam pelli, quibusdam vocari & accipi hominem iubentibus: Theodotus, vti facundiam suam artem q; ostẽtaret, neutrum tutum esse dixit: nam & si accepissent, Cæsarem hostem, Pompeium dominum se habituros: & si exclusissent, Pompeiũ ob repulsam, Cæsarem, quod insequi eum diutius cogeretur, infensum futurũ: optimum sibi videri, acceptum Pompeium interficere: ita & à Cæsare gratiam inituros, & metu Pompeij se liberaturos. Subridens quoque (vt aiunt) addidit, Mortuum non mordere. In hanc concessum est sententiam, & Achillæ facinus mandatum. Is assumpto Septimio, qui ordines quondam apud Pompeium duxerat, & Saluio, qui centurio sub eodem fuerat, ac præterea tribus aut quatuor famulis, ita ad nauim Pompeij aduectus est. Conscenderant in nauim Pompeij ex ijs qui vnà venerant præstantissimus quisq;, vti viderent quidnam rerum ageretur. Qui vt viderunt non regio more, non magnificè, neq; pro spe à Theophane factâ Pompeium excipi, sed ad hoc officium paucos vna cymba venire: suspectam habuere eam contemptionem, Pompeiumq; hortati sunt, vti nauem in altum detruderet, dum adhuc extra teli iactum esset. Interim cymba appropinquante, maturè

*Aduentus in Aegyptum.*

Septi-

Septimius surrexit, Romanoque sermone Pompeium imperatorem salutauit: & Achillas Græcis verbis eum excipiens, in cymbam transire iubebat, vadum ibi causatus, & mare ob arenæ multitudinem triremi non esse nauigabile. Simul & naues quasdam regias classiarijs impleri cernebant, & armatos milites in littore disponi, vt mutata etiam sententia effugiendi nulla esset spes, & ipsa incredulitas cædis purgandæ causam interfectoribus præbere posset. Salutata itaque Cornelia, quæ iam tum mariti exitum lamentabatur, duos centuriones in cymbam ingredi iussit, vnumque ex libertis Philippum, & famulum Scynem nomine. Hos ipse secutus, cùm iam Achillas ei manum de cymba porrigeret, ad vxorem & fœminam conuersus, Sophoclis iambos protulit:

*Etenim tyranni quisquis intrat in domum,*
*Fit seruus eius, liber etsi venerit.*

Hac postrema voce suos allocutus, cymbam & ipse conscendit. Cùm iam procul triremi sua prouectus nullam suorum qui vnà nauigauerant benignam mentionem audiret ad se fieri, Septimium intuitus, Non ego, inquit, te fuisse meum olim commilitonem agnosco? atque is capite tantum annuens, nihil respondit, neque vllum amicitiæ signum exhibuit. Alto rursum orto silentio Græcam orationem quam in bello conscripserat vsurus ea apud Ptolemæum, relegit. Cùm iam terræ appropinquarent, Cornelia cum amicis in triremi vehementer anxia, euentum expectabat: & iam animum recipere cœperat, multos ad littus aulicos veluti honoris & salutandi gratia confluere cernens, cũ Pompeium vt faciliùs surgeret Philippi manũ apprehendentem Septimius à tergo ense traijcit: post hunc Saluius, inde Achillas gladios strinxere. Pompeius nihil se indignum neque agens neq; locutus, vtraq; manu togam faciei prætendens, emisso gemitu ictus excepit, itaq; mortuus est postridie natalis sui diei, annos natus vndesexaginta. Qui in triremibus erant Pompeiani, eiulatu qui in terrã vsq; exaudiretur edito, sublatis ancoris summa celeritate fugerunt, ventusq; mari alto incumbens eos iuuit, vt ne volentibus quidẽ persequi Ægyptijs licuisset. Illi capite Pompeij amputato, truncum nudum ex cymba proiecerunt spectandum ijs, quos hæc spectacula delectarent. Philippus tandiu, dum saturati aspectu

*Pompeius caditur.*

discederent, trunco adstitit: inde aqua marina abluit, suaq; tunica inuoluit: & cũ lignum in promptu non esset, per littus circumspiciens, fragmẽta nauiculæ piscatoriæ inuenit, vetusta quidem, sed quæ ad necessarium rogum nudo, eiq; mutilato cadaueri sufficerent. Hæc ei fragmenta cõportanti, pyramq; struenti quidã Romanus iam grandi natu occurrit, qui iuuenis etiamnum prima sub Pompeio stipẽdia meruerat: &, Quisnam, inquit, hominum es, qui Pompeium Magnũ funerare aggrediaris. Respõdit Philippus, libertum se eius esse. Tum senex: At nõ proprium hoc decus habebis: quin tu me quoq; huius tanquam pij inuenti cõsortem, accipe, ne peregrinationem meam prorsus culpem, qua inter tot molestias id saltem reperi, vt manibus meis contingam & rogo imponã maximum Romanorũ imperatorem. Hoc Pompeij funus fuit. Postridie L. Lentulus quid factum esset ignarus, cùm à Cypro nauigans præter terram veheretur, rogum & Philippum ei adstantem, necdum sibi agnitum, cõspicatus, Ecquisnam, inquit, hominum hic fato functus quiescit? paululumq; inhibita voce, & edito gemitu, addidit, Fortassis tu Pompei Magne? pauloq; post egressus in terram, iugulatus est, cùm in Ægyptiorum manus incidisset. Pauci post diebus Cæsar in Ægyptum ita conturbatã cùm venisset, caput Pompeij sibi afferentem, vti scelestum auersatus est: annuloque Pompeij, in quo leo gladium tenens insculptus erat, accepto fleuit: Achillam & Photinum necauit: ipse rex in prœlio ad fluuium perijt. Theodotus rhetor Cæsaris manus effugit, per Ægyptum vagando, abiecta conditione & omnium odio. M. autem Brutus cùm Cæsare interfecto rerum potitus in Asia eum deprehendisset, omni priùs cruciatu vexatum occidit. Reliquias Pompeij sibi allatas Cornelia in Albano humauit.

*L. Lentuli mors.*

*Theodoti exitus.*

## AGESILAI ET POMPEII
### *Comparatio.*

*Potentia & parta.*

Vita vtriusq; exposita, agedũ paucis exponamus in stituta comparatione discrimina. Primùm iustissima ratione Pompeius ad potentiam & gloriam contendit, idq; sua ipsius industria, cùm præclaram Syllæ Italiam tyrannis liberanti operam nauasset. Agesilaus & diuinum, & humanum ius violasse videtur in occupãdo regno, dum Leotychidam, quem fratres

frater filium suum legitimum pronunciasset, spurium esse arguit, & de claudo rege oraculũ eludit. Deinde Pompeius Syllam & viuentem semper coluit, & mortui curam habuit, sepulturam Lepido vi extorquens, Faustoque Syllæ F. suam despondens filiam. Agesilaus Lysandrum leui arrepta occasione proiecit, summisque affecit contumelijs. & quidem Sylla non minora à Pompeio accepit, quàm in eum contulerit: Agesilaum Lysander & Spartæ regem, & totius Græciæ ducem fecerat. Iam quę in repub. peccauit Pompeius, affinitate impulsus peccauit: pleraq; enim in Cæsaris & Scipionis, socerorum suorum, gratiam deliquit. Agesilaus Sphodriam ob iniuriam Athenien sibus illatã morte damnatum, filij amori gratificatus eripuit: Phœbidæ, qui rupto fœdere Thebanos læserat, ob ipsum facinus palàm opitulatus est. Omnino autẽ quę Pompeius reuerentia aliorum, aut ignoratione damna Romanis dedisse culpatur, ea Lacedęmonijs ob iracundiam & peruicaciã iniunxit Agesilaus, Bœoticum bellũ incendendo. Quòd si res aduersæ vtriusq; viri ad fortunam sunt referendæ, Romanis Pompeiana clades inspe- *Peccata.*
rata fuit: Agesilaus autem Spartanos præscientes & præmonitos nõ passus est sibi à claudo regno cauere. Etenim si vel millies deprehensum fuisset Leotychidam alienum esse, & nothum: tamen non deerat Eurytionis posteris, quem sua de familia legitimum & integrum pedibus regem Spartæ darent, nisi in gratiam Agesilai tenebras oraculo Lysander offudisset. Sanè quod de desertoribus post Leuctricam cladem consilium excogitauit Agesilaus, vno die leges silere iubens, nullum tale in republica commentum Pompeij adducere possumus, quin imò hic ne à se quidem ipso positis legibus standum putauit, dum amicis suam potentiam demonstraret. Atqui Agesilaus in ea necessitate constitutus, vt pro salute ciuium leges dissoluẽdas sibi videretur, rationem excogitauit eam, vt neque nocerent ciuibus leges, neque, ne damno ijs essent, abrogarentur. Ciuili quoq; virtuti factum, Agesilai illud, quod imitando æquatum à nemine est, appono: quòd accepta scytala statim Asiaticas res omisit. Non enim, id quod Pompeius fecit, ijs modò rebus patriæ profuit, quibus sibi ipsi magnam potentiam pararet: sed patriæ commodum spectans, tantam potẽtiam dimisit atq; gloriam, quãtam neq; priorum, neq; posteriorũ; Alexandro

excepto, quiſquã habuit. Proinde autem alio facto initio, ſi rei bellicæ fiat contentio, numero trophæorum, & magnitudine gentium quas ſubegit Pompeius, multitudinique prœliorum quibus victor abijt, ne ipſum quidẽ Xenophontem puto victorias Ageſilai conferre auſurum fuiſſe: quamquã propter alias præclaras dotes huic ſcriptori quaſi præcipuum aliquod prœmium conceſſum fuit, vti quæ vellet de Ageſilao ſcriberet, atq; diceret. Prœterea clemẽtia aduerſum hoſtes Romanus Græco præſtitit. Etenim Ageſilaus Thebas euertere, & Meſſena habitatores eijcere cupiens (quarũ vrbiũ hæc colonia, illa mater generis eius erat) propè eò rem deduxit, vt Spartam amitteret: imperium quidem amiſit. Pompeius & piratis pœnitentiam agentibus vrbes dedit, & Tigranem Armeniorũ regem cùm in triumpho ducere poſſet, ſocium fecit, vnius diei ſplendori ſempiternam gloriam præferens. Cæterùm ſi boni ducis nomen maximis & ſummum momentum habentibus factis conſilijsque belli tribuitur, permulto prior Romana eſt Spartanus habendus. Primùm hic hoſtibus ſeptuaginta militum millia adducentibus, paucis ipſe inſtructus, ijsque ad Leuctra nuper victis, vrbem tamen nõ deſtituit: ille cùm Cæſar exercitum trium millium ac trecentorum ducens vnam Italiæ vrbem occupaſſet, Roma præ metu ceſſit, aut fugiens turpiter tam paucos, aut falſo plures opinatus, liberisq; ſuis & vxore aſſumptis fugit, reliquas ciuium familias defenſore nudas relinquens: cùm aut pugnando pro patria vincendum, aut à victore (ciuis enim erat & neceſſarius) conditiones accipiendæ fuiſſent. Nunc qui Cæſari tempus imperij prorogari, aut cõſulatum decerni rem iniquam putauerat, eidem occaſionem dedit, vt occupata vrbe Metello diceret, & ipſum & cęteros omnes captiuos ſuos eſſe. Porrò quod præcipuum « præclari ducis eſt officium, vt qua parte prœualet, ea hoſtem ad prœlium committendum cogat, qua infirmior, ea caueat ne confligere cogatur; id Ageſilaus obſeruando inuictus permanſit. Cæſar contrà quibus rebus Pompeium præſtare intelligebat, ab ijs ne detrimentum acciperet curauit: qua verò parte, pedeſtribus nimirum copijs, ſuperabat Pompeium, ea congredi eum coegit, & ſummam rerum perdere: ab eoque prœlio ſtatim pecunia, commeatu, mariq; potitus eſt, quę omnia Pompeius, ſi pugnam vitaſſet, retinuiſſet.

*Bellicæ res.*

*Clemẽtia.*

Quæ

Quæ autem affertur pro Pompeio excusatio, maximis tantum imperatorem reprehensionibus exponit. Consentaneum enim est rationi, & veniam meretur, si iuuenis dux tumultibus suorum, timiditatisq; exprobrationibus perturbatus tutissimis consilijs excidat. Quis autem ferat Pompeium Magnum, cuius castra loco patriæ, tentorium pro curia, Romæ magistratum gerētes pro desertoribus & proditoribus Romani habebāt, qui nullius imperio subiectus, ipse imperator omnia bella præclarissimè confeciſſet, eum Fauonij ac Domitij dicterijs victum, ne Agamemnon audiret, minimo se momento cogi passum, vti principatum & libertatem in tantū discrimen adduceret? Et verò si omnino ad infamiam vnius diei respiciendum putabat, oportuit initiò statim de vrbe Roma dimicare: non, si Themistocleo consilio vrbe profugisse videri vellet, cunctationem deinde in Thessalia turpem ducere. Non enim profecto Pharsalios campos tanquam stadium aut theatrum in quo de imperio decertarent Deus aliquis ipsis constituerat, neque præconis voce ad certamen euocabatur, vt detrectante ipso alter coronaretur: sed multi adhuc campi, infinitæ vrbes, omnis terrarum amplitudo ei restabant maris imperium tenenti, si Maximum imitari, aut Lucullum, aut ipsum Agesilaum voluisset. Nam is haud minores Spartæ tumultus sustinuit, Thebanis eum ad pugnam pro agro paterno prouocantibus: & in Ægypto ob stoliditatem regis multas pertulit calumnias, quiescere iubens. verùm hic optima sua consilia constanter secutus, non modò inuitos Ægyptios neq; patriam tantùm in tam graui periculo incolumem seruauit: sed trophæum quoq; de Thebanis in vrbe erexit, vincere iterum suos docens, cùm se ab ipsis ad communem perniciem trahi passus non esset. Quamobrem Agesilaus postmodò abijs, qui cogere voluerant, laudatus est: Pompeius, quos peccādi autores, eosdem accusatores habuit. Quidam à Scipione socero deceptum fuisse tradunt: hunc enim cupientem maiorem eius quàm ex Asia attulerat pecunię partem peculari, ideò eam occultasse, & quasi nihil pecuniæ supereſſet, maturare pugnam coegisse. Quod etsi verum esse credideris, non decuit tamē imperatorem tam facilè pati se decipi, neq; ita deceptum maximas res in periculum conijcere. Hactenus quid inter eos discriminis fuerit, spectaui-

mus. Denique Pompeius in Ægyptum necessitate vrgente confugit: Agesilaus neque honestè, neque necessariò profectus eò est, operamq; suam barbaris pecunia addixit, qua Græcos oppugnare posset. Ad hæc quod nos Pompeij causa Ægyptijs, id Ægyptij Agesilao crimen obijciunt. Nam ille fidei eorum se committens, iniustè perijt: hic ab ijs quibus opitulatum venerat, quique se ei crediderant, defectionem ad hostes eorum fecit.

*Ægyptiaca.*

## IN POMPEIVM, INTERPRETIS Annotationes.

1. Oculorumque faciles motus.] Τῶν περὶ τὰ ὄμματα ῥυθμῶν ὑγρότης. *Miserrimè omnium hæc Pompeij vita est ab interprete tractata: cũ quidem mihi vix alia tam studiosè & eleganter videatur à Plutarcho scripta. Errores ergo persequi, nisi vbi id vtilitas requiret, supersedebo.* ῥυθμὸς *quid sit in poetica & Musica, explicare hoc loco nolo. Hîc enim accipio concinnos motus oculorum cùm etiam Græci grammatici testentur* ῥυθμὸν εἶναι τὴν τῆς κινήσεως τάξιν. ὑγρότης *molliciem (vt ita dicam) facilitatemq; motus significat. Nam* ὑγρὸν *est etiam molle, flexile, vnde arcum Theocritus* κέρας ὑγρὸν *dixit. De quo alibi: & in vita Alexandri, vbi de eadem re dicitur, est* τὴν ὑγρότητα τῶν ὀμμάτων.

2 A quodam centur.] ὑπό τινων τῶν λοχαγῶν. *Tudert. qui insidias ipsi locauerat: quasi verò id sit* λοχαγὸς: *aut* λόχος *insidias tantum, non etiam centuriam passim significet: vnde* ἀρχαιρεσία λοχῖτις *in Romana apud Græcos historia, &* λοχαγὸς. *Cæterùm aliter mortem Cinnæ Liuius lib. 83. & Appianus describunt.*

3 Ire iussus in Galliam.] *ad bellum Sertorianum, interpres putauit: itaq; pro* κελτικὴν, *legit* κελπηνείαν. *Verùm multo pòst, & nequaquã à Sylla (nam is tum mortuus erat)*

*erat) sed L. Philippi suasu in bellum Sertorianum est missus Pompeius. Tunc ad Metellum, qui cum Carbone & eius factionis ducibus colluctabatur.*

4 Carbonem quidem tradunt.] *Ita etiam Valerius Maximus lib. 9. cap. de cupiditate vitæ. Cicero lib. 9. epistol. Famil. ad Papirium Pætum, Lilybæi occisum diserte tradit: Appianus retractum ex Cossyra insula, in quam ex Sicilia profugerat. Qui paulo pòst Sthenis Himæreus dicitur, eum Plutarchus in ciuilibus præceptis Sthenonem Mamertinum introducit.*

5 Memmium sororis suæ maritum.] *In Græco* μόμμιον *est, Mummium. Ego autem emendare locum volui, & restituo* μέμμιον. *Memmium bello Sertoriano in campis Saguntinis occidisse, suprà in vita Sertorij est demonstratũ. Cicero pro L. Balbo: Cæterùm, inquit, accusator fatetur hunc in Hispania durissimo bello cum Quint. Metello, cum M. Memmio, & in classe, & in exercitu fuisse: & vt Pompeius in Hispaniam venerit, Memmiumq; habere quæstorem cœperit, nunquam à Memmio discessisse. Orosius autem lib. 5. cap. 23. de Sertoriano bello loquens ait: Multa inter eos præterea prœlia gesta sunt: Memmius quæstor Pompeij, idẽque vir sororis eius occisus est. Amiotus non rectè Memmium fratrem sororis Pompeij dixit.*

6 Valerium, quod ei senatum dissidentem.] *Cùm in sacrum montem plebs recessisset, M. Valerius, frater Poplicolæ & M. Valerij qui non multo ante in pugna ad lacum Regillum occubuerat, dicendo sedauit discordias: itaq; primus ob eam rem Maximus est appellatus. Hæc ferè Cicero in Bruto. Fuit hoc anno V. C. CCLX. Meminit huius quidem dictaturæ, & Liuius libro 2. & Dionysius libro sexto, sed neque ab eo reconciliatum patribus populum, neque de hoc cognomento quicquam afferunt. De Fabio Maximo etiam initio Fabij facta est mentio. Id autẽ quod de iure* *Ius triumphandi.*

*triumphandi sequitur, ex historiæ Romanæ multis locis est notum. vnũ qui huc plurimum facit, de Liuij lib. 31. adscripsisse in præsentia satis est: L. inquit, Cornelio Lentulo triumphus negatus est. Res triumpho dignas esse censebat Senatus: sed exemplum à maioribus non accepisse, vt qui neque dictator, neque consul, neque prætor rem gessisset, triumpharet.*

7 Metello Pio.] *In Græco est ἀπωτίῳ, insigni menda: quod non vidit Tudertinus, recepit Amiotus. Idem Tudertinus, quod de Sertorio dicitur, ad eum vltimũ reliquias bellorum ciuilium confluxisse, ineptè ad Pompeium detorsit: vt & paulo superius M. Brutum patris similem dixit. cùm Plutarchus affirmet, neque bello, neque morte, eum patris similem fuisse: quod & verum est. Nam & in bello Pompeiano partes optimatum est secutus, & libertatis ciuibus restituendæ causa Cæsarem necauit, & propter eam bello gesto periit.*

8 Prædationibus eorum itinera.] *τὰς ὁδοὺς ἐλῃΐζον. Quod dicendi genus videtur insolens. Ac fortasis scripserat non ὁδοὺς, sed πρὸς ὁδοὺς: vt fuerit,* Diripiebant ea, quæ ex reditibus ad eos adferebantur. *aut scriptum fuit ἐλόγιζον,* Insidiati sunt ijs iter facientibus: *quomodo suspicor legisse Amiotum. Paulò antè, Iunonis templum in Lucania ponitur à nobis. est autem in Græco, ἐν λευκανίῳ. Ego nullum memini me vsquam legisse nominari Leucanium. Existimo autem eum de antiquissimo Iunonis Laciniæ (nam prope Lucaniam est Lacinium) fano intellexisse, de quo cùm multa Geographi, tum Lycophron etiam, & eius interpres Zezes.*

9 Attonitus in turbam] *τυφλωθῆναι καὶ καταπεσεῖν. Quid sibi velit τυφλωθῆναι, excæcari, non planè assequor: mendum quidem puto. Simile exemplum, & disputatio eadem est suprà in vita T. Flaminini.*

10. Ne

10 Ne Achillem quidem.] *Locus est lib. Iliad. 22.*

11 Maliciosè fictum à Theophane.] *Astum ineptè vertit (vt & superiora de Alcæo Sardiano, & quæ mox sequuntur, & pleraq;) Tudertinus: cùm sit in Græco κακοήθημα, malignum scilicet mendacium. à quo vitio non fuisse purum Herodotum, Plutarchus noster in libello* περὶ ἡροδότου κακοηθείας *demonstrat. Rutilius autẽ hic est, quem Cic. pro Rabirio Posthumo crudelitatem Mithridatis in togatos scribit mutatione vestis effugisse. Plurima eius exilij mentio apud eundem, & alios. Historiam ab eo scriptam cùm alij citant, tũ in Mario noster. Quis autem, & qualis fuerit Cn. Pompeius Strabo, Magni pater, satis ex historicis bellum Marsicum describẽtibus manifestum est: & initio huius libri obiter indicatum à Plutarcho.*

12 Gymnasia pulcerrima.] ἡβητήρια. *Diuersoria vertit interpres, quasi si legisset* ἡβήτεια, *Siquidẽ apud Suidam est, & Varinũ,* ἡβητήριον τὸ παιδοτρίβειον. ἡβήτειον, ἢ καταλυσις. ἡβητήρια. *Sanè Athenæus lib. 10. ait propterea fingi Heben in cõuiuiis fundere vinũ, quod* ἡβητήρια *dici soleãt* τὰ συμπόσια, *id est conuiuia. Addit in vigesimum Iliadis librũ Eustathius, aliquando* ἄσεμνον συναγωγὴν *hoc vocabulo designari, id est parum graue aut seuerum concilium. Verùm horum neutrũ puto huc facere. Infrà quidem de amore Iuliæ in Pompeium hæc vox ita repetitur, vt appareat ambulationes amœnas vel gymnasia vel aliquid tale fuisse.*

13 Cum Hermagora sophista.] *Monstrosè hæc peruertit Tudertinus, cùm quidẽ sint planissima, & epistolam Posidonij ad Hermagoram nescio qualem confinxit. Est aũt is Hermagoras, cuius multa apud ipsum Ciceronẽ est in libris Rhetoricis mentio. Atq; haud scio, Plutarchus ne de generali cõstitutione hîc innuat: quã vt diuiserit Hermagoras exponit priore libro de inuentione Tullius. Quæ sequitur de Nemesi quadam lætis tristia admiscente sententia, non est*

*satis dextrè à Tudertino reddita. Elegantissimè eandem expressit venustissimus poeta Apollonius, versibus quos (sunt enim aureoli) adscripsi, de quarto ἀργοναυτικῶν:*

*ἀλλὰ γὰρ ἤτοι φῦλα δυηπαθέων ἀνθρώπων*
*τερπωλῆς ἐπέβημεν ὅλῳ ποδὶ σὺν δέ τις αἰεὶ*
*πικρὴ παρμέμβλωκεν ἐϋφροσύῃσιν ἀνίη.*

*Et Ouidius septimo Metamorph. hunc (opinor) imitans;*

*——Vsq; adeò nulla est sincera voluptas:*
*Sollicitumq; aliquid lætis interuenit.——*

*Itaq; non pessimè Chærea ille Terentianus, summa potitus voluptate, perfususq; gaudio dixisse videri poterat,*

*Nũc tẽpus profectò est, cùm perpeti me possum interfici,*
*Ne vita aliqua hoc gaudium contamminet ægritudine.*

*Sed hæc præter institutum.*

14 In epistolis Ciceronis.] *Muciam hanc sororẽ fuisse Metellorum, Q. Q. Celeris & Nepotis, vxorem Pompeij, patet ex epistola Ciceronis ad Celerem, quæ est secunda lib. 5. Famil. Eandem fuisse dimissam à Pompeio, epistola decima libri ad Atticum primi ostendit. Causam autem neq; ibi, neq; in vlla alia (quæ extet) epist. Cic. exponit: nisi vehementer me fallit memoria. Sanè Suetonius in Iulio Cæsare, vbi de eius lasciuia loquitur, disertè explicat rẽ: scilicet eam à Cæsare pollutam fuisse.*

15 Iam ad quadragesimum.] *Imò si Velleio (quid ni autem?) credimus, annũ tum agebat quadragesimumquintum: siquidem natus est C. Attilio, Qu. Seruilio consulibus (anno V. C. DCIIL.) triumphauit autem M. Pisone & M. Messala consulibus, natali suo prid. Kal. Octob. vt est apud Plin. libri septimi & libri vltimi capite secundo. vt suspicari aliquis possit pro τεσσαράκοντα legendum πεντήκοντα. Sanè pòst etiam, vbi bellum ciuile Pompeianum describitur, annos natus LVIII. Pompeius dicitur fuisse: quod cum Velleiano numero non dissentit.*

16 Cæpio-

16 Cæpioni iam desponsatam.] σκιπίωνι, *quod retinuit interpres. Suetonius in Iulio, capite 21. Cæsar suam Iuliam Cn. Pompeio collocauit, repudiato priore sponso Seruilio Cæpione, cuius vel præcipua opera paulo antè Bibulum impugnauerat. Sed in vita Cæsaris occasio apparet huius mendæ tollendæ, vbi* σερουϊλίῳ σκιπίωνι *legitur, eadem in historia. Scipionem autem non esse cognomentum Seruiliorum, sed Cæpionem satis est notum: quanquam ne insolens quidem fuit librariis, in historiæ præsertim Cimbricæ mentione,* σκιπίωνα *pro* καιπίωνα *scribere. Amioto quid in mẽtem venerit, vt Pisonem hunc diceret, non video.*

17 Cui seruo lucernam præferente.] ἀπέκτειναν μέλιτον προηγούμενον λυχνοφόρον. *Vitiosè: inde Tudertinus Melitum proprium nomen eius lucerniferi commentus est, imitante idipsum Amioto. Satis autem conspicuum fit, legendum* μὲν τὸν, *pro* μέλιτον, *vel ex eo quod sequitur,* ἐτρέψαντο δ: *Historia eadem in Crasso etiam est, & in Catone philosopho.*

18 Antiam & Vatinium.] *Mendum est in priore vocabulo. De Vatinio satis constat, vel ex Catonis vita. de altero nihil succurrit. Quod autem sequitur,* Crassus omisso consulatu, *in Græco est* ἀπαλλαγεὶς τῆς ὑπατείας: *quæ verba cur sic verterim, historia docet. Consul enim & paludatus est in prouinciam profectus.*

19 Inter ipsos deos.] *Venustissimus est locus: quo alludit ad diuisionem mundi, qua eum inter se Iupiter, Neptunus ac Pluto ita erant partiti, vt vnicuiq; suum regnum satis esset, neq; alteri suum præripere opus haberet. Verba sunt Neptuni, ob imperata Iouis indignantis, apud Homerum lib. 15 Iliadis, ita nota, vt oscitantiæ Tudertini meritò succenseatur.*

20 Incusat etiam Cicero.] *Lib. 7. ad Atticum, ita scribẽs. Per fortunas, quale tibi consilium Pompeij videtur?*

*hoc*

hoc quæro, quòd vrbem reliquerit. Ego enim ἀπορῶ: tum nihil absurdius. Vrbem tu relinquas? ergo idem si Galli venerint. Non est, inquit, in parietibus respublica. at in aris & focis. Fecit idem Themistocles: fluctum enim totius barbariæ ferre vna vrbs non poterat. at idem Pericles non fecit, annum ferè post quinquagesimũ, cum præter mœnia nihil teneret. nostri olim vrbe reliqua capta, arcem tamen retinuerunt. οὗτός που τῶν πρόσθεν ἐπεύθόμεθα κλέα ἀνδρῶν. Vbi qui ἐπενθόμεθα legerunt, & versum Homeri (extat in deprecatione Phœnicis ad Achillem, libro Iliadis nono) & sensum corruperunt Ciceronis. Vult enim maiorum præclara facta cum hoc Pompeij ignauo & indigno facinore comparare. Quem autẽ hîc Numerium Plutarchus vocat, is videtur esse Cneus Magius, de quo sic Cæsar lib. de Bello ciuili primo. Reducitur ad Cæsarem deprehensus ex itinere Cneus Magius Cremona præfectus fabrûm Cnei Pompeij: quẽ Cæsar ad eum remittit cum mandatis, &c. Atq; haud scio an etiam ibi Numerius dicatur, Plutarchusq; inde hæc sit mutuatus: & sit legendum N. Magius, non Cneus. Etenim Numerius prænomen fuit, & litera N signabatur, vt doctè demonstrauit Sigonius in libro de nominibus Romanorum. Ac facilè fieri potuit, vt eius rei ignoratione lapsus, C N. (quod est vsitatius prænomen) pro N. scripserit librarius. Minuta sunt hæc, inquies. Fateor: est enim hic in tenui labor. Sed tamen & multos doctißimos viros accuratè hoc in genere emendandi versari video: quorum conatum reprehendere, sit temerarium. & nemo est (opinor) verè bonorum librorum studiosus, qui non mallet Cæsaris quàm librarij verba legere: & si Cæsari non fuisset ineptũ visum addere prænomen, ineptus sit, qui illud agnoscere nolit. Denique oraculi vim habet ea sententia, quam nobilem & vsitatam in Paulo noster sic extulit: τὴν τῶν μειζόνων φρουρὰν καταλύουσιν οἱ προιέμενοι τὴν ἐν τοῖς μικροῖς ἀκρίβειαν.

Cic. & Cæsaris locus.

21 Labie-

21 Labienus à Cæsare.] *In Græco dicitur* λαβιεὼν, *Labeo. Quod miror à Tudertino retentum. nihil enim T. huius Labieni defectione à Cæsare magis notum est, cùm aliunde tum ex septimo Epistol. ad Atticum libro, & Ciceronis ad Tironem epistola, quæ incipit, Quanto in discrimine.*

22 Vibullium.] *Pro Orico interpres Nericum habet: quod est nihil. in Græco hîc rectè est* ὤρικον. *Sed* ἴβριον *non dubitaui in Vibullium vertere, Cæsarem secutus, ex quo hæc noster descripsit.*

23 Aiaci incussit.] *Homerici sunt versus de Aiace Telamonio, Iliadis lib. 11.*

## IN COMPARATIONEM.

1 Eurytionis posteris.] *Hæc peruertit & confudit interpres, leui Græcorum verborũ mendo seductus, quod corrigi abs quouis possit, qui animum ad historiam intendat.* ἠπόρησεν. εὐρυπίωνι δὲ: *legendum* ἠπόρησαν εὐρυπωνίδαι. *& pro* παρέχει, παρέχειν, *vel* παραχεῖν. *de Eurytionidis dictum est in Lycurgum.*

## PLVTARCHI ALEXANDER, GVILIELMO Xylandro, Augustano, interprete.

ALEXANDRI regis, & Cæsaris (eius qui Pompeium euertit) vitas hoc libro perscripturos ipsa rerum propositarum magnitudo iubet nihil aliud præfari, quàm vti à lectore petamus, si non omnia hominum sermonibus celebrata facta, neque singula accuratè, sed pleraque compendio exponemus, vt ne id vitio nobis det. Non enim historias, sed vitas scribimus: neq; semper clarissimis factis virtutis aut vitii insunt indicia: quinimò sæpè exigua quædam res, dictumve aut iocus plus de ingenio alicuius documenti præbet, quàm immensa hostium strages edita, maximæ pugnę, vrbiumve oppugnationes. Itaq; sicuti pictores facie & vultu (ex quib. potissi-

*Rationem suæ scriptionis exponit.*

potissimum natura hominis apparet) similitudines exprimunt, minima reliquarum partium habita ratione: ita nobis quoque concedendum est, vt signa animi colligentes, iis vitam vniuscuiusque depingamus, aliis magnitudinem factorum & certamina relinquentes. Extra omnem positum est controuersiam, paternum genus Alexandri per Caranum ab Hercule, maternum ab Æaco per Neoptolemum tractum fuisse. Philippum in Samothracia adolescentem adhuc sacris initiatum perhibent vnà cum Olympiade parentibus orba, & amore correptum, à patruo eius Arybba coniugium impetrasse. Sponsa ante eam noctem, qua thalamo coniuncti sunt imaginata est edito tonitru fulmen in ventrem suum incidisse, eoq; ex ictu copiosum ignem accensum in flammas passim dissipatas abiisse. Et Philippus aliquanto post nuptias tempore in somnis sibi visus est vterum vxoris obsignasse annulo, cui leonis esset insculpta imago. Quod insomnium cùm in malam partem reliqui arioli acciperent, accuratiusq; custodiendam Philippo conjugem dicerent, Aristander Telmisseus concepisse eam affirmauit, (nihil enim inane obsignari) & parituram filium animosum, leoninoq; ingenio præditum. Visus quoque ei aliquando est draco, iuxta corpus dormientis Olympiadis porrectus: eoque maximè amorem Philippi, & familiaritatem cum vxore diminutam aiunt, minusque eum posthac crebrò cum ea concubuisse: siue ab ea veneficium metuerit, siue eius, cum qua præstantioris quispiam naturæ rem haberet, cõsuetudinem abominatus sit. Fertur & alius hac de re sermo. Mulieres eius regionis Orphicis omnes Bacchicisque orgiis antiquitus obnoxiæ Clodonesque & Mimallones cognominatæ, multa Edonidum & Thressarum (quæ in Thracia apud Æmum montem agunt: vnde videtur ductũ, vti sacrificia nimis quàm superstitiosa, threscciæ Græcis dicãtur) factis germana perpetrant. Huiusmodi furorem præ cæteris affectans Olympias, solennibus bacchationibus barbaricum superaddens horrorem, magnos angues circuratos thiasis addebat, qui sæpenumero ex hedera & mysticis cunis prorepentes hastasque mulierum & serta circumplicantes, viros perterrebant. Cæterùm Philippo, cùm post illud spectrum Chæronem Megalopolitanum Delphos misisset, oraculum allatum tradunt, quo Ammonirem

*Genus Alexandri.*

*Olympiadis draco.*

nirem sacram facere, eumque Deorum omnium maximè colere iuberetur: ipsumque alterum oculorum amisisse, quem ostii commissuræ applicuerat, Deumque sub draconis forma cum muliere concumbentem viderat. Et Olympias (vt refert Eratosthenes) Alexandrum ad bellum proficiscentem prosecuta, remotis testibus de arcano suorum natalium certiorem reddidit, dignosque origine sua spiritus ducere iussit. Alii solitam abominari hoc ipsam asserũt, & dixisse, Nunquámne me Alexander lunoni inuisam reddere desinet? Natus est sexto die Hecatombæonis, quem Macedones Loum nominant: quo die templum Dianæ Epheſi conflagrauit incendio. Cui rei ita frigidam acclamationem attexuit Hegesias Magnesius, vt eà ipsum debuerit incendium restinguere: ait enim, mirum videri non debere crematum esse illud templum, quòd eo tempore Diana obstetricis munere in partu Alexandri fuerit occupata. Quotquot autem Magi tum Epheſi fuerunt, templi exitio aliam quandam calamitatem portendi rati, discurrebant facies suas percutientes atque vociferantes, magnam illo die perniciem infortuniumque Asiæ natum esse. Ad Philippum verò, cùm primùm Potidæam cepisset, tres simul allati sunt nuncii: quorum primus Illyrios magna pugna à Parmenione superatos, secundus Olympiacis ludis ipsum equo celere vicisse, tertius natum Alexandrum indicabat. Lætum, vti par fuit, vates magis etiam excitarunt, filium cuius natalis in tres victorias incidisset, inuictum fore pronunciantes. Corporis figuram statuæ Lysippi (à quo etiam solo fingi voluit) potissimùm exprimunt: multi enim admodum posteà successorum & amicorum imitati sunt Alexandrum ceruicis erectione leuique in sinistram partem inflexione, oculorumque volubilitate: quę artifex accuratè effinxit. Apelles autem cùm fulminigerum pingeret, colorẽ eius non est imitatus, sed squalidum & subfuscum fecit: etenim album fuisse ferunt, ruborémque in pectore præsertim & facie albedini admixtum habuisse. Suauissimum odorem ab ore & vniuersa eius carne exhalasse, ita vt & tunicæ fragrantia repletæ inde sint, in Aristoxeni legimus commentariis. Causa fortassis fuit calidum & igneum corporis temperamentum. Bonus enim odor, si Theophrasto credimus, existit, cùm humores à

*Dies natalis.*

*Forma Alexandri.*

*Suauolentia causa.*

calore

calore coquuntur: itaque siccæ & torridæ orbis terrarum partes plurima & optima gignunt aromata, quòd Sol humorem, qui in summis corporibus veluti materia putredinis innatat, attollit. Et consentaneum est Alexandrum ob calorem corporis bibacem, iracundumque fuisse. Cùm puer etiamnum esset, modestia in eo eluxit: quòd cùm ad alias res magno impetu ferretur, ad corporis voluptates neque facilè alliciebatur, & modicè admodum iis vtebatur. In cupiditate honorum grauitas ei præter ætatem & magnanimitas aderat. Non enim quosuis, neque à quibuslibet honores gratos habebat: secùs quàm Philippus, qui rhetoris in morem arte dicendi se ostentabat, Olympicas curruũ victorias nomismati insculpebat. Quin & familiaribus quærentibus, vellétne Olympiæ in stadio decurrere, (erat enim pedibus velox) Si quidem, respondit, reges sint mecum decertaturi. Videturque omnino animum ab athletico genere alienum habuisse. Cùm enim plurima certamina non tragœdorum modo, tibicinum, citharœdorumque edidisset, sed rhapsodorum etiam, tum venationes, & fustuarias pugnas, nunquam seriò præmium pugilibus & pancratio proposuit. Persarum regis legatos, qui Philippo absente venerant, hospitio accepit, consuetudinemq; cum iis iniit, in qua familiaritate, nihilque ex ipsis puerile aut paruum, sed de itinerũ spaciis, & commeatus in superiorem Asiam modo ac ratione, ac de rege, qualem se is aduersus hostes præberet, quod robur, quæ potentia Persarum esset percontando, ita in admirationem sui pertraxit, vt nobilem istam Philippi vehementiam præ magnarum rerum cupiditate eius pueri nihil ducerent. Quoties captam à Philippo vrbem aliquam, aut insigni prœlio partam victoriam renunciabatur, non admodum hilari vultu Alexander audiebat: & æqualibus suis dicebat, Omnia, ô pueri, pater meus præripiet, neque vllam rem magnam mihi vobiscum gerendã relinquet. Non enim voluptatem, nõ diuitias, sed virtutem & gloriam magni faciens, quanto plura à patre accepisset, tanto pauciora sibi agenda relinqui existimabat: itaque crescentibus opibus, materiam sibi præclarorum facinorum absumi iudicans, regnũ à patre non pecunia, luxu, & voluptatibus, sed certaminibus, bellis, & gloriæ contentionibus locu-

*Alexandri modestia & grauitas.*

6

ples

ples tradi sibi cupiebat. Multis, vt facilè apparet, cura ipsius commissa fuit alumnis, pædagogis, magistris: omnibus his præerat Leonidas vir seueris moribus, & Olympiadis propinquus. Atque is nomen pædagogi (cuius sanè honestum erat, splendidúmque munus) vitans, dignitatis cognatio- *Leonidas Alexãdri præceptor.*
nisque causa à reliquis præceptor appellabatur, & educator: nomen & personam pædagogi Lysimachus sustinebat, Acarnan genere, cui nihil erat vrbanitatis, nisi quòd sibi Phœnicis, Alexandro Achillis, Philippo Pelei nomen accõmodans probabatur, & alterum locum obtinebat. Cùm *Lysimachus.*
Philonicus Thessalus Bucephalum tredecim talentis venalem adduxisset ad Philippum, isque equus in campum explorandi causa deductus, ab omnibus pro effero & inutili iudicaretur, quòd neque sessorem admitteret, neq; vocem vllius eorum qui cum Philippo erant, sed contra omnes insurgeret, indignè ferens Philippus, vt nimis ferocem indomitúmque abduci iussit. Alexander, vt fortè aderat, Qualem, inquit, equum isti perdunt, cùm eum præ mollitie & imperitia tractare non possint. Philippus cùm initiò dissimulasset, sæpe idem repetenti, & indignanti, Túne, ait, senioribus obloqueris, quasi rectiùs aliquid iis noueris, aut equum meliùs tractare possis? Equidem, respondit Alexander, rectiùs eo, quam quisquam alius vtar. Sin verò, inquit pater: quas tuæ temeritatis pœnas persolues? Alexander, precium, inquit, profectò equi pendam. Risu ad hæc coorto, & mox pecunia definita, statim ad equum accurrit, frænóque correptum aduersus solem obuertit: nimirum animaduertens equum vmbræ, quæ agitata & tremens ei appropinquaret aliàs, cõspectu perturbari. Deinde cùm paulum palpasset, manúque leniter ducta demulsisset, vt ira repletũ vidit, sensim abiecta chlamyde sese in eum extulit, tutóque consedit, leuitérque habena frænum adducens absque ictu vllo aut conuulsione compescuit. vt minas posuisse eum, & iam cursus cupiditate æstuare sensit, laxata habena currentem aspera voce & pedum pulsu instigauit. Cùm qui aderant primò anxij tacitique spectassent, postquam exultans gaudio saluus retrò acto equo rediit, omnium acclamatione sublata, Philippus præ lætitia etiam illachrumasse commemoratur, capútque filij, cùm ab equo descendisset, osculatus dixisse: ô nate, regnum tibi par quære: Ma-

*Aristoteles praeceptor Alexandri.*

cedonia enim te non capit. Porrò autem cernens ingenium Alexandri tale esse, quod cogi omnino nollet, facilè autem sermone ad officium faciendum perraheretur, ipse etiam suadere potiùs quàm mandare ei instituit: musicésque, & encycliorum doctoribus haud satis institutionem eius credens, quam rem maioris negocij futuram arbitraretur, (vt est apud Sophoclem)

*Quod frena multa, multaq; gubernacula*
*Desideraret.----*

nobilissimum doctissimúmq; philosophorum Aristotelem ad id vocauit, eique præmia doctrinæ præclara & digna dedit. Stageira enim, patriam eius, antè à se dirutam, instauravit, & ciues qui vel diffugissent vel seruirent, restituit. Scholam eius destinauit Nymphęum apud Miezam, vbi hodiéq; sedilia Aristotelis saxea, & ambulationes opacæ demonstrantur. Videtur autem Alexander non moralem tantùm & ciuilẽ rationem didicisse, sed & occultas istas & grauiores disciplinas, quas philosophi acroamaticas & epopticas ab auditione & inspectione nominantes nequaquam euulgabant, attigisse. Iam enim in Asiam profectus cùm audiuisset libros de iis reb. ab Aristotele editos, liberè eum philosophiæ nomine obiurgauit, epistola missa, cuius exemplum hoc est. Alexãder Aristoteli S. Quod acroamaticas edidisti disputationes, nõ rectè abs te factum est. Qua enim nos re præstabimus alios, si ea qua nos eruditi sumus philosophia omnibus nunc erit communis? Ego sanè mallem optimarum rerum peritia, quàm potentia excellere. Vale. Hanc eius ambitionem vt leniret Aristoteles, excusat se de iis disputationibus, ita editas, vti non editæ si essent, indicans. Etenim re vera philosophiæ primæ tractatio ita primùm est descripta, vt nihil ad disciplinam conducere, ac tantùm exempli loco eruditis proposita ab initio videatur. Iam quòd medicæ rei studiosus Alexander fuit, eius rei autorem præ cæteris habuisse videtur Aristotelem, non enim contemplationibus modò delectatus est, sed & amicis ægrotantibus medicinam fecit, curandiq;, & victus quasdam rationes præscripsit, vt ex epistolis eius colligitur. Literarum & lectionis natura studiosus, Iliadem Homeri, quam rei militaris viaticum & putabat & nominabat, ab Aristotele correctã accepit, cui à narthecio cognomen factum

*Studia Philosophiæ Alexandri.*

est:

est: sempérq; eam (vt Onesicrates tradit) vnà cum pugione sub puluino habuit. In superiori Asia degens, cùm reliquos libros desideraret, mitti sibi ab Harpalo iussit: isq; ei misit Philisti libros, complures Euripidis, Sophoclis, & Æschyli tragœdias, & Philoxeni dithyrambos. Aristotelē verò cùm initiò admiratus fuisset, & haud minus quàm patrem suum dilexisset, (quin & hoc dicebat, se à patre vitam, ab hoc vt bene viueret accepisse) posterioribus temporibus suspectum habuit: quæ abalienatio etsi non eò vsque processit, vti duriùs aliquid de ipso propterea statueret, consuetudine tamen minùs quàm antè amica, & remissione amoris patuit. Interim innatum erga philosophiam, & vnà enutritum studium ex animo nequaquam effluxit: id quod honor Anaxarcho habitus, quinquaginta Xenocrati missa talenta, inque Dandamin & Calanum officia demonstrauerunt. Cùm Philippus aduersum Byzantinos expeditionem fecisset, Alexander annum tum agens decimum sextum, rerum Macedonicarum sigillique curator relictus, Mædos, qui defecerant, subegit: vrbémque eorum captam, barbaris eiectis cōuenis habitandam tradidit, & Alexādropolin nominauit. Pugnæ contra Græcos Chæronensi interfuit: primúsque perhibetur in sacram Thebanorum cohortem impetum fecisse. atque etiamnum antiqua quercus apud Cephisum ostenditur, quę Alexandri dicitur, quòd ibi tum tenderit: neque procul inde Macedonum sunt sepulchra. Propter hæc Philippus (vti par fuit) Alexandrum summopere amabat, vt gauderet etiam hunc à Macedonibus regem, se ducem appellari. Sed domesticæ ob nuptias & amores Philippi turbæ, cùm regno etiam nonnihil contagium gynæcei morbosi noceret, multas offensas, grauiáque dissidia excitârunt: quæ ipsa Olympias, iracunda & pellicis impatientissima mulier, morositate sua maiorem in modum auxit, Alexandrum iritando. Manifestissimam iurgij causam in nuptiis Cleopatræ, quam puellā intempestiuo amore captus duxerat Philippus, Attalus sponsæ auunculus præbuit, in conuiuio per ebrietatem Macedonas iubens à diis poscere, vt legitimum ex Philippo & Cleopatra regni hæredem nasci sinerent. Eo dicto commotus Alexander, Ergo, inquit, nos tibi spurij videmur sceleste? simúlque scyphum in eum coniecit. Philippus stricto gladio

*Alexādri cum patre offensa.*

in Alexandrum tendens, bona vtriusq; fortuna præ ira & vino lapsus concidit. Et Alexander insultans ei, En, inquit, viri, qui ex Europa in Asiam molitus expeditionem, à lecto ad lectum transiturus corruit. Post hanc debacchationem Olympiadem in Epirum traduxit, atque ipse in Illyrico versatus est. Sub idem tempus Demaratus Corinthius patria exul, Philippum, ad quem ei liber accessus patebat, inuisit: cúmque hic post primam salutationem quæreret, quænam esset Græcorum inter sese concordia, Nimirum ait, Philippe, Græciæ res te curare conuenit, qui tanto tuam domum dissidio tótque malis impleueris. Ita Philippus recta rem via tandem reputans, Alexandro vt rediret, Demarati opera persuasit. Pòst vbi Pexodorus Cariæ satrapa affinitate societatem Philippi captans Aristocritum in Macedoniam misit, filiæ suæ natu maximæ nuptias Arridæo Philippi F. offerens: iterum Alexander matris & amicorum obtrectationibus (qui Philippum Arridæo splendidi coniugij, magnarúmque rerum præsidio regnum tacitè parare dicebant) conturbatus, Thessalum histrionem in Cariam ad Pexodorum legat, qui eum spurio & væcorde Arridæo omisso, Alexandrum generum præferre hortaretur: idque multo quàm priora, melius esse consilium Pexodoro visum est. Itaque Philippus cùm domi esse Alexandrum animaduertisset, assumpto eius familiari Philota Parmenionis F. grauiter obiurgauit, & acerbè conuiciatus est, degenerem eum, suisque indignum bonis appellans, qui Carem, barbaróque regi seruientem socerum sibi optaret. Corinthiis quoque scripsit vt Thessalum compedibus vinctum sibi mitterent: de reliquis Alexandri sociis Harpalum, Nearchum, Phrygium, & Ptolemæum Macedonia expulit. quos postea Alexander reduxit, honoribúsq; cumulauit. Posteaquam Pausanias Attali & Cleopatræ suasu turpiter habitus, & iniuriæ sibi factæ nullam vltionem consecutus Philippum interfecit: causa facinoris omnis ferè Olympiadi fuit imputata, quæ iratum iuuenem instigasset, stimulósque addidisset: attigit tamen & Alexandrum calumnia. Cùm enim Pausanias iniuria affectus ad ipsum accessisset, suámque sortem deplorasset, Medeæ versiculum ipse pronunciasse dicitur,

*Philippi mors.*

*Dantemq; ducentemq; vnà, & sponsam neca.*

Verun-

Veruntamen Alexander & conscios cædis paternæ conquisitos supplicio affecit, & Olympiadi succensuit, quòd se absente Cleopatram inhumaniùs tractasset. Annos natus viginti regnum occepit, magnæ inuidiæ, grauibus odiis, atque periculis vndique obnoxium. Nam neque barbaræ & vicinę gentes iugum ferebant, sed auita regna expetebant: & ad cicurandam, quam armis vicerat, Græciam Philippo tempus non suppetierat, affectásque modò & conturbatas res Græcas, ob insolentiam mutationis fluctuantes adhuc & instabiles reliquerat. Eapropter Macedonibus ob temporis eius statũ solicitis, & Alexandro suadentibus, vti Græcas res omitteret, neq; vim eis afferret, barbaros autem, qui desciuissent, placidè reuocaret, nouarúmq; rerũ initiis mederetur: Alexander contrarias secutus est rationes, statuitq; audacia & magnanimitate rebus suis salutem & securitatem parare: insurrecturos contra se omnes existimans, si vel minimum de animi sui magnitudine diminuisse sentiretur. Et barbaricos quidem motus ac bella circumducto raptim exercitu statim sedauit, omniáque ad Istrum vsque pacauit: vbi Syrmum quoque Triballorum regem magna pugna vicit. Thebanos defectionem moliri audiens, & cum Athenien*sibus* conspirare, vt virum se ostenderet, illicò per Pylas exercitum duxit: Demostheni inquiens, à quo puer esset dictus, quandiu in Illyrico & Triballis hæsisset, adolescens autem cùm in Thessaliam veniisset, velle se ad muros Athenienſium virum ostendere. Cùm ad Thebas accessisset, mutandi adhuc facti potestatem præbens, Phœnicem & Prothytam dedi sibi iussit, impunitatémque ad se transeuntibus edixit: Thebanis autem contrà Philotam & Antipatrum exposcentibus, factóque præconio Græcos inuitantibus, vt qui Græciam liberam vellent, se ipsis adiungerent, ita demum suos ad bellum conuertit. Supra vires etiam virtute & strenuitate certatum est à Thebanis, qui cum hoste, cuius copiarum vix aliquantam partem explebant, acie congressi sunt: circumuenti tandem Macedonibus qui in præsidio Cadmię positi fuerant, à tergo irruentibus, plerique ipso in prœlio ceciderunt. Vrbs capta, direpta, solóq; æquata, potissimùm Alexandro sperante fore, vt hoc Thebarum exitio perterriti Græci quiescerent: nonnihil tamen gratificari sociis suis Phocensibus & Platæensibus, qui

*Theba capta.*

Thebanos accusabant, gestiens. Exemptis sacerdotibus, vniuersisque Macedonum hospitibus. Pindari etiam posteris, & iis qui decreto de facienda defectione repugnauerãt, reliquos omnes vendidit, ad triginta hominum millia: occubuerunt supra sex millia. In hac Thebanæ vrbis calamitate Thraces quidam Timocleæ, nobilis & honestæ mulieris, in domum irruperunt: & reliquis bona diripientibus, dux feminam interim cùm vi constuprasset, percontatus est ecquid auri argentiue absconditi haberet. Illa se habere fassa, solum in hortum abduxit, & puteo commonstrato, eò se capta vrbe quæ pretiosissima habuisset deiecisse dixit: intrò despicientem inclinato corpore, à tergo adstans ipsa deorsum in puteum impulit, multisque iniectis lapidibus necauit. Ea cùm vincta à Thracibus ad Alexandrum adduceretur, ipso statim adspectu incessuque maiestatem dignitatémq; præse tulit: interrogata à rege, quænam esset, Theagenis sororem se confessa est, eius qui dux apud Chæronæam pro libertate aduersus Philippum commissa pugna ceciderat. Itaque Alexander & responsum & factum miratus, liberam vnà cum natis dimisit. Cum Athenien sibus verò in gratiam rediit, tametsi ij grauiter Thebanorum tulerant cladem: nam & mysteriorum festiuitatem præ manibus habentes, præ luctu eam omiserant, & quotquot Thebanorum Athenas perfugissent, summa humanitate acceperant. Verùm siue quòd iam exaturasset animum leonis instar, siue vt clemens facinus crudelissimo cõiungeret, non modò offensas iis omnes condonauit, sed etiam attentam ad res esse ciuitatem iussit, veluti Græciæ imperaturam, si quid ipsi humanitùs accidisset. Sæpe quidem postea Thebanorum vicem doluisse, multisq; ideo se benigniorẽ præbuisse fertur. Quin & Cliti cædem à se per ebrietatem perpetratam, & apud Indos Macedonum timiditatem, qua expeditionem ipsius gloriámq; velut imperfectam destituerunt, Bacchi iræ indignationique imputauit. neque quisquam eorum qui patriæ superstites fuerunt Thebanorum frustra ab eo postea tẽporis quicquam petiit. Proinde Græci in Isthmo conuentu instituto, bellum cum Alexãdro aduersus Persas gerere decreuerunt, eiúsq; ducem ipsum constituerũt. Hic cùm multi primarij in ciuitatibus viri, multique ad ipsum philosophi, gratulandi causa accessissent: spe-

*Mulieris virtus.*

rabat

rabat idem Diogenem quoq; Sinopensem facturũ, qui tum apud Corinthum degebat. Sed cùm is nihil admodũ curans Alexandrum ociosus in Cranio degeret, ipse ad eum profectus est. Iacebat tum in dolio suo Diogenes, soli obuersus: & *Diogenes.* tot hominum aduentu paululum leuato corpore aduersus Alexandrum prospexit. Qui vt dicta salute eum interrogauit, alicuiusne rei egeret, Paulisper, inquit, à sole recedas. Hunc fastum Diogenis, magnanimitatémq; ita admiratus fertur Alexander, vt suis in digressu ridentibus illum atque subsannantibus dixerit, se, nisi Alexander esset, Diogenem esse velle. Inde numinis de bello consulendi causa Delphos adiit. Fortè tum dies erant nefasti, quibus responsa dari vetitum est. Itaque vates Alexandro per nuncios oraculũ postulante abnuit, legem prętendens: pòst cùm ipse ascendens vi eam ad templum pertraheret, veluti victa ipsius importunitate, Inuictus es, inquit, fili. Hoc audito Alexander, nullo prætereà sibi opus oraculo esse dixit, habere iam quod ab ipsa requisiuisset vaticinium. Aggredienti iam ad expeditionem cùm alia diuinitùs signa sunt facta, tum apud Leibethra simulachrum Orphei cupressinum per istos ipsos dies multo sudore fluxit. Eo signo omnibus territis, Aristander bono esse animo iussit: celebria enim & nobilia facinora editurum Alexandrum, quibus cantandis multum sudoris ac laboris essent poetæ musiciq́ue impensuri.

Qui minimam copiarum eius summam ponunt, xxx. millia peditum, quinque equitum recensent: qui maximam, xxxiiii. illorum, horum quatuor millia computant. Ad hunc exercitum alendum ei non præter lxx. talenta fuisse scribit Aristobulus. Duris triginta modò dierum commeatum, Onesicritus præterea debuisse eum ducenta talenta perhibet. Enimuero tametsi re ita tenui ad bellũ iret, haud priùs tamen conscendit nauim, quàm rebus sociorum inspectis, huic pagum, illi agrum, reditũ huic vici, illi portus tribueret. Iam regiis bonis omnibus propè distributis & transcriptis, Perdiccas, Tibi verò, ait, ô rex, quid reseruas? cúmque Alexander spes sibi retinere sese respondéret, ergo, inquit, nos etiam tui commilitones eas habituri sumus tecum communes. Perdicca autem possessionem sibi assignam recusante, nonnulli cęterorum quoq; amicorum idem fecerũt: qui maluissent accipere, iis benignè rex gratificatus

*Copiæ Alexandri.*

est, atque hoc modo pleraſque Macedoniæ poſſeſſiones diuiſit. Tali animo & conatu Alexander traiecto Helleſponto Ilium aſcendit. Mineruæ ibi ſacrificauit, & heroibus libauit: ipſe oleo vnctus cum ſociis circum Achillis ſtatuam (vti moris est) decurrit: eámq; coronans, fortunam Achillis laudauit, cui & viuenti amicus fidelis, & mortuo inſignis præco obtigiſſet. Inter circumeundum, & res vrbis perluſtrandũ interrogatus, vellétne lyram Paridis videre, nihil ſe illam curare dixit, ſed Achillis citharam quærere, quais gloriam præclarorum vitorum & facta ceciniſſet. Interim Darij duces magnas contraxerant copias, & ad traiectum Granici fluminis inſtruxerant. Videbatúrque vtique in foribus Aſiæ de aditu & principio rei gerendæ pugna decernendum: ſed & altitudinem fluminis, & inæqualitatem aſperitatémque vlterioris ripæ, in quam erat facto prælio exeundum, plerique metuebant, nonnulli conſuetudinem etiam obſeruandam putabant, qua receptum erat, ne Dæſio menſe exercitum rex Macedonum educeret. Hoc quidem ita correxit Alexander, vt Artemiſium menſem denuò agi iuberet. Parmenioni pugnam diſſuadenti, quòd iam in exitu eſſet æſtas, reſpondit, Pudere ſe Helleſponti, ſi eo traiecto Granicum metueret. Itaque cum tredecim equitum turmis Granicum intrat, pérque rapidum & profundum amnem cõtra aduerſa tela, & prærupta loca armaturæ grauis militibus & equis enitens, inſania magis & deſperatione quàm conſilio rem gerere videbatur. Cùm magno labore euaſiſſet per fluuium in vda, & ob cœnum lubrica loca, coactus eſt priuſquam ordines ſuorum inſtruxiſſet, tumultuario prœlio ac viritim hoſtes ſubſiſtere, qui magno cum clamore irruebant, equósq; equis adhibentes, haſtis, &, ſi cubi eas fregiſſent, gladiis pugnabant. Ibi multis in ipſum, vt erat parma, & iuba galeæ, cui vtrinque alæ candoris magnitudinisque miræ affixæ erant, conſpicuus, cõuerſis, iaculo ictus eſt, quâ thoracis eſt cõmiſſura, ſed ſine vulnere. Rœſace autem & Spithridate ducibus vnà ingruentibus, hoc declinato, Rœſacem haſta prior icit, fractáque ea in thorace illius, gladium ſtrinxit. Interim his manus conſerentibus Spithridates equum à latere inhibens, omnique conatu aſſurgẽs, copide barbarica tantũ ictũ galeę Alexandri intulit, vt & criſtã cum altera ala amputârit, & plagam

*Achillis fe licitas.*

*Pugna ad Granicũ.*

vix

vix galea sustinuerit, sed summos etiam capitis crines acies copidis perstrinxerit: alterum ictum intentantem magnus ille Clitus conto medium transfixit. Simul & Rœsaces gladio ab Alexandro ictus cecidit. Hoc in discrimine dum equestris pugna versatur, iam & Macedonica phalanx transiuerat, & pedestres copiæ pugnam inibant. Sed eam Darij peditatus neque fortiter neque diu sustinuit, statimque fugam vniuersi fecerunt: exceptis Græcis qui apud Persas stipendia merebant: hi ad tumulum quendam globo facto, Alexandri fidem implorabant. In quos cùm ipse iræ magis quàm rationi obsecutus primus omnium impetum faceret, & equum amisit gladio per latera confossum, (alius is à Bucephalo fuit) & plerique eorum qui de Alexandri exercitu cæsi aut vulnerati sunt, ibi damnum acceperunt cum hominibus bellicosis, & salute desperata feris congressi. Occubuisse de Darianis traduntur millia peditum xx. equites bis mille quingenti. De Alexandri exercitu non nisi xxxiiii. homines amissos Aristobulus scribit, quorum nouem pedites fuerint. His statuas æreas poni iussit, quas Lysippus finxit. Victoriam autem cum Græcis communicans, priuatim Athenien sibus misit trecenta scuta capta: reliquis verò spolijs communi nomine inscribi iussit magnificum planè titulum: Alexander Philippi F. & Græci, exceptis Lacedæmonijs, de barbaris Asiam habitantibus. Pocula, purpuras, aliáque id genus Persica instrumenta quæ cepisset, paucis demptis omnia matri misit. Hæc verò pugna ingentem statim rerum ad Alexandrum inclinationem effecit: adeò vt Sardes etiam, barbarici in Asia maritima imperij decus, & aliæ vrbes se ei tradiderint. Solæ Halicarnassus & Miletus restiterunt: quas cùm vi expugnasset, omnemque circùm regionem subegisset, dubius animi de reliquis fuit, cùm sæpe cum Dario confligere, & de summa rerum dimicare studeret, sæpe rebus maritimis opibúsque priùs sese confirmare, & quasi exercere, atque ita demum aduersus eum pergere statueret. Fons est Lyciæ prope Xanthum, quo tunc sponte sua subuerso & exundante narrant ex fundo eius æream tabulam elatam, in qua literis antiquis inscriptum fuerit, regnum Persarum à Græcis euersum cessare. Hoc vaticinio confirmatus, oram maritimam ad Phœnicen vsque & Ciliciam expurgare contendit. Qua celeritate

*Summa Victoriæ.*

*Ora maritima subacta.*

leritate oram Pamphyliæ peragrârit, id multis historicis materiam inflatius scribendi præbuit, qui diuina quadam fortuna id mare Alexandro cessisse autumant, quod alioqui semper ab alto asperum continenti allidatur, raróque admodum infra præcipitia & abruptos montium processus teneras quasdam & resonantes cautes detegat. Sanè incredibilem eam rem etiam Menander in Comœdia notauit.

*Quàm germanum Alexandri facinorib. hoc? si quempiam*
*Quæro, is vltrò adest: quod si videlicet me oporteat*
*Pertransire aliquem maris locum, patebit transitus.*

At ipse in epistolis suis Alexander nihil prodigiosi memorat: iter se fecisse per Climacem ait, profectum a Phaselide. Plures in ea vrbe dies commoratus, cum Theodecte (Phaselites is fuerat) mortui imaginem in foro positã vidisset, post cœnam eò bacchatus, multa serta ingessit: haud ingratum etiam in ioco honorem ei consuetudini reddens, quæ sibi propter Aristotelem & philosophiã cum eo viro fuerat. Secundum hæc Pisidas resistere ausos subegit, Phrygiam domuit, cúmq; Gordium, quod antiqui istius Midæ fuisse domicilium traditur, cepisset, decãtatum illum currum vidit, corni libro illigatum, déq; eo sermonem à barbaris pro vero habitum audiuit, ei, qui nodum istum soluisset, regnum orbis terrarum fato destinari. Plerique scribũt nexuum occulta fuisse capita, obliquísque ea inuolucris variè inter se abdita: itaq; Alexandrum vt rationem explicandi nodi nullam inuenerit, gladio secuisse, statímq; multa extitisse ligamẽtorum capita. Aristobulus facilimum solutu fuisse affirmat, extracto temonis clauo, quo ei iugum appenditur, ac deinde iugo etiam amoto. Paphlagonas inde & Cappadoces cùm in suam potestatem redegisset, audita Memnonis morte, qui rei maritimæ præfectus a Dario videbatur plurimum negociorum molestiarúmq; & difficultatum Alexandro exhibiturus, in superiorem Asiam ducendi consiliũ firmauit. Iam & à Susis mouerat Darius, copiarum multitudine fretus, (duo enim millia hominum secum ducebat) & insomnio animatus, cuius gratiorem ipsi quàm veriorem interpretationẽ Magi fecerant. Viderat enim in somnis multo igni Macedonum phalangem depasci, Alexandrũ autem eo amictu, quem ipse olim cùm esset asgandes regius, gestasset,

*Gordij curtus.*

*Darij copia, & insomnium.*

staſſet, ſibi adſtare miniſtrum: eundemque in Beli templum intrantem, à nemine pòſt conſpici. Per hæc nimirum Deus indicabat fore Macedonum res illuſtres, Alexandrúmq; Aſiæ potiturum, (ſic vt Darius etiã eam obtinuit rex de aſſanſ de factus) & mox cum gloria vitam dimiſſurum. Aucta eſt etiam fiducia Dario, cum Alexandrum diu in Cilicia commorantem pro timido haberet. Moræ autem cauſa Alexandro fuit morbus, quem ei alij ob defatigationem, alij cùm in flumine Cydno frigidiſſimo lauiſſet, accidiſſe tradunt. Cùm de cæteris medicis nemo auxilium adferre auderet, quòd morbum omni remedio ſuperiorem iudicantes metuebant, ne ſi medicinam abs re adhibuiſſent, in calumnias Macedonum incurrerent: Philippus Acarnan tametſi & ipſe difficultatem rei cerneret, amicitiæ tamen fidens, indignumq; ratus ſi rege periclitante non ad extremum vſq; conatum potiùs ei opitularetur, quàm commune periculum ſubiret, auſus eſt medicamentum ei temperare, idq́, vt biberet perſuadere, cupienti recuperatis viribus bello reddi. Interim ex caſtris Parmenio epiſtolam ad regem mittit, qua monebat, vti ſibi à Philippo caueret, quem Darius maximis muneribus & filiæ coniugio propoſito ad necandum ipſum compuliſſet. Alexander lectam epiſtolam, nullíque amicorum exhibitã, ſub puluinari depoſuit: vbi tempus offerendi medicamenti fuit, & Philippus cum amicis ad regem intrauit, pharmacum in calice afferens, epiſtolã ei porrexit: ipſe poculũ alacriter, nihílq; ſuſpicans accepit. Mirum profectò id fuit ſpectaculum, altero legente, altero bibente, ac deinde ſe minimè eodẽ modo aſpiciẽtibus: cùm Alexander hilari vultu fidem ſuam & beneuolentiam in Philippum teſtaretur, Philippus calumnia attonitus nunc Deos obteſtaretur, cœlóq; manus tenderet, nunc ad lectũ Alexandri concideret, eúmq; bono animo eſſe, & ſibi obſequi hortaretur. Et verò medicamentũ tũ initiò corpus adortum, repulerat quaſi, & in altum depreſſerat vires eius, ita vt & vox deficeret, & animi deliquio oborto vita eius obſcurè admodũ ſenſu perciperetur. Sed mox à Philippo refectus, receptis viribus ſeſe Macedonibus oſtendit, quibus non niſi conſpecto ipſo eximi mœſticia poterat. Erat quidam in caſtris Darij Amyntas, genere Macedo, & ex Macedonia profugus, cui ingenium Alexandri non erat ignotum. Is cùm Darium videret

*Alexãdrũ Philippus ſanat.*

in hoc

in hoc esse, vt per angustias ad Alexandrũ contenderet, precatus est vti maneret in locis ijs, vbi aperti essent latúq; campi, tantis copijs contra multo pauciores pugnaturo. Ac respondẽti Dario metuere se, ne hostes & Alexander fuga maturè facta sibi elaberentur, nihil eo metu opus esse dixit: ipsum enim vltrò Alexandrum venturum, ac fortassis iam appropinquare. Sed Amyntæ consilio spreto Darius castra in Ciliciam mouit: & contra aduersus eum Alexander in Syriã processit. Per noctem factum est, vt inuicem non occurrerent, inde vterq; retrò iter conuerterunt: Alexander casu sibi oblatam occasionem gaudens, & in faucibus obuiam venire hosti contendens: Darius, vt locum in quo castra antè habuerat reciperet, copiásq; angustijs educeret. Etenim iã senserat se suo incommodo in loca ob mare, montes, fluuiumque interfluentem (Pindarum vocant) equitatui aliena, passimq; intercepta, & paucitati hostium opportuna exercitum induxisse. Alexander, cum ei locum opportunum fortuna dedisset, munere hoc ad victoriam eo meliùs parandã prudenter vsus est: cùm longè admodum inferior hostili multitudine, non modò id cauit, vti ne ab ijs circumueniretur: sed & ipse dextro cornu sinistrum eorum ita prẽterijt, vt ex obliquo irruens in fugam oppositos sibi hostes pugnãs ipse inter primos coniecerit. Ea quidem in pugna gladio femur ictus est: a Dario vulneratum (ipsos siquidem reges manum conseruisse) Chares autor est. Alexander de ea pugna ad Antipatrum scribens, autorem vulneris non indicat, gladio sibi femur sauciatum vulnere minimè noxio scribit. Victoria insigni potitus est, cæsis c x. millib. barbarorum, cóque amplius. Darium non cepit, qui fuga quinque aut quatuor stadijs anteuerterat: curru arcúq; eius capto, ad Macedonas redijt. Ibi Macedonas offendit castra barbarorũ immensis abundantia opibus diripientes: (& quidem expediti ad pugnam iuerant illi, relictis Damasci plerisq, impedimentis) Darij tentorium famulicio splẽdido, apparatúq; & diuitijs ingentibus refertum Alexandro eximium à præda reliquerant. Itaq; statim armis positis ad lauacrum contendit, inquiés, Agedum eamus sudorem prœlio conceptũ Darij lauacro abluturi. tum quidam sociorum, Nequaquã, inquit, Darij, sed Alexandri balneo: victoris enim & esse & dici debent eorum qui succubuerũt bona. Vt verò pyxides,

*Pugna ad Issum.*

guttos,

guttos, pelues, alabastros, aurea omnia & summa arte parata vidit, tum diuinum quendam odorem domus vnguentorum & aromatum reddidit: deinde in scenā progressus magnitudine & altitudine, ad hæc stragula veste, mensis & cœnæ apparatu admiranda omnia vidit: ad socios dixit, Nimirum ergo hoc erat regem esse. Iam cœnaturo renunciatum est inter captiuos matrem, vxorémq; Darij, & duas filias virgines duci, eásq; cùm Darij currum arcúmq; conspexissent, plangere & lugere, peremptum eum iudicantes. Hic diu secum ipse meditatus, magísque earum quàm sua commotus fortuna, Leonnatum mittit, indicare ijs iubens, neque Darium perijsse, neq; ipsis ab Alexandro esse metuendum: se enim cum Dario de principatu belligerari, ipsis omnia quæ regnante Dario habuissent præbiturum. Benignus is & humanus sermo mulieribus visus est: sed re ipsa plus humanitatis expertæ sunt. Nam & sepelire quos vellent Persarū permisit eis, vestibus ad hoc & ornatu de præda concessis, neq; quicquam ijs honorum aut familiæ ademit, reditus etiam priorib. ampliores destinauit. Maximum autem & verè regium ijs beneficium exhibebatur, quòd generosæ pudicæq; mulieres tum in captiuitatem redactæ nihil neq; audiuere, neq; senserunt, neq; expectauerunt turpe: sed tanquam nō in castris hostium, sed castis & sanctis in virginum domicilijs occultam & ab omnium oculis remotam vitam egerūt. Et quidem Darij vxorem ferunt lōgè omnibus reginis fuisse formosiorem, sicut & Darium inter viros pulcerrimum maximúmq;, filias etiam parentum similes. Sed enim Alexander seipsum vincere quàm hostes magis regium existimans esse, neq; harum vllam, neq; vllam aliam ante nuptias attigit mulierem, Barsina excepta. Hæc Memnone mortuo vidua apud Damascum capta fuit, Græca disciplina erudita, moribúsq; bonis, Artabazi, qui regem maternum auum habuerat, filia: eius vt noticiā haberet, Parmenionis (vt ait Aristobulus) monitu, quippe mulierem & natalib. & forma nobilem commendantis, factum est. Reliquas captiuas forma & statura eximias cùm videret Alexander, per iocum dixit, Persides oculorum dolores esse: formæ autem earū spectaculo suæ continentiæ & temperantiæ pulcritūdinem opponens, tāquam exanimes imagines prætermisit. Cùm Philoxenus mari præfectus scripsisset Theodorum quendam

*Clemētia in Darij familiam captiuam.*

*Cōtinētia Alexādri.*

Taren-

Tarentinum pueros duos miræ pulcritudinis venales attu-
liſſe, percontaretúrq; an eos emeret: indignè ferens, ſæpe a-
pud amicos vociferatus eſt. Cuiúsnam tandem turpitudinis
mihi Philoxenus conſcius eſt, quòd talia mihi opprobria
commendat? ipſumque Philoxenum per literas grauiſſimè
obiurgatum, amandare vnà cum mercibus ſuis in malam
rem Theodorum iſtum iuſſit. Agnonem etiam adoleſcentē
grauiter corripuit, qui ad ipſum ſcripſiſſet, Crobylum Co-
rinthi celebrem velle ſe ei emere atque afferre. Audito Da-
monem & Timotheum Macedones ſtipendiariorum quo-
rundam militum, qui ſub Parmenione erant, corruppiſſe v-
xores, Parmenionem ſcripta epiſtola iuſſit eos, ſiquidē con-
uicti eius ſceleris fuiſſent, tanquam beſtias ad hominū per-
niciem natas capitali ſupplicio tollere. Et de ſeipſo ea in e-
piſtola hæc verba ſcripſit: Ego enim tantum abeſt vt vel vi-
derim, vel videre voluerim Darij vxorē, vt ne ſermones qui-
dem de elegantia eius referentium admiſerim. Idem ex ſom
no & re venerea potiſſimùm ſe intelligere dixit, quòd homo
eſſet: ſentiēs videlicet naturæ ab eadem imbecillitate & de-
fatigationem, & voluptatem ingeneratam eſſe. A gula fuiſ-
ſe alieniſſimum, & alijs multis rebus oſtendit, & his quæ A-
dæ (a qua ſe adoptari paſſus fuerat, eámq; Cariæ reginā con
ſtituerat) reſpondit. Cùm enim illa amoris cauſa multum ei
quotidie ciborum & placentarum mitteret, & ad extremū
quos præſtantiſſimos coquos piſtoresque haberet, Nihil ſe
iſtis indigere, dixit: meliores enim ſibi cocos à Leonida pæ-
dagogo additos, ad prandium nocturnam ambulationē, ad
cœnam frugale prandium. Idem, inquit, ſtragulorum etiam
veſtimentorúmq; arcas meas aperuit crebrò, inquirens ne
quid delicatum aut ſuperuacaneum mater eò impoſuiſſet.
Minùs quoque, quàm exiſtimabatur vino fuit deditus: vi-
noſior enim ob tempus creditus fuit, quod non tam biben-
do quàm dicendo trahebat, ſingulis calicibus longum ſer-
monem annectens, atque id non niſi cùm abundaret ocio.
Non enim eum, vt alios imperatores, vinum, non ſomnus,
non ludus, non nuptiæ, non ſpectaculum à rebus gerendis
detinuit: quod vita eius demonſtrat, cuius breuiſſimo ſpa-
cio plurimas res maximásq; geſſit. Per ocium autem primū
aſſurgens rem ſacram Dijs faciebat: inde ſedens prandebat.
A prandio reliquum diei venando, componendo, iudican-

*Vitæ eius rationes.*

dóve

dóve aliquid de re bellica, aut legendo exigebat. Si iter non admodum festinãs faceret, inter eundum discebat aut iaculari, aut currum concitatum conscendere, ab eodémque descendere: sæpe etiam animi causa vulpes aut aues captabat, vt ex diarijs eius intelligi potest. Cùm diuertisset, & lauare aut vngi instituisset, ex pistoribus coquísque quærebat paratáne esset cœna. Cœnare non nisi iam tenebris noctis ingruentibus cœpit: mirabili autem cura circumspiciebat, ne quid in mensa inæqualiter negligentérve distribueretur. Potum, vti ostendimus, ob loquacitatem diutius trahebat. Atque hic rex alioquin iucundissimæ consuetudinis, nulliúsque expers lepóris, iactantia nimia molestus fuit, nimísque militari leuitati indulsit, cùm & ipse maiori se fastu efferret, & seipsum adulatoribus quasi equitandum præberet. Quæ res ciuilissimo cuique conuiuarum plurimum exhibebat molestiæ, cùm neque certare cum adulatoribus, neque in laudando ijs esse inferiores vellent: quorum alterum turpe erat, alterum periculosum. A potu lotus sæpe ad meridiem vsque dormiebat: est & cùm totum diem somno impendit. Ciborum quidem delicatiorum ita erat temperans, vt cùm sæpe ad ipsum à mari rarissimi arborum fructus & pisces afferrentur, ita de ijs plerunque ad amicos dimiserit, vt nihil sibi reseruaret. Cœna tamen splendida semper fuit, auctóque cum fortuna eius sumptu, tandem ad centum minas peruenit: tantum enim péndere iubebantur ij qui Alexandrum acciperent conuiuio, neque vltra id precium auctum est. Secundum Issicam pugnam Damasco adferri pecuniam, & impedimenta & liberos vxoresq; Persarũ iussit. Maximè hinc ditati sunt Thessalici equites, quos vt fructũ præclaræ eo in prælio exhibitæ operæ caperent, consultò eò misit. Sed & reliquus exercitus summam rerum copiam nactus est: ac tum primùm Macedones auri, argenti, mulierum, vitaéque barbaricæ gustu percepto, veluti canes vestigium assecuti, persequi & indagare diuitias Persicas auebant. Cæterùm Alexander maritima prius certo in statu collocanda sensit. Statim reges adfuerunt, Cyprum ei & Phœniciam dedentes, Tyro excepta. Tyrum cùm septimo iam mense oppugnaret aggeribus, machinisque & ducentis à mari triremibus, in somnis vidit Herculem sibi manum de muro porrigentem, & vocantem. Multi verò Tyriorum

*Tyrus expugnata.*

per

per insomnium visi sibi sunt audire Apollinem dicentem, sibi ea quę in vrbe agerētur non probari, ideóq; se ad Alexandrum abire. Atq; hi quidem perinde ac si hominē ad hostes transfugere aggressum in ipso facto deprehendissent, colossum Dei eius catenis ligauerunt, clauisq; basi affixerunt, Alexandristam appellantes. Aliud visum Alexandro per quietem oblatum est. Satyrus ei conspectus est eminus alludere, deinde volenti eum capere fuga elabi, tandem multa orantis & circùm cursitantis in manus venire. Coniectores nomen Satyri diuidentes, haud absurdè pronunciarūt Sa Tyros, id est, tua erit Tyrus. Ostenditur etiam fons, apud quē in somnis cernere Satyrum imaginatus fuerat. Durante Tyri obsidione, exercitū aduersus Arabes qui accoluntad Antilibanum duxit. Ibi propter pędagogum Lysimachum graue subijt periculum, qui sequebatur eum, neq; deteriorem se neq; grandęuiorem Phœnice dicens. Sed cùm ad montana appropinquasset, & relictis equis pedes incederet, procul reliquis progressis cùm iam adueśperascęret, Lysimachum defatigatum deserere non sustinens, dum eum hortatur & promouet, paulatim à suis diuulsus, coactus est iniquo loco tenebris iam & vehementi frigore oborto pernoctare. Cernens autem procul multos ignes passim ab hostibus accensos, fretus agilitate corporis, quam suis adsiduè laboribus tolerando auxerat, vt suorum incommodo mederetur, ad proximum ignem hostium accurrit, duobúsq; assidentibus barbaris ense cęsis torrem abreptū ad suos pertulit. Ita magno statim igne edito, barbaris tantum iniecerunt terrorē, vt fugam fecerint: cæteros inuadentes repulerunt, atq; ita extra periculum eam noctem exegerunt. Hæc est Charetis narratio. Cæterùm obsidio Tyri hunc habuit finem. Cùm Alexander maiorem exercitus partē quiete reficeret ob exhaustos labores, paucósq; tantùm muris admoueret, ne hostibus ocium concederet: Aristander vates mactata hostia cùm exta inspexisset, audaciùs affirmauit præsentibus, fore vt eo vtique mense vrbs caperetur. Risu ad hoc & cauillis existentibus, quod vltima ea dies mensis erat: rex, vti semper vaticinia magni faciebat, perturbatum Aristandrum cernens, eum diem non trigesimum mensis, sed vigesimum octauum numerari iussit: tum úlque tuba signum dans, maiori quàm statuerat initiò conatu muros oppugnare cœpit.

Facto

Facto vehementi impetu, cùm ne ij quidem, qui erant in castris, sese continerent, sed & ipsi ad auxilia accurrerent, animos desponderunt Tyrij, vrbsque eadem die capta est. Postea Gazam ei oppugnanti maximam Syriæ vrbem, gleba in humerum incidit desuper ab aue demissa: auis autem cùm in machina cõsedisset, neruorum nexibus quorum ad attrahendos funes vsus est, sese implicauit. Ita verò euenit, vt prædixerat id signum interpretans Aristander: capta enim vrbs est, Alexandro humerus vulneratus. Cùm multa de præda Olympiadi, Cleopatræ, amicísque dona mitteret, Leonidæ quoq; pædagogo d. thuris, myrrhæ centum talẽta misit, puerilis spei recordatus. Etenim (vt fertur) quodam in sacrificio Leonidas ipsi vtraque manu odoramenta in ignẽ conijcienti dixerat, Vbi aromatiferam regionem ceperis Alexander, tum ita liberaliter adole: nunc parciùs. Igitur tum Alexander ei scripsit: Mittimus tibi thuris & myrrhæ abundè, vti cesses illiberalis in cultu Deorum esse. Cùm esset ad ipsum allatum scrinium, quo nihil in rebus & impedimentis Darij captis precioſius repertum fuit, ex amicis quęsiuit, quidnam potissimùm ei imponeret: ac multa multis dicentibus, Iliadem ipse eò depositam se adseruaturum affirmauit. Multos huius rei habeo magnæ fidei autores. Iam si verum est quod Alexandrini Heraclidem secuti asserunt, nẽque ocioſum se ei, neque consilij dandi negligentem militiæ comitem Homerus præbuit. Nam Ægypto (vt ipsi aiũt) capta Alexander cùm vrbem Græcam sibi cognominem ibi condere vellet, magnam & hominibus frequentem, & iam de sententia architectorum locum quendam dimensurus ac definiturus esset, nocte ea mirabile vidit insomnium. Visum venerabili forma, cana coma imaginatus est sibi adstare, & hos versus recitare:

*Gazæ obsidio.*

*Alexandria.*

*Præterea Vndoso quædam iacet insula ponto,*
*Oppositа Aegypto: Pharon illam nomine dicunt.*

Itaque statim surgens, Pharum adijt, quæ tum adhuc erat paulum supra Canobicum ostium, nunc aggere est annexa continenti. Contemplatus loci commodissimam naturam (est enim in longum porrecta insula, Isthmo mediocris & ad longitudinem congruæ latitudinis intercipiens paludem magnam & mare magno portu finitum) cùm alijs in rebus admiratione dignum Homerum, tum sapientissi-

mum esse architectum dixit. Proinde vrbis figuram loco isti conuenientem ibi describere iussit. Cùm non esset in promptu creta, polenta in solo nigro delineauerunt rotundum sinum, cuius interiorem superficiem rectæ bases, quemadmodũ ab oris seu fimbrijs figura chlamydis ducitur, æqualem ad magnitudinem perducebãt. Eam figuram cùm magnoperè probaret rex, subitò magnæ, innumeræ, omnigenæq; aues à flumine & lacu nubis instar locum eum occupauerunt, atq; ita polentam depastæ sunt, vt ne tantillum quidem relinquerent. Perturbatum eo augurio vates cõfirmarunt, vrbem locupletissimam & quæ omnigenũm hominũ alumna foret, condi ab eo dicentes. Itaq; præfectis ei operi procuratoribus, iter ad Ammonem ipse suscepit longum: in quo cùm difficilia sunt omnia & laboriosa, tũ pericula duo impendent, alterum ab aquæ penuria, ob solitudines quæ sunt haud paucorum dierum: alterum ab austro, ne is vehemens in immensa profundáque ambulantibus arena incidat. quippe olim quoque fertur ingentibus excitatis arenarum aggeribus, & planicie maris instar exagitata, t. millia hominum de Cambysis exercitu obruisse. Quæ tametsi vniuersi propè reputarent, difficile tamen erat Alexandrum ab eo quod semel sibi proposuisset detrahere. nam & fortuna conatibus eius fauendo animum confirmabat, & audacia in rebus inuictam eius pertinaciam prouehebat, non hostes modò, sed loca etiam ac tempora vi superantis. Ea quidem in profectione auxilia, quibus Deus difficultates eius subleuauit, plus fidei quàm reddita deinde oracula inuenerunt: imò ea fidem etiam oraculis quodammodo fecerunt. Primùm imbres largi & sitis metu liberauerunt, & siccitatem arenæ nimiam abstulerunt, cùm ea humectata in sese subsideret, eóq; purior fuit, & spirabilior aer. Deinde cùm ductores metas cõfudissent, atque inde error & diuulsio sequentiũ oriretur, subitò visi corui duces itineris se præbuerunt, modò volatu præcedentes, modò tardiores expectantes, quin etiam (quod maximè mirum Callisthenes commemorat) eos qui aberrassent per noctem crocitatione sua in viam reuocantes. Vt peragratis solitudinib. ad locum quem petebat péruenit, vates Ammonis eũ Dei, veluti patris eius verbis saluere iussit. Interrogãti deinde, ãnquisne ipsum patris percussorum effugisset, Bona, inquit, verba: non enim

*Profectio ad Ammonem.*

mortali

mortali patre tu natus es. tum mutato sermone quæsiuit Alexander, Philippine interfectores omnes vltus esset, & an omnibus esset dominaturus hominibus: respõdit Ammon, & hoc se ei dare, & Philippi cædem prorsus esse vindicatam. Tum Alexãder donarijs Deum, pecunia homines donauit. Hæc istis de oraculis pleriq; tradunt. Ipse in epistola ad matrem arcanas sibi quasdã sortes datas scribit, quas solus sibi sit, vbi reuertisset, expositurus. Quidam referũt antistitem, cùm Græco sermone blandiùs alloqui Alexandrum, & pædion, id est, filium appellare vellet, lapsum (vt erat barbarus) in vltimæ literæ sonũ, ô pædios, quod est ô fili Iouis, dixisse: Pergratum hunc errorem Alexandro fuisse, atq; inde vulgatum, eum ab Ammone filium Iouis appellatũ. Fertur etiam in Ægypto Psammonem philosophum audiuisse: idq; eius dictũ maximè probasse, quo affirmabat omnes homines à Deo regi: diuinum enim esse id, quod in vno quolibet præsit atq; imperet. Ipsum q; magis philosophicè eadem de re sensisse, cùm quidem Deum omnib. hominibus communem esse patrem, sed proprios sibi filios eos adsciscere, qui hominum essent præstantissimi; diceret. Omnino autem ita se erga barbaros superbè gerebat, vt qui Deo patente plurimum fideret: apud Græcos modicè & parcè diuinitatem iactauit. nisi quòd de Samo Athenienſibus scribens, Non quidem, ait, ego liberam vobis & nobilem vrbem tradidi, sed accepistis eam ab eo, qui tum dominus & pater meus nominabatur: Philippum ita indicãs. Pòst sagitta ictus cùm grauiter doleret, Id quidem, dicebat amicis, quod de vulnere effluit, sanguis est, non ichor,

*Qualem felices stillant de corpore diui.* 16

Magno aliquando tonitru audito, omnibusq; consternatis, Anaxarchus sophista qui tum fortè aderat, Cur, inquit, non tu quoque tale quid exhibes, fili Iouis? ad hoc ridens Alexander respondit: Quia nolo amicis esse terrori, id quod tu me iubes, cœnam meam exagitans, quod nõ satraparum capita, sed pisces mensis impositos vides. Quippe memoriæ proditum est, id aliquando dixisse Anaxarchum, cùm Hephæstioni piscículos rex misisset, veluti contemnentem & irridentem eos qui magnis laboribus & periculis res viles consectantur, cùm aut parum, aut nihilo plus voluptatis quam alij percipiant. Enimuero ex ijs quæ recensui liquet,

*Psammonis dictũ.*

*Alexãder an Deo natus.*

*Ludi ab eo editi.*

Alexandrum opinione diuinitatis nihil affectum, neque superbiorem factum, reliquos tantùm ea subiugasse. In Phœnicen ex Ægypto reuersus, sacrificia dijs pompásque instituit, & chorum cyclicum, scenicósque ludos, non apparatu modò, sed & certaminibus splendidos. Præbebant enim sumptus Cypriorum reges, sicuti Athenis ij qui de tribubus sorte ad id ducti sunt: fuítque inter eos mirifica contentio, Nicocreontem præsertim Salaminium, & Pasicratem Solensem: his enim sorte obtigerat, vt nobilissimos histriones instruerent, Athenodorum hic, ille Thessalum. Cui quidem cùm ipse quoque Alexander cuperet, non antè tamen studium suum ostendit, quàm Athenodorus victor est pronunciatus: tum discedens (vt aiunt) laudare quidem se iudices dixit, partem tamen regni sui libenter dimissurum fuisse, ne Thessalum victum vidisset. Cùm verò Athenodorus ab Athenien sibus mulctatus, quòd Bacchanalibus non interfuisset, pro se literas à rege peteret, non impetrauit: mulctam tamen à se rex misit. Lycone Scarphensi cum laude in theatro agente, versumque Comœdiæ inserente, qui decem talentorum petitionem continebat: ridens, ei dedit.

*Darij postulata.*

Darius porrò missis literis & amicis ab Alexandro petijt, vt acceptis pro redemptione captiuorum decem millibus talentûm, Asia cis Euphratem vniuersa occupata, atque altera filiarum matrimonio copulata, fœdus secum societatémque coiret. Ea re cum amicis communicata Alexander, Parmenioni conditiones accepturum se, si Alexander esset, dicenti, Acciperem (inquit) & ego, si Parmenio essem. Dario autem scripsit, eum si ad se veniret, summam humanitatem experturum: si non veniret, se iam ad ipsum proficisci. Mox verò pœnituit facti, cùm Darij vxor in partu perijsset: neque dissimulauit dolorem, quem ex neglecta ostentandæ clementiæ haud vili occasione cepisset. Interim cubicularius quidam eunuchus, ex his vnus, qui cum reginis capti fuerant, Tireos nomine, ex castris aufugit, equóque ad Darium vectus, mortem ei vxoris nunciauit. Qui cum caput feriret, fortunámque Persarum deploraret, quæ non captiuam modò duci reginam, sed & mortuam regij funeris expertem iacere permisisset: interpellans eum Tireos,

*Cũ Tireo colloquiũ.*

Quod ad sepulturam (ait) decusque eius & honores attinet, ô rex, nihil est quòd fortunam Persarum culpes. Neque enim

enim Statiræ (id reginæ nomen fuerat) viuenti, neque matri liberisque tuis quicquam eorum bonorum honorúmque quibus antè fruebãtur, defuit hactenus, nisi quòd tuo aspectu carẽdum est, quem eis reddat potens Deus Oromasdes. Tantum verò abfuit vt illa sepulturæ vllo honore caruerit, vt lacrymis etiam hostium sit decorata. Ita enim clemens est victor Alexander, vt acer bellator. Hæc audientem Darium perturbatio animi in siniſtras adduxit suspiciones; & eunuchum in penetrale tentorij recipiens, ita allocutus est: Nisi tu quoq; Persarum fortunam imitatus ad Macedonas animo inclinas, si dominus tibi adhuc est Darius, dic mihi lumen Mithræ magnum & regis dexteram reueritus, núm nam ego minima Statiræ infortunia deploro, eáque viuente passi sumus grauiora? nũquid honestius miseri fuissemus, si in crudelem incidissemus & inhumanum hostem? qui enim castum sit iuueni cum hostis cõiuge commercium, ad tantos vsque honores procedens? Nondum finiuerat, cum Tireos ad pedes eius se proijciens obtestatus est, saniora loqueretur, néve iniuria Alexandrum, sororem, eandémque vxorẽm vita defunctam contumelia afficere, neque seipsum maximo aduersæ fortunæ huius solatio spoliare vellet: etenim cogitaret potius, se ab hoste humana conditione præstantiori victum esse, & Alexandrum plus temperantiæ captiuis mulieribus, quàm Persis fortitudinis ostendisse. Simul & horrendis se sacramentis obstringebat, déq; reliqua Alexandri continentia animíque magnitudine orationem instituebat. Darius autem ad amicos egressus, manus ad cœlum tendens, ita precatus est: Dij natales atque regij, id primum vos precor, quam mihi Persarum fortunam dedistis, eam restitutam ego vti posteris relinquam: vti victor Alexandro rependam, quæ in mei calamitate icti charissimos contulit beneficia. Sin fatale adest tempus, itaque visum est Nemesi, & rerum vicissitudini, vti Persicum regnum cesset: at nemo hominum præter vnum Alexãdrum in Cyri sedeat solio. Hæc ita acta dictáque fuisse plerique scriptorum tradunt. Alexander, cum quantum cis Euphraten est Asiæ, omne in suam potestatem subegisset, aduersus Darium contendit cum mille hominum millibus descendentem. Hic de re ridicula ad Alexandrũ ab amicis refertur. Ministros in duas partes se diuisisse, vtrique ducem fuisse, quorum ij alterum

*Votum.*

Alexandrum, alterum Darium nominauerint. incepisse primùm glebas contra sese iaculari inuicẽ, mox ad pugnos, inde accensa contentione ad lapides quoq; & fustes a multis pertinaciter peruentũ. Hæc vt audiuit, iussit ipsos duces singulari prælio decernere, Alexandrúmq; ipse, Darium Philostas armauit: duellum exercitus spectauit, in omen futurirẽ rem trahens. Dimicatum est acriter, Alexandérq; ille victor duodecim pagos, & amictum Persicum præmij loco accepit. autor Eratosthenes. Magna verò illa Alexandri & Darij pugna non ad Arbela (quod pleriq; scribunt) sed apud Gaugamelá facta est. Gaugámela sermone Persarum cameli domum significat, vti aiunt: ꝙ rex quidam priscis temporibus ex hostibus camelo cursoria seruatus, eam ibi collocauerit, pagósque & reditus certos ad curam eius destinauerit. Luna tum defecit mense Boedromione, quo tempore Mysteria agi Athenis incipiunt. Vndecima post id deliquium nocte cùm iam in conspectu mutuo essent exercitus, Darius præ-
17 lucentibus facibus ordines inspectans in armis suos continuit. Alexander Macedonibus quiescentibus, cum Aristandro vate ante tentorium sacris quibusdam arcanis operatus est, & Apollini hostiam mactauit. Amicorum verò grandiores natu, & præcipuè Parmenio, cùm quidquid campi interiacet Niphatem & mõtes Gordyenorum, barbaricis fulgere ignibus cernerent, sonusq; incertus, vocesq; confusæ, & trepidatio ab hostium castris tanquam vasto mari exaudiretur, multitudinem mirati, atq; inter se collocuti quantæ molis esset futurum aperto Marte cum tantis hostium copijs cõcurrere, regẽ à sacris reuersum adiuerunt, eíq; autores fuerunt, vt noctu hostes adoriretur: & quod in pugna maximum suis oblaturum esset terrorem, tenebris absconderetur. Ad hæc vulgatum illud Alexander cùm respondisset, Non soleo furari victoriam: quibusdam visus est iuuenili dicto futiliter in tanto periculo lusisse: quidam & rectè in præsentia animo constitisse eum, & de futuro veram fecisse coniecturam senserunt, qui Dario nollet occasionem relinquere vt is iterum victus, bellum denuò repararet, nocti & tenebris hanc cladem, vt priorem montibus, angustijs, maríque imputans. non enim armorum aut militum penuria Darium, tantæ ditionis tótque terrarum dominum, à bello destiturum, sed vbi aperto prælio & vi superatus inferiorem

*Alexãdri magnanimitas.*

rem se agnoscens spiritus spesque suas posuisset. Digressis amicis cùm se in tentorio quieti dedisset, præter morem suum fertur reliquum noctis alto somno exegisse: ita quidem vt mirati sint duces cùm sub auroram accessissent, atque ipsi a se primùm militibus prandendi mandatum dederint. Deinde rebus ita postulantibus Parmenionem ingressum lecto adstitisse, ac bis tèrve nominatim eum vocasse, expergefactúmque interrogasse, quídnam ei accidisset, vt quasi victoria parta, non grauissimo instante certamine ita dormiret. Tum Alexandrum misto risu dixisse, Non tibi ergo iam victoriam adepti videmur, erroribus & insecutione pugnam subterfugientis Darij per vastam & populationibus proditam regionem liberati? Neque ante pugnam tantùm, sed in ipso etiam conflictu magnam suam prudentiam confidentiámq; ostendit. Apud læuum cornu, cui Parmenio præerat, nonnihil erat trepidationis, cum equites Bactriani magno impetu in Macedones impressionem facerent, Mazæus autem extra phalangem circummissos equites impedimentorum custodes inuadere iussisset: itaque vtrinque turbatus Parmenion Alexandro per nuncios indicauit, actum esse de castris & impedimentis, nisi celeriter à fronte auxilium posterioribus submitteretur. Fortè tum suis conflictus signum Alexander dabat, auditóque Parmenionis nuncio, Sanis consilijs excidisse eum dixit, oblitúmque inter tumultum, quòd victores hostium quoque bonis sint potituri: victis non de facultatibus aut mancipijs, sed morte honestè fortitérque pugnando obeunda cogitandum fore. Hæc Parmenioni renunciari iussit, ipse galeam imposuit capiti: cætera enim arma in tentorio induerat, tunicam superiorem cinctam, Siculi operis, super hac thoracem lineum bilicē, ex spolijs Isiacis: galea ferrea erat, argenti puri instar coruscans, opus Theophili: ei consertum erat monile, ferreum & ipsum, gemmisq; baccatum. Ensem mira tinctura ac leuitate ex dono regis Citieorum gestabat, solitus in pugna plerunque rem gladio gerere. Sagum etiã quàm cæteræ armaturæ cõueniret precio sus (fecerat antiquus Helicon, donauerat eo Alexandrum Rhodiorum ciuitas) erat. gestabat autem id quoq; ad pugnam. Dum ordines instruēs, milites adhortans, docens, inipiciénsve obequitaret, alio vtebatur equo Alexander, Bucephalo parcēs, iã grauiori ætate: ad pu-

*Pugna ad Gagamela superatur Darius.*

gnam accedēti is adducebatur, eóq; consenso statim prœlium inibat. Tunc autem Thessalos multis cohortatus, reliquósq; Græcos, cum bono esse animo iussissent, sublatóq; clamore duci se aduersus barbaros peterēt, conto in læuam manum translato, dextrā intendens Deos (vt est à Callisthene scriptum) precatus est, vti si verè genus sibi ab Ioue esset, Græcos vlcisci ac roborare sibi darent. Vates autem Aristander albam indutus chlamydem, aureámq; gestās coronam iuxtà equitabat, aquilam supra caput Alexandri in aere se librantem, volatūq; suo eum recta in hostes dirigentem ostentans: quod visum multos audacia impleuit, mutuóq; se cohortati, cum equites admissis equis in hostem impetū facerent, fluctuare etiam phalanx cœpit. Barbari, antequàm primi manum conseruissent, gradum retulerunt, summóq; conatū Alexāder victos vrgens in medium compellebat, vbi Darius erat. Procul enim hunc cōspexerat per primam aciē in medio regiæ turmæ, magnum virum, pulcrúmq; in curru sublimi, quem multi splendidíq; equites egregiè composito agmine stipabant, parati ad excipiēdum hostem. Sed in propinquo visus Alexander, fugientesq; instantium adhuc ordines impellens, tantum incussit terroris, vt pleriq; diffugerint: optimi & nobilissimi dum pro rege propugnant occisi, atq; in se corruentes, insecutionem remorati sunt, calcitrantes cum ipsi, tum equi, & hostium equos impediētes. Darius autem, cum vndiq; obiectum oculis exitium videret, ac copiæ quas ante se obiecerat retrò ad ipsum ruerent, quòd circumacto curru effugere non dabatur, & rotis cadauerum cumulis detentis, & equis inter mortuorum aceruos modò decidentib. & occultatis, modò exilientib. aurigámque perturbantib. armis currúq; omisso equā (vt ferunt) quę nuper pepererat conscendit, & fugę se commisit. Non fuisse euasurum existimāt, nisi denuò missi à Parmenione equites in ipsā partem auocassent Alexandrū, magnas adhuc ibi hostium copias consistere, neq; dum de victoria cōcedere nunciantes. Atq; omnino segnē fuisse eo in prœlio Parmenionē & instrenuum asserunt: siue languescente iā ob senectutem audacia, siue magnitudini potētię Alexandri infensum atq; inuidentem, quod Callisthenes tradit. Rex auocari se dolēs, causam apud milites dissimulauit, ac tanq̄ finē exedendi faceret vespera ingruēte, receptui canere iussit: cōuersus autē

*Parmenionis culpa.*

cum

cum ſuis aduerſus eã partẽ, quã laborare acceperat, in via audiuit victos protinus hoſtes fugã facere. Hũc finẽ ea pugna habuit regnũmq; Perſarũ ſublatũ credebatur: & Alexander rex Aſiæ ſalutatus, magnificè diis ſacrificauit: amicis quoq; opes, domos, & principatus largitus eſt, ad Græcos etiã gloriosè ſcripſit, omnes ſe aboliturũ tyrannidas, ac libertatem omnib. reſtituturũ. Priuatim autem Platæenſib. pollicitus eſt, ſe vrbẽ eorũ inſtauraturum, quòd maiores ipſorũ agrum ſuum Græcis tradidiſſent, vt in eo pro libertate pugnare poſſent. Partem etiam ſpoliorum Crotoniatis in Italiam miſit, virtutem ſtudiũmque Phaylli athletæ honorans, qui bello Medico, cùm reliqui Itali de rebus Græcorum deſperaſſent, priuata naui ad Salaminã venerat, vti pugnam adiuuaret. Adeò benignus omni virtuti, obſeruatórq; & amator honeſtorum facinorum erat. Porrò Babyloniam peragrans, quæ ſtatim ſe ei dediderat, Ecbatanis non ſine admiratione inſpexit hiatum ignis, cõtinenter tanquam de fonte ſeſe efferentis: ſtagnũmq; copioſæ naphthæ haud procul eo hiatu. Naphtha bitumini ſimilis eſt, ita igni obnoxia, vt priuſquam flammam contingat, ab ipſo ſæpe ſplendore qui circa lumen accenſum fulget ignem concipiat, mediũmq; aerem inflammet. Eius vim & naturam barbari vt demonſtrarẽt, angiportum quod ad regis diuerſorium ducit, paucis modò naphthæ guttis irrorauerunt: inde in extremo ſtantes faces imbutis naphtha particulis admouerunt, (iam nox obortа erat) ac ſubitò, & momento temporis ita omnia flamma corripuit, vt totus angiportus in alteram vſq; partem ignis continuus eſſe videretur. Erat quidam Athenophanes, patria Athenienſis, vnus de iis qui vngere & lauare Alexandrum ſolebant, animũmq; eius ad hilaritatem à curis auocare. Is tum in balneo cùm fortè puer adſpectus lepidi, & canens ſcitè, nomine Stephanus Alexandro adſtaret, Viſne, inquit, rex medicamenti iſtius periculum in Stephano hoc faciamus? Si enim hunc quoq; tangat, neq; corpore eius reſtinguatur, vehementiſſimam omnino vim eius eſſe fatebor: neque illibenter ipſe etiam puer eos periclitari in ſe id paſſus eſt. Simul verò naphtha inunctus eſt, & ignis admotus, tantum flammarum illicò edidit corpus, totũmque igne correptũ eſt, vt Alexander ad ſummum ſolicitudinis metũſq; peruenerit. Quòd niſi commodùm adfuiſſent

*Alexãdri victoris liberalitas.*

*De Naphtha.*

multi vasa aquę plena lauacri causa manu tenentes, nullum profectò auxilium depascentem ignem inhibuisset: sic quoque vix corpus pueri totum ardens extinctum est, maleque is postea habuit. Itaq; non absurdè quidam fabulam veritati asserunt, id dicentes venenũ Medeæ fuisse, quo coronam & peplum (de quib. in tragœdiis multus sermo) inunxerit: neq; enim ex his ipsis, neq; vltrò emicuisse ignem, sed flammam appositam ab his tanta celeritate, vt omnem sensum falleret, correptã propagarámq; fuisse. Ignis enim radios & fluxus cùm in reliqua corpora incidant, lumen tantùm iis & calorem afferre: ast vbi sicci spiritus, humórq; pinguis & igni alendo sufficiens inest, ea tum collecta, ignisq; auida, celerẽ materiæ mutationem adferunt. Iam quomodo generetur naphtha, in quæstionem venit, vtrum humoris quasi ignis alimentũ effluat ex terra, cuius natura pinguis est, ignisq; ferax. Est enim admodum feruida Babylonia, ita vt hordei grana humi proiecta sæpe subsultent, & moueantur, quòd ea loca quasi pulsum quendam præ caloris vehementia obtinent: & incolæ æstus tempore super vtribus aquæ plenis dormiunt. Et Harpalus gubernator eius regionis relictus, cùm elegantiæ studens Græcis plantis regias & ambulationes exornare laboraret, solã hederam serere non potuit, quin eam perpetuo tellus perderet ob diuersitatem temperamenti: ipsi enim ignea est natura, hederæ frigida amant loca. Huiusmodi autem digressiones, siquidem modus eis adsit, minus fortassis à morosis reprehenduntur. Alexander Susis occupatis, in regia inuenit nomismatis talenta quadragies mille, reliquas diuitias apparatúmq; ineffabilem: cùm quidem inuenta ibi perhibeantur Hermionicæ purpuræ quinque millia talentũm, quæ ante annos cxc. reposita, recentem adhuc colorem retinuisset. Cuius rei causa hæc affertur, quòd purpureorum tinctura melle, candidorum oleo albo conficiatur, quæ cùm eodem tempore durent, purum rutilúmque splendorem conseruant. Dinon asserit, aquam etiam à Nilo & Istro aduectam cum aliis solitos reges in thesauro reponere, vt ea re testentur magnitudinem sui imperij omnia complectentis. Cùm verò Persis difficulter adiri ob aspreta possit, & tum quoque à nobilissimis custodiretur, Dario fuga elapso, circuitionis cuiusdam haud prolixæ ductor Alexãdro obtigit homo duarum

*Susis captæ opes.*

lingua-

linguarum vsu præditus, patre Lycio, matre Persica natus: & ferunt puero etiamnum Alexandro prædixisse Pythiam, fore vt ei dux Persicæ profectionis ex Lycia oriundus contingeret. Ibi multam hostium captorum cædem factam tradunt: ipseque scribit se ita mandasse, quòd vsus facto videretur esse. Tantum quantũ Susis repertum pecuniæ ibi narrant, & reliquas opes decem millibus bigis mulorum, & quinquies mille camelis exportatas esse. Xerxis autem statuam magnam cùm videret à multitudine certatim ad regiam contendente deiectam, substitit, ac veluti audientem compellans, Vtrum te, inquit, ob bellum Græciæ illatum „ iacẽtem relinquo? an propter magnanimitatem tuam virtutesq; cæteras erigo? tandem, cùm diu tacitus secum meditatus esset, præteriit. Cæterùm ibi reficiendorum militum causa, cùm iam hyems appetiisset, quatuor menses substitit. Memoriæ proditum est, cùm primùm sub aureo cœlo in regio solio consedisset, Demarathum Corinthium amicum eius paternũ seniliter illachrymasse ac dixisse, Quàm magna voluptate priuati sunt Græci, qui mortem obierunt antequàm Alexandrũ in Darij solio sedentem cõspexissent. Iam profecturus ad insequendum Darium in compotatione ebriosa & lasciua amicis se socium præbuit, in quam etiam scorta ad amatores suos comesatum venerunt. Quorum nobilissima Thais, genere Attica, Ptolemæi eius, qui deinde rex fuit, meretrix, partim scitè laudãs Alexandrum, partim iocis alludens, per ebrietatem in ea prolapsa est verba, quæ patriæ ipsius moribus consentanea, grauiora tamen quam pro conditione mulierculæ fuerunt. Dicebat enim, de eorum laborum, quos Asiam peruagando exhausisset, præmium isto die recipere, cùm superbæ Persarum regiæ insultaret. maluisse tamen per comesationem Xerxis qui Athenas combussisset, domum inspiciente rege suapte manu incendere: vti inter homines sermo is diuulgaretur, grauiores à Persis pœnas de violata Græcia exegisse mulierculas, quæ Alexandri castra essent comitatæ, quam isti terra marique imperatores sumpsissent. Plausu ad hunc sermonem, tumultuque, & secunda acclamatione amicorum exorta, Alexander etiam in eandem sententiam pertractus exiluit, coronatusq; & facem gestans cæteros duxit: amici cum clamore, qualis bacchãtium esse adsolet, regiam circum-

*Xerxis statua.*

*Thaidis facinus.*

circundederunt, iisque se Macedones, quotquot exaudiuissent, addiderunt, ipsi quoque facibus correptis. nam regiam cremare eius esse sperabant, qui ad reditū in patriam animum adiunxisset, neque inter barbaros cōmorari decreuisset. Hæc quidam hoc pacto, alij autem iniussu Alexandri acta scribunt: de eo constat, statim eum eius facti pœnituisse, ignémq; restingui iussisse. Cùm autem esset natura liberalissimus, auxit eam virtutem splendidior fortuna, adeóq; in dando alacritas, quæ sola verè grata efficit munera. Eius rei pauca quædam, sed optima referam exempla. Dux Pœnum cùm hostem occidisset, capútq; ei osténdisset, Hoc, inquit, ô rex donum apud nos poculo aureo cōpensatur: ad hoc ridens Alexander, Nimirum, ait, vacuo: Ego autem tibi plenum mero præbibo. Quidam de vulgo Macedonū mulum regia pecunia onustum agebat, onúsq; in sese, iumento defesso, recipiebat: quo eum cùm vrgeri admodum videret rex, & quid rei esset cognouisset, depositurum onus prohibuit, perdurare, & reliquum viæ vsq; ad proprium tabernaculum perferre iubens. Molestius autem omnino ei erat non posci quàm dare. Phocioni scripsit, non vsurum se porrò eius amicitia, si dona pergeret repudiare. Serapioni cuidam ex colluforibus pilæ iuueni nihil dederat, quòd is nihil petiisset. Cùm itaque Alexander ad ludum venisset, & Serapion soli ei pilam non obiecisset, ac rex percontaretur, cur non ipsi quoque daret: Quia non petis, respondit. hunc itaque arridens splendido munere affecit. Proteus quidam facetus lepidúsque homo in regis indignationem incidisse videbatur: deprecantibus amicis, ipsoque lachrymante, cùm rex placatum se homini diceret, Firma ergo (inquit Proteus) aliquo pignore eius rei fidem: quinq; ei talenta dari iussit Alexander. Quantas verò amicis & satellitibus diuitias elargitus sit, Olympiadis ad eum scripta epistola demonstrat. Alia (inquit) ratione amicis tuis bene fac, eósque in honore habe: nunc quidem omnes regis æquales facis, multósq; illis amicos, tibi solitudinem paras. Huiusmodi sæpenumerò ab Olympiade scripta cum nemine communicauit: semel tantùm Hephæstionem apertas literas vnà pro more legentem non vetuit, annulo tamen suo os eius obsignauit. Mazæi, qui apud Darium summo fuerat loco, filio satrapiam obtinenti, aliam superaddidit: quam ille recu-

*Liberalitas Alexandri.*

recusans, Antè, inquit, ô rex, vnicus fuit Darius, tu nunc multos effecisti Alexandros. Parmenionem domo Bagoę donauit, in qua dicuntur Susianarum vestium mille talenta inuenta. Antipatrum scripta epistola monuit, vt sibi corporis stipatores pararet, intendi enim ei insidias. Multa ad matrem munera misit, curiosè in suas res inquirere, inque administrationem negociorum ingerere se eam nõ est passus, reprehendentis morositatem æquo animo tulit. Semel cùm Antipater longas contra ipsam scripsisset literas, lectis iis, Ignoras, ei dixit, infinitas epistolas vnica matris lachryma obliterari. Cùm suos planè luxui deditos cerneret, intolerabiliq; luxuria & impendiis immensis vti (etenim Agnoteius aureos in crepidis clauos gestabat: Leonnatus multis camelis puluerem in gymnasia ex Ægypto aduehi curabat: Philotæ ad venationes aulæa per centum stadia extendebãtur: odorato vnguento delibuti ibant ad lauacrum & vnctionem plures quam oleo: circumducebantur fricatores & qui dormitum euntibus somnum allicerent) hæc igitur cùm animaduerteret, placidè suos & philosophicè reprehendit. Mirari se aiebat, quòd tot tantisque certaminibus superatis, non meminissent suauius dormire eos qui alios defatigassent, quàm qui defatigati essent: neq; ex comparatione suæ cum Persica vitæ ratione perspicerent, nihil magis seruile quàm luxuriam, nihil magis regiũ esse, quàm laborare. Et verò (dicebat) quomodo is equũ suum ipse curet, hastam galeámve poliat, qui desueuerit suis suum ipsius charissimum corpus manibus attrectare? An nescitis eum victoriæ finem nobis propositum esse, ne idem quod victi agamus? Eam ob rem magis etiam quàm antè laboribus & periculis militię ac venationis se ipsum exercuit: adeò vt Laco quidã legatus cùm ei adesset magnũ leonem deijcienti, dixerit, Præclarè equidẽ ô Alexander cum leone hoc de regno decertasses. Venationis eius simulacrum Craterus Delphis dedicauit, æneas leonis, canum, ipsiusq; regis cum leone congressi, & sui ad opem ferendam adcurrentis effigies, partim Lysippi, partim Leocharidis opera, ponens. Enimuerò dum Alexander exercendo, aliósq; ad virtutem stimulando nihil periculi subterfugeret: amici eius propter opes iam & fastum luxuriæ studiosi, errores eius, & expeditiones grauiter tulerunt, sensimque ad obtrectandum ei delapsi sunt.

*Suorũ luxum carpit.*

sunt. Placidissimè initiò id ei latum, quòd diceret, Regium est malè audire, cùm bene feceris. Sanè minima quoque eius in familiares officia, magnæ fuerunt beneuolentiæ, venerationisque indicia: quorum pauca quædam apponam. Cùm Peucestā per literas obiurgaret, quòd is ab vrso mor- 5
*In amicos studium eius.* sus ea de re ad alios, ad se vnum nihil perscripsisset: Vel nùc, inquit, mihi scribe vti valeas, & an aliqui sociorum in venatione te destituerint, vt ij pœnas dent. Hephæstionem ob negocia quædam absentem per epistolam certiorem teddidit, in ludicro aduersus ichneumonem certamine Perdiccę 10 hasta casu sauciata Crateri femora fuisse. Peucesta ex quodā morbo sanitati restituto, Alexippo medico gratias scripto egit. Cratero ægrotante, cùm insomnium vidisset, sacra pro eius salute fecit, ipsúmq; etiam facere iussit. & Pausaniæ medico, qui ei veratrum exhibiturus erat, scribens 15 partim solicitudinem suam indicauit, partim de eo medicamento propinando instruxit. Ephialtem & Cissum, qui primi de Harpali fuga & defectione indicium attulerunt, tanquam falsò eum deferentes in vincula condidit. Infirmos eo & senes in patriam remissuro, Eurylochus Ægeus 20 se quoque inter ægrotos adscripserat: deprehensus deinde nihil habere morbi, confessus est se amore Telesippæ teneri, eámque discedentem mari cupere sequi. Alexander cuius conditionis ea esset mulier scisscitatus, vt de liberis meretricibus vnam esse intellexit, Me quoque, inquit, Eurylo 25 che amoris socium habes: da autem operam vt ei vel verbis vel muneribus persuadeamus vti maneat, quandoquidem libera est. Miretur autem aliquis eum amicis etiam vsque ad talium epistolarum scriptionem vacasse, quales fuerunt, qua puerum Seleuci, qui in Ciliciam aufugerat, inqui- 30 ri iussit: qua Peucestam laudat, quòd Niconem Crateri seruum comprehendisset: qua Megabyzo mandat de seruo, qui in templo confederat, vt eum, si posset, euocatum ex templo capiat; in templo manú ei non afferat. Ferunt eum etiam cùm primùm de causis capitalibus cognosceret, a- 35 ctore dicente manum alteri aurium apposuisse, vt eam reo calumniarum expertem reseruaret. Verùm postea temporis exasperatunt eum crebræ calumniæ, à veris exordiis fidem etiam mendaciorum nactæ: ac præcipuè conuiciis de se auditis mentis impos fiebat, durúmq; se & inexorabilem

præbe-

præbebat. quippe gloriam vita & regno antiquiorem habens. Postquam rursus castra aduersus Darium mouit, tertio prœlio cum eo decertaturus, captum eum esse a Besso audiuit in via. proinde dimissis domum Thessalis, præter stipendia talentorum duo millia dono dedit. In persequendo autem Dario ob itineris difficultatem & longitudinem (etenim vndecim dierũ spacio ter mille ac c c c. stadia perequitauit) pleriq; animos deponderunt, præcipuè ob aquę penuriam. Ibi Macedones ei quidam occurrerunt, aqua repletos vtres à flumine mulis vehentes. Qui cùm Alexandrum viderent malè ob sitim habentem (iam enim meridies erat) celeriter impletam aqua galeam ad eum attulerunt: quærenti quibus aquam aduehérent, filiis suis respondérunt, sed se incolumi rege etiam iis amissis alios posse generare. His auditis Alexander cùm galeam in manus accepisset, oculisq; circumlatis equites suos omnes capita inclinasse, & ad potum respicere vidisset, non bibit, sed aquam iis qui dederant collaudatis reddidit. Nam si solus (dicebat) ego bibero, languebunt horum animi. Equites autem continentiam & magnanimitatem regis cernentes, bono eum animo esse, & se ducere iusserunt, simulq; flagris equos incitarunt: neq; defatigari se, neq; omnino homines se esse arbitrari dicentes, quandiu hũc haberent regem. Omnium quidem erat idem studium: sexaginta tantùm vnà cum rege in castra hostium irruperunt. Ibi multum argenti auriq; proiectum prætereũtes, multos quoq; currus liberis & mulieribus onustos & absq; aurigis vagantes, primos insecuti sunt, inter eos Darium esse sperantes. Vix tandem inuentus est Darius in curru iacens, plurimis confixus iaculis, ac iam moribundus: petiit tamen potum, & cùm bibisset aquam frigidam, ad Polystratum (is ei aquam præbuerat) ita est locutus: Hoc mihi omnium calamitatum extremum obtigit, vt pro beneficio gratiam referre non possim: sed Alexander tibi beneficium compensabit, Alexandro Dij humanitatem, quam matri, vxori, liberisq; meis exhibuit: cui hanc ego meam dextram te nuncio porrigo. Hæc fatus, manu Polystrati comprehensa, expirauit. Alexander vt supérsuenit, dolorem eo ex casu acceptũ haud clàm tulit, suamq; ipsius chlamydẽ exuit, & cadauer Darij ea inuolauit. Bessum quidem postea repertum in diuersas partes discerpsit, hoc modo.

*Darium insecutus sit.*

*Bessi supplicium.*

modo. arbores duas rectas ita incuruauit, vti earum fastigia vnà essent, vtrique alteram corporis partem alligauit: libratæ tum arbores, cùm magna violentia sese erigerent, suam vtraq; partem discerpto corpore secum rapuit. In præsentia verò Darij corpus regio cultu ornatum matri eius remisit, Exathrem Darij fratrem in amicorum numerum recepit. Inde cum robore exercitus in Hyrcaniam descendit: videnſq; ibi sinum maris magnum, ac Ponto nõ minorem, reliquo tamen mari dulciorem, cùm nihil super eo certi cognoscereť interrogando, maximè hanc secutus est cõiecturam, esse Mæotidis paludis eruptionem. Quanquam reí veritas naturæ peritos non latuit, qui multis ante expeditionem Alexandri annis retulerunt, de quatuor sinubus qui ab Oceano in terram sunt immissi, eum esse Septentrionibus proximum, qui Caspium & Hyrcanum mare nominatur. Hîc barbari quidam Bucephalum equum Alexãdri, ductores eius subitò adorti, rapuerunt. Haud mediocriter id tulit, minatúsque est se, nisi equum reddidissent, omnes cum vxoribus & liberis interfecturum: adducentibus equum & vrbes tradentibus humanum se præbuit, iisque à quibus captus fuerat Bucephalus, redemptionis nomine munera dedit. Inde trãslatis in Parthiam castris ocioſus, primùm barbaricum amictum induit: siue vt se eius regionis moribus accommodaret, quòd plurimum facere ad subiugãdos homines eorum consuetudinis adsimulationem sciret: siue vt ea re Macedonũ animos exploraret, quo pacto ij eum adorari se volentẽ toleraturi essent, eósq; paulatim ad ferẽdam ipsius à patriis institutis digressionem & mutationem adsuefaceret. Medicum habitum non planè adsciuit, barbaricum nimis & à communi vsu alienum, neque anaxyridas, neque candyn, neq; tiaram sumpsit: sed medium inter Persicam ac Medicam consuetudinem quiddam commixtis commodè vtriusque tenuit, quod & minùs quàm illa superbũ & hac augustius esset. Vsus autem eo habitu primùm est, si cum barbaris, domíve cũ amicis colloqueretur: postea vulgo etiam sic incedens ac responsa dans videbatur. Erat quidem id spectaculum Macedonibus molestũ: reliquas tamen eius virtutes admirãtes, existimabãt nõnihil etiã quod ad splendorem & voluptatem faceret concedendũ ei, qui præter cætera facinora nuper admodum sagitta crus ita

*De mari Hyrcano.*

*Barbaricã vestẽ Alexander sumit.*

læsus

læsus, vt radij os fractum excideret, rursumq; ictus saxo collum, ita vt caligo oculis obortа aliquandiu duraret, tamē seipsum periculis obiiciendi finē nullum faciebat: quinetiā alui profluuio vexatus, Orexarten tamen fluuium (quem ipse Tanain esse iudicabat) traiecerat, Scytasq; fugatos vsq; ad centum stadia insecutus erat. Hic ad eum venisse Amazonem illam multi autores narrant, quorum de numero sunt Clitarchus, Polycritus, Onesicritus, Antigenes, Ister. Aristobulus contrà, Chares quadruplator, Ptolemæus, Anticlides, Philo Thebanus, Philippus delator, Hecatæus etiam Eretrienſis, Philippus Chalcidenſis, ac Duris Samius, confictam esse eam rem affirmant: quibus videtur adstipulari ipse Alexander, qui ad Antipatrum de omnibus accuratè scribens, à Scytha quidem sibi filiæ matrimonium oblatum refert, Amazonis non meminit. Ferturque longo pòst tempore Onesicrito Lysimachus rex quartum librum recitanti, in quo narratio de Amazone comprehendebatur, leniter subridens dixisse, Vbinam verò ipse interim fui? Sed hæc neq; pro fictis habita diminuunt, neq; credita augent Alexandri admirationem. Metuens autem Alexander ne Macedones ad id quod reliquum erat expeditionem animos desponderent, relicta ibi cætera multitudine, flore exercitus secum accepto (viginti peditum, tria equitum millia erant) in Hyrcania sic allocutus est, Nunc quidem in somnis etiam ipsos barbaris obuersari: quod si turbatis tantum rebus Asiæ discederent, fore vt tanquam mulieres ij ipsos iterum inuaderent. Qui tamen vellent, eos discedere iussit: testatusq; est se, cùm Macedonibus orbem terrarum subiecisset, cum amicis & voluntariis militibus destitutum fuisse. Hæc iisdem prope verbis sunt in epistola ad Antipatrum perscripta: idq; præterea, ad hæc ipsius verba clamorem ab vniuersis sublatum, in quamcunq; vellet mūdi partem ipsos duceret iubentium. His ea arte correctis, nō iam difficile erat reliquam multitudinem mouere, sed vltrò sequebantur. Proinde vitæ rationem ad indigenarum consuetudinem magis etiam quam hactenus accommodauit, eamq; commiscendo & communicando Macedonicis moribus aptauit, cum statuisset tam procul inde profecturus beneuolentia potius quam vi res isthic constituere. Itaque etiam triginta puerorum millia delegit, quæ literis Græcis

instituerentur, interque arma Macedonica educarentur, multis ad id magistris constitutis. Roxanen, aliquando in compotatione pulcritudine eius illectus, amare cœpit: sed ea res haud inconueniens tamen eius instituto visa est. Confisi enim sunt barbari in communione nuptiarum, ac magnopere dilexerunt Alexandrum, quod modestissimum se gessisset, & cuius vnius amori succubuisset, cam nisi vt legibus est permissum, tangere non sustinuisset. Cùm amicorum suorum summos Hephæstionem & Craterum, hunc patrium morē retinere, illum probare imitariq; mutationem videret, hoc apud Græcos & Macedonas, illo apud barbaros vsus est administro: atq; omnino hunc maximo honore, illum summo amore est prosecutus: ab Hephæstione Alexandrum, à Cratero regem diligi sentiēs atq; pronuncians. Quæ res simultatibus horum inter se offensisq; occasionem frequentibus præbuit. Semel in India etiam ad manus iurgium, & gladiorum strictionem res deuenit: amicisq; vtriq; ad opem ferendam accurrentibus, equo citato aduectus Alexander, aperte conuicium Hephęstioni fecit, stolidum appellans, & insanum, si non intelligeret se adempto sibi Alexandro nullius esse precij. Craterum quoque priuatim acerbe obiurgauit, conducensq; eos in vnum & in gratiam reponens mutuam, Ammonem & reliquos Deos obtestatus est, neminem se hominum iis chariorem habere: si tamen iterum rixari sensisset, aut vtrunq; se, aut autorem dissidij interfecturum. itaque in posterum ne per iocum quidem alter alterum dicto factóve læsisse fertur. Erat Parmenionis filius Philotas, magnæ inter Macedonas existimationis ob fortitudinem, tolerantiam, liberalitatē, ac in amicos propensum animum: qua virtute, excepto Alexandro, parem habebat neminem: (traditum est enim, cùm familiaris quidam ab eo pecuniam peteret, & dispensator numerare iussus nō esse sibi respondisset, dixisse eum, Quid ergo, nullum ne poculum, nullam vestem habes?) fastu tamen, opibus, corporis cultu, vitaq; ratione quam priuatum hominem deceret insolentiori vti videbatur: ac tum quoq; maiestatem & sublimitatem inscite & absque gratia barbaricis insignibus æmulatus, suspectum se, obnoxiumq; inuidiæ reddebat, ita vt Parmenio etiam aliquando ei dixerit, Deterior mihi ô fili euadis. Erat hic iam pridem apud

*Roxane.*

*Hephæstionis & Crateri dissidium.*

*Philotas coniuratio detecta.*

Alexan-

Alexandrum delatus. Quo enim tempore Darius in Cilicia victus, & apud Damascum bona eius capta fuerant, multis in castra adductis mancipiis, mulier inter ea quædam nomine Antigone, Pydnæa ortu, venusta forma reperta est: eam Philotas deinde habuit. Apud eam (vt solēt apud amasias iuuenes) cùm splendide multa ac pro militari arrogantia liberius iactasset, pleraq; res gestas sibi & patri suo imputauerat, Alexandrum adolescentem appellans, qui ipsorum opera regis titulo frueretur. Hæc cùm Antigone cuidam suorum familiarium, isq; alteri retulisset, ad Craterum vsque sermo peruenit, isq; mulierem ad Alexandrum occulte perduxit. Alexander audita re, eam cum Philota consuetudinem habere, & quidquid tale inaudiuisset, sibi renunciare iussit. Has insidias non sentiens Philotas, ex ira & iactantia multos de rege sinistros sermones apud Antigonam efferebat. Verùm Alexander tametsi grauia de Philota afferrentur crimina, tacitus tamen ea ferebat, seq; continebat, siue Parmenionis erga se beneuolentia fretus, siue gloriam eius Philotæque, & potentiam metuens. Isto aūt tum tempore Macedo quidam Limnus nomine, Chalastra vrbe oriundus, magno conatu insidians Alexandro, Nicomachum quendam adolescentem amasium suum ad facinoris societatem ineundam hortatus est. Is repudiata petitione, rem cum fratre Balino communicat. Balinus ad Philotam accedit, seq; & fratrem ad regem, de magna & necessaria re eum compellaturos, introduci postulat. Philotas incertum qua de causa, abnuit, regem maioribus negociis intentum causans. Bis ita à Philota repulsi sunt: itaq; insolentiam eius auersati, alium quendam accesserunt, cuius opera ad regem cum peruenissent, primum de Limno indicium detulerunt: deinde obiter significarunt, vt bis à Philota spreti fuissent. Vehementer hoc Alexandrum iritauit, auxitque perturbationem, quod Limno ab eo qui ad ipsum comprehendendum missus fuerat, cum vi resistere pararet occiso, indicem insidiarum periisse putabat. Grauiter exinde Philotæ infensus, eos qui hominis antiquo odio laborabant, sibi adsciuit, iam palā dicentes, Socordem esse regē, qui Limnū Chalastrēum hominem tantū facinus nemine impellente ausum fuisse opinaretur: administrum eum, aut verius instrumētum fuisse, facinoris maiorem autorem quæren-

*Limni in-sidiæ.*

dum: insidiarum autem causam apud eos inuctum iri, quibus eas latere ex re fuisset. His sermonibus calumniisq; aures rege pandente, infinitis iam Philotas criminibus onerari cœpit. Itaq; captus est & in quæstionem datus, amicis regis tormẽtis adstantibus, Alexandro autem post auiæum extentum auscultãte, cùm quidem miserabiles & humiles voces atq; deprecationes eo ad Hephæstionem emittente, dixisse traditur, Itáne mollis, adeoq; effeminatus cùm esses Philota, tantam rem aggrediebare? Occiso Philota, Parmenionem quoq; statim in Mediam missum necauit, eum virum, qui multis in rebus gerendis affuerat Philippo: vnus verò, aut maxime omnium natu grandiorum amicorum Alexandrum ad Asiaticam expeditionem excitauerat: isq; de tribus filiis quos in castris habuit, duos mori iam ante viderat, cũ tertio ipse interfectus est. His factũ est, vt amicis suis terrori iam Alexander esset, maxime Antipatro, qui & missis nunciis occultum fœdus cum Ætolis iniit: nam hi Alexandrum ob excidium Oeniadarum metuebant, quo is audito non Oeniadûm liberos, sed se ab Ætolis supplicium sumpturum affirmauerat. Hæc paulo pòst Cliti cædes subsecuta est. quod facinus, si quis id omissis circumstantiis audiat, quam Philotæ interitus potest videri crudelius: qui causam etiam, tempusq; rei considerant, non sponte regis, sed infortunio quodam perpetratum, fatoq; Cliti iram & ebrietatem Alexandri ansam præbuisse animaduertent. Res ita acta est. Venêre quidam Alexandro poma Græca à mari apportantes: quorum maturitatẽ ac elegantiam miratus rex, Clitum accersi iussit, ostensurus ei, partemq; eorũ daturus. Clitus tũ forte sacris operabatur, iisq; relictis statim ad regem cõtendit, tribus ouibus, de quib. iã immolauerat, post se ferri iussis. Alexander rem perceptam cum vatibus Aristandro & Cleomanti Lacone communicauit, qui cùm dirum esse signum dicerent, statim pro Clito iussit sacrificia peragi. nam & ipse nudiustertius insomnium viderat horrendum, Clitum vnà cum Parmenionis filiis sedere nigris cum vestibus, omnesq; eos mortuos esse. Non perfecit tamen Clitus sacrificium, sed statim ad cœnam venit, cùm rex Castori & Polluci litasset. Compotatione autem alacri facta, Pranichi cuiusdam, aut (vt alij nominant) Pierionis carmina recitata sunt in dices qui nuper à barbaris victi

*Parmenionis interitus.*

*Antipatri cũ Ætolis fœdus.*

*Cliti cades.*

victi fuissent, risus & ignominiæ causa conscripta. Senioribus indignantibus, atq; & poetam, & cantorem criminantibus, Alexandro autem & æqualibus cum voluptate audientibus, vtq; pergeret, iubentibus: Clitus iam vino captus, homo natura asper & contumax, ægre id tulit, indignum esse inquiens, quod inter barbaros & hostes exagitētur Macedones, qui deridentibus eos longe fuerint præstantiores, tametsi infortunium passi. Ad hæc Alexandro Clitum sibi ipsi patrocinantem infortunij nomen prętexere timiditati dicēte, assurgens Clitus, Hæc quidem, inquit, timiditas te Diis nate iam Spithridatis gladio tergum præbentem seruauit: Macedonum sanguine tu, hisq; vulneribus eò prouectus es, vt abdicato Philippo Ammonem tibi patrem adsciscas. Iritatus his Alexander, Hæccine tu, ait, sceleste identidem de nobis prædicans, & Macedones ad seditionem solicitans, perpetuò gauisurum putas? Imo, respondit Clitus, ne nunc quidem gaudeamus Alexander, hos laborum fructus percipientes: beatosq; præ nobis eos ducimus qui mortem prius obierunt, quam Medicis cædi fascibus Macedonas, nosq; vt ad regem adire liceat à Persis impetrare cernerent. Hæc eo liberè dicente, sociisque Alexandri contrà insurgentibus, eumq; conuiciis impetentibus, seniores compescere tumultum conati sunt. Alexander autem ad Xenodochum Cardianum, Artemiumq; Colophonium conuersus, Non videntur, inquit, vobis Græci inter Macedones, veluti semidei inter belluas obuersari? Clito autem non remittente, sed Alexandrum dicere in mediū quæ vellet iubente, aut non inuitare ad cœnam liberos, apertiq; oris homines, sed inter barbaros viuere & mancipia, ad adorandum Persicam zonam candidumq; amiculum parata: non iam amplius iræ cōtinens Alexander, malo, quod iuxta iacebat, correpto eum petiit percussitq;, & simul ensem quæsiuit: sed eum maturè subtraxerat vnus de stipatoribus Aristophanes. Reliquis autem retinentibus ac deprecantibus exiliens, Macedonico clamore regiam cohortem inuocauit (quod magni erat tumultus signum) classicumq; canere iussit, & tubicinem cunctantem pugnis cecidit. cuius quidē magna postea laus fuit, quod solus futuro in castris tumultui obstitisset. Clitum nihil de contentione minuentē, amici magno labore cœnaculo eiecerunt. Verū is

per alias fores rursum intrauit, ferociter admodum contẽptoq; plane Alexandro, Euripidis hos de Andromacha tragœdia versus recitans,

*Quam comparatum iniquè id est in Gracia.*

Ibi demum Alexander stipatorum cuidam erepta lancea, Clitum sibi occurrentem, abducentemq; iam ostij velum ea traiicit: isq; cum gemitu & fremitu corruit. Statim verò ira Alexandri cecidit, & ad sanam mentem reuersus, cùm amicos tacitos adstare videret, hastam ex corpore interfecti Cliti rapuit: cumq; eam iugulo intentaret, à stipatoribus prohibitus est, qui manus eius continuerunt, ipsumq; vi in cubiculum pertraxerunt. Totam eam noctem lacrymando misere exegit, postridie clamando & lugendo fessus, grauia ducens suspiria mutus iacuit: itaq; amici eius silentio soliciti, vi in cubiculum intrauerunt. Horum ille sermones nõ admisit: Aristandro vate ipsum insomnij ostentiq; admonente, atque vt ita fieret in fatis iampridem fuisse affirmante, visus est nonnihil moueri. Itaque adductus est ad eum Callisthenes philosophus, Aristotelis propinquus, & Anaxarchus Abderita. Ille placido sermone ciuiliter conatus est eum à dolore abducere, verborum ambagibus se insinuans, offensasque declinans. At Anaxarchus peculiarem iam inde ab initio philosophandi rationẽ secutus, ita vt superbe fastidire communem rationem videretur, simul atq; ingressus est, exclamauit: En tibi Alexandrum, quem vniuersus terrarum orbis suspicit: vt iacet mancipij in morem, flens, hominumq; legem & reprehensionem timens; quibus ipse debebat iuris regula & finis esse, si quidem in hoc vicit, vt imperet, non vt inani opinione victus seruiat. Nescis, aiebat, Ius & Fas adsidere Ioui, vt quicquid rex facit, id iustum fasque sit? Hoc sermone Anaxarchus dolorem quidem Alexandri minuit, leuiorem tamen multo iniustiorem que redegit, seq; ei mirifice gratum effecit, Callisthenis consuetudini propter austeritatem iam ante minus iucundæ inuidia maiori conflata. Feruntaliquando inter cœnãdum orta de temperie cœli, & tempestatum vicibus disputatione, Callisthenem eorum opinionem probasse, qui Asiam Græcia frigidiorem censent, & Anaxarcho contendenti se repugnanti dixisse: Atqui necesse est te idem nobiscum fateri, qui cùm in Græcia palliolo hyemem sustinueris, hic

*Pœnitẽtia ob cædem Cliti.*

*Anaxarchus regẽ cõsolatur.*

*In Callisthenem odia, eiusq; interitus.*

tribus

tribus tapetibus tectus iaces. Auxit hoc dictum odium aduersus ipsum Anaxarchi. Reliquis aũt sophistis & adulatoribus inuisus erat Callisthenes, colebatur verò à iunioribus propter orationem, & senioribus placebat ob modestiam & grauitatem q; vitæ, quam sua contentus sorte tolerabat, ita vt confirmaret suæ peregrinationis causam, quam proferebat: nimirum se vt patriam instauraret, ciuesque reduceret, ad Alexandrum abiisse. Sed cùm gloriæ ipsius inuidebatur, tum ipse quasdam calumniandi occasiones inimicis præbuit, vocatus ad cœnam plerunque recusans: aut si veniisset, grauitate vultus & silentio indicans ea quæ agerentur sibi non probari: ita vt Alexander quoque de eo dixerit,

*Sapientem ego odi, qui sibi ipsi non sapit.*

Traditum est literis, quondam frequenti in conuiuio iussum inter pocula Macedonum laudes dicere Callisthenem, tanta facundia de proposita re disseruisse, vt assurrexerint, plausuq; dato serta in eum coniecerint. Alexandrum verò dixisse, Recte ab Euripide pronunciatum,

*Cùm differendi pulcra datur occasio,*
*Non est magni laboris res, bene dicere:*

quin potius ostentandæ facundiæ causa vituperaret Macedones, vt vitiorum suorum moniti, ea emendarent. Ibi eum retractantem, quæ prius dixisset, multa libere in Macedones locutum, Græcorumque dissidia causam fuisse incrementorum & potentiæ Philippi pronunciasse, addito carmine,

*Pessimus ad summos etiam conscendit honores,*
*Cum res dissidijs & seditione laborant.*

Eo dicto ingentia Macedonum in se odia concitasse fertur, & Alexandrum dixisse, Non facundię Callisthenes, sed maleuolentiæ suæ documentum Macedonibus præbuit. Hæc Stroibũ Callisthenis anagnostam Aristoteli narrasse Hermippus ait: additq; Callisthenẽ, cùm animum regis à se abalienatum sentiret, discedentem ei bis terve dixisse,

*Te quoq; Patroclus præstantior occidit olim.*

Quare haud ab re dictum ab Aristotele videtur, Callisthenem esse quidem eloquentem, sed mente carere. Adorationem autem regis summo conatu, vtque philosophum decuit amolitus, soluisque palam ea locutus, quæ optimus

quisq; & maximus natu Macedonum occulta indignatione mussabat, magno Græcos, maiore Alexandrum dedecore liberauit: sibi verò ipsi perniciem conciliauit, quod vi magis quam persuadendo regem ab eo proposito detraxisse putabatur. Chares Mitylenæus Alexandrum narrat in conuiuio cùm bibisset, pateram cuidam amicorum porrexisse: eum accepisse, & ad focum adstitisse: cumq; bibisset, primùm adorasse regem, deinde osculum dedisse, atque ita assedisse. hoc omnes deinceps imitatos. Callisthenem verò accepta patera, rege non attendente, sed cum Hephæstione colloquente, bibisse, & ad regem osculandi causa accessisse: Demetrio autem, cui Phidonis cognomentum fuit, regem monente, ne osculum ei præberet, quod solus omnium nõ adorasset, ita Alexandrum ab osculo se retraxisse: Callisthenẽ magna voce dixisse, Vnius itaq; osculi iactura facta abeo. Hac animorum abalienatione orta, primùm Hephæstioni creditum est, Callisthenem secum pactum de adorãdo rege, & fefellisse fidem dicenti: deinde Lysimachi & Agnones eum adorti, circumire sophistam aiebant magnos ducentem spiritus, veluti tyrannidem si demolitus esset, concursum ad eum adolescentulorum esse, ab iis eum veluti qui vnus inter tot hominũ millia liber esset, coli. Quo factum est, vt Hermolai in Alexandrum detectis insidiis, haud absimilia veri crimina obiicere viderentur, qui Callisthenem deferebant, cuidam quærenti quanam ratione celeberrimus homo fieri posset, respondisse, Si illustrissimum interficeret: Hermolaumq; cùm ad facinus adhortaretur, monuisse ne aureum lectum metueret, sed meminisset se ad morbis & vulneribus obnoxium hominem adire. tametsi nemo ex Hermolai sociis ne extrema quidem passus Callisthenem reum appellauit: quin & Alexander statim Cratero, Attalo, & Alcetæ scribens, pueros ait in tormentis confessos, se solos, nullo alio conscio, id facinus molitos. Pòst tamen ad Antipatrum scribens, Callisthenem quoque accusat, his verbis: pueros Macedones lapidibus obruerunt, sophistam ipse puniam, & eos qui eum miserũt, & hos, qui insidiatores meos vrbibus receperunt. Quibus verbis palam in Aristotelem iram suam aperuit, apud quem ob propinquitatẽ educatus fuerat Callisthenes, natus Herone Aristotelis cõsobrina. Quidam in crucẽ ab Alexandro actum

actum Callisthenem vita abiisse perhibent, quidam in compedibus ex morbo decessisse: Chares septem menses in vinculis seruatum, vt in concilio præsente Aristotele iudicaretur: quibus vero diebus Alexander in Mallis Oxydracis circa Indiam vulneratus fuit, mortuum ait pediculari morbo, cum admodum esset obesus. verum hęc aliquanto post acta sunt. Cæterum Demarathus Corinthius ingrauescente iam ætate, studij tamen sui ostentandi causa ad Alexandrum profectus est, cumque eum vidisset, magna voluptate priuatos esse Græcos dixit, qui ante mortui essent, quam sedentē in solio Darij Alexandrum viderent. Neque tamen alios ille regiæ beneuolentiæ fructus tulit, quam quod exinualetudine mortuus, magnifice sepultus, tumulumq; ei magno ambitu, & LXXX. cubitorum altitudine milites extruxerūt, reliquiæ quadrigis splendide exornatis ad mare deuectæ sunt. Transiturus in Indiam Alexander, cum prę multitudine spoliorum grauem iam videret tardumque exercitum, instructis summo mane curribus, primum suis sociorumq; impedimentis ignem iniecit, idemque deinde reliquos facere Macedonas iussit. Tam ancipitis consilij summus fuit successus, paucisque admodum doluit: cæteri omnes sublato clamore, veluti furore quodam diuino correpti quæ vsibus essent necessaria petentibus distribuerunt, superūacanea ipsi combusserunt, eoque facto alacritatem Alexandri magnopere auxerunt. Atque is iam terribilis quoque erat, & delinquentibus inexorabilem sese præbebat: quippe & Menādrum, vnum de suis familiaribus, manere in castello, cui præsidio erat impositus, nolentem interfecit: & Orsodatem barbarum qui rebellauerat ipse sagittis confixit. Cū autem ouis agnum peperisset, qui in capite figuram & colorem tiaræ, & ex vtraque eius parte testiculos haberet, abominatus id prodigium, à Babyloniis, quos eius rei causa ex more quodam secum habebat, expiatus est: ad amicos et iam dixit, se non sui, verum ipsorum causa perturbatum esse, ne ipso defuncto summam rerum ad ignobilem & imbellem aliquem hominem fatum deuolueret. Sed hunc eius mœrorem aliud lætius ostentum sustulit. Etenim Proxenus Macedo, stratoribus regiis præfectus, cum tentorio regis locum foderet iuxta Oxum fluuium, fontem liquoris pinguis aperuit: cuius cum summum esset haustum, purum

*Impedimē ta crema- ta.*

*Ostenta.*

deinde & perlucidum oleum scaturiit, neq; odore quicquã, neq; gustu ab oleo, neque nitore etiam & pinguedine differens. & vero nullæ sunt in ista regione oleæ. Oxum autem molliſſimam habere aquam memorant, adeo vt lauantib. cutim pinguedine quadã inungat. Equidem Alexandrum mirifice eo ostento delectatum ex epistola eius ad Antipatrum cõstat, in qua hoc inter diuinitus sibi facta indicia cũ præcipuis numerat. Vates glorioſam quidem, sed iuxtà laborioſam, difficilemq; expeditionem designari respondent: nam oleum à Deo hominibus laborum remedium datum esse. Et grauia sane in prœliis pericula subiuit, temereque se in discrimen dans, vulnera accepit: inopia rerum necessariarum, & intemperies cœli maximam exercitui pernicium attulit. Verum ipse audacia fortunam, viresq; virtute superare contendens, nihil audentib. inexpugnabile, nihil satis munitum aduersus animoso exiſtimabat. Narrant eũ, cum Siſimethræ saxum inacceſſum oppugnaret, militibus animis languentibus ex Oxyarte quæſiuiſſe, qualis esset ipsius Siſimethræ animus: cumq; is eum timidiſſimum hominẽ affirmaret, Saxũ, dixiſſe, expugnabile refers, cum qui id tenet, munitus non sit. territoq; minis Siſimethra, petram eam occupaſſe. Alteri æque prærupto saxo cũ ad oppugnãdum iuniores Macedonum adhibuiſſet, quendam Alexandrum nomine ita compellauit: Te strenuum esse vel ob nominis mecum communitatem conuenit: & cum is fortiter certans cecidiſſet, haud mediocriter doluit. Ad oppugnandam Nyſam aggredi cunctantibus Macedonibus, eo quod profundus eam fluuius alluеret, fixo gressu, Cur, inquit, hominũ ego deterrimus natare non didici? ſimulq; arrepto scuto traiicere intendit. Cum ad ipsum obsessarum vrbium legati deprecatum accesſiſſent, atq; ipse forte tum receptui à prœlio ceciniſſet, conſpectus in armis absque vlla corporis cura, terrorem eis obiecit. Deinde puluinari allato, maximũ natu legatorum (Acuphis ei nomen erat) iuſſit ei insidere. Qui cum magnificentiam eius & humanitatem admiratus quæreret, quibusnam conditionibus amicos ipſos habere vellet: Si, inquit Alexander, tui te principem suum conſtituant, & ad me centum præstantiſſimos suorum viros mittant: ad quod ridens Acuphis, Atqui, ait, ô rex melius imperaturus sim, si peſſimos, non optimos ad te mittam.

*Indica expeditio.*

tam. Porro Taxiles Indiæ sub se partem habuisse traditur Aegypto haud minorem, & cum primis pabuli frugumque fertilem. Homo ipse sapiens fuit, & cum salutasset Alexandrum, ita allocutus est: Quid nobis, ô Alexander, bello inuicem, pugnaq; opus est, si neque aquam nobis neque victum necessarium ereptum venis? quæ sola hominibus cor datis pugnandi necessitatem imponunt. Cæteris seu opib. seu diuitiis si te præsto, paratus sũ tibi bene facere. sin iis te inferior sum, affectus beneficio gratias agere non recuso. Gratum hoc Alexandro fuit, dataq; dextra, Existimas, inquit, nostro hoc congressu amicitiæque iunctione certamen omne exclusum: sed nihil agis. Ego enim tecum beneficiis certabo, ne bonitate me vincas. Multis inde acceptis donis, cum plura dedisset, ad extremum mille pecuniæ talenta ei propinauit: quod factum grauissime amicis doluit, barbarorum autem multorum fauorem Alexandro conciliauit. Indorum bellicosissimi stipendia merentes per vrbes circumibant, easque summa vi tuebantur, Alexandroque plurimum incommodabant: hos Alexander pacto secum inito ex vrbe quadam discedentes in itinere adortus vniuersos interfecit. quod eius facinus cæteris rebus iuste & regi conuenienter gestis maculam inussit. Haud pauciores ei molestias etiam philosophi exhibebant, reges qui se ei dedidissent culpantes, liberosque populos ad defectionem trahentes itaque horum multos suspendio affecit. Rem cum Poro gestam ipsius ex verbis referam. Inter Alexandri & Pori castra Hydaspes fluebat. Elephantos Porus frontibus ad fluuium conuersis identidem instruebat ad prohibendum transitu hostem. Alexander singulis noctibus strepitu & tumultu excitato, suos, ne metuerent barbaros, adsuefaciebat. Nactus autem noctem hybernam luna non fulgente, cum parte peditum & robore equitum longe ab hoste progressus ad insulam quandam haud magnam traiecit. Ibi cum ingens imber effunderetur, atque magni turbines & fulmina in castra ingruerent, quosdam suorum perire & conflagrare fulminibus cernens, ab insula ad vlteriorem ripam contendit. Asper autem Hydaspes, & ob tempestatem turgidus alueum magnum perruperat, eoq; plurimum aquæ ferebatur: ita vt medium tenere non constanter potuerit Alexander, collabente & abrupto subinde vado.

*Taxiles.*

*Res adversus Porum gesta.*

vado. Ibi eum Oneſicritus ſcribit dixiſſe, Creditisne ô Athe
nienſes quantum periculi ſuſtineam hic, vt à vobis prædi-
cer? Macedones (ita enim Alexander ſcriptum reliquit) o-
miſſis ratibus cum armis in fluuium deſiluerunt, eumque
madefacti mamillarum tenus tranſiuerunt. Inde cum equi-
tatu ſtadia viginti à peditibus proceſſit, ratus fore vt ſi ho-
ſtes equitatu occurrerent, facile vinceret: ſin phalangem
mouerent, ſatis mature ipſum ſui pedites aſſequerentur: &
alterum horum euentus probauit. Mille enim equites, ac
ſexaginta currus obuiam ſibi factos fudit, curribusque eſt
potitus omnibus, equites quadringentos interfecit. Porus
cum traieciſſe ipſum Alexandrum ſenſit, vniuerſas contra
eum copias adduxit, quibuſdam modo ad arcendos tranſi-
tu Macedones relictis. Metuens vero Alexander elephan-
tos & hoſtium multitudinem, ipſe in læuum cornu impe-
tum fecit, cæteris ad oppugnandum dextrum miſſis. Vtrin-
que autem cedente cornu, qui pellebantur ad elephantos
ſubinde ſe receperunt, atq; ibi agmen coegerunt, ita vt pu-
gna commixta, vix tandem octaua hora animos Indi de-
ſponderint. Hæc ſunt, quæ ipſe prælij autor in epiſtola eo
de prælio ſcribit. Plerique vno ore ſcriptores affirmant, Po-
« rum cubitorum quatuor & palmi longitudine fuiſſe, equi-
temque corporis magnitudine elephanto reſpondiſſe. Ma-
« ximus is omnium fuit, & ingenio præditus admirabili, qui
mirificam regis curam gereret: nam & pro incolumi eo a-
criter propugnauit, obuios quoſque proruens, & cum eum
iaculis vulneribusque confectum cerneret, ne collaberetur
in genua placide ſubſidens ſingulatim ſpicula proboſcide
ex corpore eius extraxit. Porus captus cum eum Alexander
« interrogaſſet, quomodo tractari ſe cuperet, Regaliter, re-
ſpondit: iterumq; percontanti, anne præterea aliquid, In
« voce regaliter omnia ineſſe dixit. Itaq; eum Alexander non
modo eius quod tenuerat regni ſatrapam reliquit, ſed &
Autonomos (ita vocantur, qui ſuis vtuntur legib. & liberi
degunt) ſubactos ei ſubdidit. horũ ditio quindecim gentes,
vrbium memorabilium quinq; millia, pagorum ingentem
numerum complectitur. Aliam regionem triplam huius
*Bucephali obitus.* Philippo cuidam ex amicis gubernandam dedit. Expugna
contra Porum Bucephalus quoque, non ſtatim, ſed (vt ple-
rique ferunt) poſtea cum vulnera eius curarentur obiit:

Oneſi-

Oneſicritus ætate confectum expiraſſe ait, mortuum enim trigenarium: Grauiter eius obitum Alexander tulit perinde ac ſi familiarium aliquem, aut amicorum amiſiſſet: ideo & vrbem eius nomine Bucephalam iuxta Hydaſpen condidit. Sotion ſe ex Potamone Lesbio audiſſe ſcribit, Alexandrum canis etiam Peritæ, quem à ſe educatum ſibique charum amiſiſſet, nomine vrbem poſuiſſe. Cæterum prœlium aduerſus Porum Macedonas languidiores reddidit, & à petendo vlteriorem Indiam auertit. Cum enim hunc viginti peditum, duobus equitum millibus occurrentem magno cum labore ſuperaſſent, Alexandro Gangem tranſire contendenti ſummopere repugnarunt. Inaudierant enim latitudinem eius trigintaduum eſſe ſtadiorum, altitudinem vlnarum centum: ripam vlteriorem armorum, equorum elephantorumque occultari copiis: quippe Gandaritarum & Præſiorum reges ibi cum LXXX. equitum, CC. peditũ, octo curruum, ſex ad bellum inſtructorum elephantorum millibus conſediſſe. Neque inflatius hæc referebantur. Nam Androcottus, qui paulo pòſt regnum ibi tenuit, quingentos elephantos Seleuco donauit, Indiamq; vniuerſam circumductis ſexcentis armatorum millibus ſubiugauit. Initio igitur Alexander præ mœſticia & ira ſeipſum in tentorio incluſit, ibiq; decubuit, ingratas omnes res hactenus geſtas habens, niſi Gangem tranſiiſſet, victumque ſe palam fateri exiſtimans, ſi ita retro abiiſſet. Victus tandem & amicorum opportunis cohortationibus & militum deprecantium eiulatu ac clamoribus caſtra inde mouit, multas opinionis conciliandæ cauſa fallacias machinatus. Nam & arma ſolito maiora, & equorum præſepia, & fræna vſitatis grauiora parauit, quæ ſparſim ibi diſcedens reliquit: & aras diis poſuit, quas etiamnum Præſiorum reges vbi tranſeunt, venerantur, & ibi Græco ritu ſacrificant. Androcottus autem puer admodum Alexandrum vidit: ferturque ſæpe poſtmodo dixiſſe, Minimum abfuiſſe quin Alexander rerum potiretur, rege ob improbitatem & ignobilitatem ſuis inuiſo & contempto. Inde ad viſendum Oceanum Alexander animum applicauit, multisq; nauibus remigio inſtructis, multis ratibus compactis, paulatim ad eum fluuiis ſubuectus eſt. Nauigatio autem ea non ocioſa, bellive expers fuit: ſed vrbes in tranſitu oppugnans, in terramq; egrediens in poteſta-

*Copiæ in vlteriori India.*

*Periculū apud Mallos.*

testatem redigebat. Apud Mallos, quam gentem Indorum bellicosissimam tradunt, parum abfuit quin occideretur. Cum enim iaculis homines de muro profligasset, primusq; admota scala in murum euasisset, scala fracta, & barbaris apud murum subsistentibus, iaculaque contra eum in subli mi stantem torquentibus, vt aderant ipsi suorum admodū pauci, in medios hostes desiliuit, bonaque fortuna in pedes rectus constitit. Hic cum arma concussisset, fulgorem aliquem & spectrum ante corpus eius ferri existimantes, initio diffugerunt. Mox cum duobus modo stipatoribus adesse cernentes accurrerunt: aliique comminus eum gladiis & hastis per arma adactis consauciarunt, defendente sese, quidam modico spacio remotus tanta vi sagittam arcu in eum emisit, vt thorace perrupto ea in ossibus circum mamillam infigeretur. Ad eum ictū labascente corpore, accurrit autor vulneris cum stricto barbarico ense. Peucestas autem & Limnæus pro rege se opposuerunt, & vterque grauiter sauciatus est, ita vt Limnæus perierit: barbarum Alexander obtruncauit. Sed acceptis multis vulneribus, ac tandem ceruicem fuste ictus muro corpus acclinauit, ad hostes respiciens. Interim Macedones circumfusi, abreptum in tabernaculum retulerunt, sensu iam orbatum. Statim per castra rumor vagatus est, mortuum esse regem. Difficulter magnoq; cum labore lignum sagittæ serra præcisum thoraxque detractus est. Cuspis tres digitos lata, longa quatuor, sub vnum ossium hamo ita subiuerat, vt excindenda fuerit. Itaque tātum animi deliquium Alexandro, dum exsecaretur ea, obortum est, vt morti fuerit proximus. Rediit tamen ad se, & mortis periculum superauit. Nondum plane recuperatis viribus, (etenim per haud exiguum tēpus diæta curari opus habuit) desiderio sui videndi tumultuari foris Macedones audiens, veste sumpta ad eos exiuit, sacrisq; factis rediit. Inde auectus multas in transitu magnas vrbes, multum regionis subegit. Ex Gymnosophistis, qui Sabbæ deficiendi autores fuerant, & plurima mala Macedonibus parauerant, decem cū cepisset, qui arguti in respondendo, succincteq; explicanda quæstione essēt, quæstiones eis ambiguas proposuit: qui primus non recte dissoluisset quod interrogabatur, eum se & reliquos ita deinceps ordine interfecturum minitans, iudiciumque ea de re vni de natu maximis committens.

Primus

Primus pluresne viuos esse an mortuos putaret interrogatus: viuos respondit. mortuos enim non amplius esse. Alter, marene an terra maiores aleret bestias, Terra, inquit: eius enim pars est mare. Tertius, quod animantium esset callidissimum, Id, ait, quod ab homine nondum est cognitum. Quartus, qua ratione Sabbæ defectionem persuasisset, Vt, inquit, aut bene viueret, aut male moreretur. Quintus diemne an noctem prius extitisse arbitraretur, Dies, ait, vno die prior fuit: & mirante responsione rege addidit, necessario quæstionibus ambiguis propositis, obscuras etiam fieri responsiones. Sextus, qua ratione aliquis efficere posset, vt maxime diligeretur, Si, inquit, optimus sit, neque tamen terribilis. Septimus, quonam pacto aliquis ex homine fieri posset Deus, respondit, Si quid faciat, quod homo facere nequeat. Octauus, morsne an vita sit robustior, Vitam dixit, vt quæ tot mala perferat. Vltimi, cum percontaretur Alexander, quousq; homini viuendum putaret, responsio fuit, Tantisper, dum mortem non putaret vita potiorē. Conuersus inde rex ad iudicem, sententiam ferre iussit: cūque is vnum alio deterius respondisse pronunciaret, Ergo inquit, tibi primo moriendum est, ita iudicanti. Nequaquā ait ille, si quidem ô rex tibi constes, qui eum te interfectorū primo loco dixeris, qui omnium pessime respondisset. Hos quidem donatos dimisit. Onesicritum vero ad eos Gymnosophistas misit, qui celebri fama in ocio viuebant. Onesicritus philosophus erat, Diogenis aliquando sectator. Is refert Calanum contumelioſe admodum & aspere sibi mādasse, vt vestimento posito nudus ipsum audiret: alioquin non esse cum ipso collocuturum, ne si ab ipso quidem Ioue missus fuisset. Dandamin autem mansuetiorem se præbuisse, & cum de Socrate, Pythagoraq;, ac Diogene sermonem accepisset, dixisse, videri sibi istos viros bono fuisse ingenio præditos, qui tanta legum verecundia vixerint. Alij Dandamin aliud nihil, nisi hoc vnum dixisse tradunt, Cur tam longo itinere Alexander huc venit? Calano tamen Taxiles persuasit vt ad Alexandrum iret. Sphinæ ei nomen fuit, sed quod congressos secum Indica voce cale (id est, salue) compellaret, a Græcis Calanus est dictus. Hunc ferunt Alexandro imaginem regni proposuisse. Corium scilicet probe siccatum & aridum in medium propoluisse eiusq; extremū

*Quæstiones Gymnosophistis propositæ.*

*Calani imago regni.*

calcalle,

calcasse, eo factum, vt hoc presso cęteræ partes se erigerent cumq; ita per orbem circumiens fecisset, medio tandem corio institisse: ita omnes partes subsedisse. Indicabatur autem hoc exemplo, medias maxime partes regni tenendas, neq; procul aberrandum Alexandro. Enimuero septem menses impensi sunt isti per flumina in Oceanum subuectioni. Hùc nauibus ingressus, ad insulam venit, quam ipse Scillustin, alij Psiltulcin nominant. Hic egressus sacra diis fecit, marisque eius & oræ, quantum eius fieri potuit, naturam contẽplatus, Deos precatus est, ne quis post ipsum homo fines istius expeditionis excederet. Inde rediens classem ita Oceanum iussit circumuehi, vti Indiæ oram à dextra haberet, eique ducem Nearchum, gubernatorũ principem Oneſicritum præfecit. Ipse pedestri itinere per Oritas profectus in extremum difficultatum incidit, tantam q; hominum multitudinem deperdidit, vt bellicarum copiarum ne quadrãtem quidem ex India reduxerit. Et quidem cxx peditũ, ad xv. equitum millia secum habuerat. Enimuero graues morbi, victus iniqua ratio, æstus in summa siccitate multos, plurimos fames perdidit regionem incultam peragrantes hominum miseram vitam tolerantium, & quibus præter oues paucas, & quarum ob marinorum piscium esum fœtida esset, ciboque incommoda caro, nihil esset bonorum. Hanc cum sexaginta dierum spacio ægre transiuisset, simul vt in Gedrosiam peruenit, commeatum à proximis satrapis & regib. affatim paratum inuenit. Ibi refecto exercitu, septem dieb. comesando per Carmaniam transiit. Ipsum cum sociis super machina in sublimi & insigni tabulato constructa noctes diesq; potantem octo fere equi portabant. Sequebantur permulti currus, velis alij purpureis & picturatis, alij recentibus subinde & viridibus obumbrati frondibus, quibus reliqui socij & duces coronati & potantes vehebantur. Parmam autem, galeam, aut sarissam nullam vidisses, sed vniuerso itinere milites vinum ex cadis atque crateribus magnis haurientes pateris, scyphis, ac Thericleis, inuicemque sibi cum in itinere faciendo, tum corporibus reclinatis ad quietem propinantes. Omnia autem fistularum, tibiarum, carminum, cithararũ sonitu, mulierumq; bacchanationibus perstrepebant: & incompositum vagumque iter facientibus inter pocula subibat orchia Bacchi per lasciuiam simulare,

*Alexandri exercitus clades.*

*Comesatio itineraria*

mulare, tanquam præsente & pompam eam ducente Deo. Postquam in regiam Gedrosiæ peruenit Alexander, iterum festos agens dies exercitum recreauit. Ferunt eum temulentum chororum certamina spectasse: ibi Bagoam amasium ipsius inter eos qui choros instituerant victoria potitum: vtque erat ornatus, ad regem aggressum iuxta consedisse: Macedones cum id cernerent, plausum dedisse, neque vociferandi vt eum rex osculare tur, finem ante feciisse, quam Bagoæ amplexum is osculumque tulisset. Huc ad eum eum peruenisset Nearchus, delectatus nauigationis eius narratione, statuit ipse magna cum classe secundo Euphrate in Oceanum deuehi, atque inde iuxta Arabiam & Africam facta nauigatione, per columnas Herculis in mare mediterraneum intrare. Itaq; apud Thapsacum omnis generis nauigia compingi, & vndique nautæ gubernatoresq; conduci cœpti. Sed auditum expeditionem in superiori Asia Alexandro male cessisse, apud Mallos amissam exercitus magnam partem, neque fidem nunciis de eius salute habendam: subditos ad rebellionem pellexerat, ducibusque & satrapis multa iniuste, insolenter, atque ex cupiditatibus agendi ansam præbuerat. & iam vndique res fluctuabant, atque defectionem spectabant, quando Olympias etiam & Cleopatra motas aduersus Antipatrum seditione, ita inter se imperium partitæ erant, vt illa Epirum, hæc Macedoniam teneret, cũ quidem Alexander re audita, rectius consuluisse sibi matrem dixit: quod Macedones mulieris regnum nequaquam essent perpessuri. His motibus impulsus, Nearchum rursus ad mare dimisit, consilio oram totam bellis implendi. Ipse ex superiori Asia degressus pœnas de malis præfectis sumpsit, Oxyartemque vnum de Abuliti liberis sarissa confodit. Abulitus nihil rerum necessariarum apparauerat: tria millia modo talentorum pecuniæ ipsi attulerat. Alexander id argentum equis proponi iussit, cumque ij non gustarent, Ad quid ergo, inquit, nobis tuus apparatus prodest? Abulitumque in carcerem coniecit. In Persia primum mulieribus pecuniam distribuit. Nam mos regibus Persiæ fuit, vt quoties in eam regionem venissent, aurum singulis Persarum mulieribus diuiderent: ideoque ferunt quosdam reges raro, Ochum ne semel quidem in Persidem venisse, sed obtenacitatem voluntarium sibi à patria exilium indixisse.

*Motus nouus.*

*Persica largitio.*

II Deinde

*Cyri sepulcrum.* Deinde Cyri sepulcrum effossum offendens, autorem facinoris Polymachum, minime quidem ignobilem hominem Pellaque oriundum necauit: inscriptionem cum legisset, Græcis subscribi literis iussit. Eius hæc fuit sententia. Quicunque ades mortalium, atq; vndecunque veneris, (venturum enim te scio) Cyrus ego sum, qui Persicum regnum cõstitui: ne igitur tantillum mihi telluris inuideas, qua corpus meum obtegitur. Hæc res animum Alexandri maiorem in modum perturbauit, incertitudinem rerum vicissitudinem que reputantis. Ibidẽ Calanus cum ex aluo modicũ tempus laborasset, rogum sibi extrui postulauit: & ad hunc equo aduectus, cum se certis precibus consecrasset, primitiasque crinium iniecisset, adscendit, ac Macedones qui tum aderant salutans, hortatus est vt eam diem hilarem sumerent, ac cum rege compotarent, quem ipse paulo post Babylone esset visurus. Hæc locutus se reclinauit, vestibusq; velauit, neq; igne appropinquante se commouit, sed eo quo recubuerat habitu seruato, more eius regionis sophistarum antiquo, seipsum sacrificauit. Hoc idem multis interiectis annis Indus quidam Cæsaris assecla Athenis fecit, cuius hodie etiam ostenditur monimentum, ac Indi sepulcrum dicitur.

*Calanus seipsum cremat.*

*Certamen potandi.* Digressus à rogo Alexander, multis amicorum & ducũ conuocatis ad cœnam, certamẽ poculorum, coronamq; ei qui plurimum meri ebibisset, proposuit: eius victor Promachus vsq; ad quatuor choas processit, ac victoriæ præmium nactus talentum, tres dies superuixit: reliquorum compotorum XLI mortuos testatur Chares, oborto post ebrietatem vehementi frigore. Nuptias amicorum Susis celebrãs, atq; ipse filiã Darij Statiram ducens, & præstantissimas cæteris suarum præstantissimis coniungens, nec non & Macedonibus qui iam antè nuptias peregerant epulum sponsale egregium præbens (cum quidem nouem hominum millibus ad cœnam inuitatis, vnicuilibet aurea patera ad libandum data est) cum in reliquis admirabili est vsus magnificentia, tũ æs alienum de suo ipse creditoribus dissoluit, cuius summa impensæ fuerunt nouem millia talentorum, & DCCCLXX talenta. Antigenem vero vnoculum, quod is se debere mentitus fuisset, & fictitium creditorem ad mensam adduxisset, cui pecuniam redderet, deprehensum imposturæ præira aula & imperio amouit. Præclarus rebus bellicis fuit is Antigenes,

tigenes, iuuenisque adhuc Philippo Perinthum oppugnante, cum sagitta tormento acta oculum ictus esset, non ante passus fuit sibi telum à suis extrahi, quanquam instantibus, quam intra muros hostem vi repulisset. Itaque hanc ignominiam haud mediocriter ferenti, veritus ne seipsum præmœrore interficeret, gratiam delicti fecit, pecuniamque eam habere ipsum iussit. Cum autem triginta ista puerorũ millia, quos ab eo Græca disciplina instituendos supra ostẽdimus, non corporum modo viribus, sed & agilitate in exercitationibus ac velocitate admirabili vti videret, non leuem cepit voluptatem. Macedonibus autem ea res tristiciam attulit, atque solicitudinem, ne in minori propterea apud regem essent precio. Itaq; cum is imbecillos Macedonum & membris mutilatos ad nauigationem dimitteret, contumeliam hoc esse & circumscribi se reliqui dixerunt: quod eos homines, quorum in omnibus negociis abusus esset corporibus, ignominiose nunc deponeret, patriisque & parentibus non quales accepisset redderet: quin vniuersos potius Macedonas, veluti inutiles, dimitteret, ac cum iuuenibus istis tripudiare in armis callentibus subigere mundũ pergeret. Hęc stomachum Alexandro mouerunt, grauibusque eos conuiciis increpatos repulit, custodias Persis mandauit, atque ex iis stipatores & lictores constituit. Macedones cum ab iis regem deduci, se cum dedecore esse reiectos viderent, animos demiserunt, collocutique mutuo senserunt præ ira se & æmulatione prope insanire. Tandem vnanimes ad tentorium regis accesserunt, inermes, vnicaq; sin guli tunica amicti, ac cum clamore & eiulatu se regi dediderunt, statuendiq; de ipsis vt malis ingratisq; potestatem detulerunt. Alexander tametsi mitigatus, non admisit eos tamen, toto biduo totidemq; noctibus continenter adstantes, dominumq; eum suum lugubriter inuocantes. Tertia die progressus, cum miserabilem eorum & abiectum gestum videret, aliquandiu illacrymauit: inde mediocriter verbis castigatos humaniter compellauit, militiæque inutiles magnifice donatos dimisit: Antipatro etiam scribens, omnibus certaminibus ac spectaculis præcipuum eis in theatro locum assignari, coronarosque sedere iussit: defunctorum etiam pupillis stipendia decreuit. Postquam Ecbatana Mediæ peruenit, negociis seriis confectis, theatro

*Macedones ab Alexandro neglecti.*

iterum & ludis vacauit, quam ad rem tria artificum millia ex Græcia ei missa venerant. Forte tum iisdem diebus Hephæstio, cum febricitaret, accuratam dietam, homo scilicet iuuenis & bellis adsuetus, non ferens, Glauco medico ad theatrum digresso prandens gallum assatum deuorauit, & ingens poculum vino plenum exhausit: quo facto deterius habuit, neque multo post mortem cum vita commutauit.

*Hephæstionis mors.*

Hunc casum immodice tulit Alexander. Illico luctus causa omnium equorum mulorumque iubas totondit, & circumiacentibus vrbibus propugnacula ademit: miserum illum medicum in crucem sustulit, ac in castris tantisper tibiarū Musicesq; vsum inhibuit, dum ab Ammone oraculum allatum Hephæstioni honores & sacrificia tanquam Heroisteri iussit. Bello etiam ad leniendum dolorem vsus, veluti ad hominum venationem exiuit. Cossæamq; gentem subegit, & occidione occidit: hæc iusta Hæphæstionis dicta sunt. Porro autem decem millia talentorum in eius sepulturā & monumentum impendere cum animum induxisset, artificio autem & ornatu apparatus impendium superare, maxime omnium artificum Stasicratem requisiuit, cuius in magnificentia & nouitate insolenti tentanda audaciā cognitam habebat. Quippe is ante etiam cum Alexandro congressus affirmauerat omnium montium Athon Thraciæ aptissimum esse, qui in statuæ humanæ formam fingererur: itaq; si iuberet sibi stabilissimum & illustrissimum fabricari ex illo monte monimentum, se ita eū efformaturum, vti sinistra manu vrbem populosam contineret, dextra autem amnis in mare decurrentis copiosam aquam funderet. Quod cum Alexander tunc repudiasset, isto tempore multo absurdiora & sumptuosiora adhibitis artificib. instituebat atq; machinabatur. Cum ad Babylonē procederet, Nearchus (is enim rursus ab Oceano per Euphraten subuectus redierat) retulit, quosdam Chaldæos ad se venisse, qui regem Alexandrum monere iuberent, vt Babylonem vitaret. Verum Alexander neglecta ea admonitione cum ad muros vrbis iam accessisset, coruorum turbam vidit mutuo concertantium, seque inuicem rostris ferientium, ita vt nōnulli iuxta ipsum decciderent. Indicio etiam delato, Apollodorum Babylonis præfectum de ipso exta consuluisse, Pythagoram aruspicem vocauit: neque is factum inficiatus est: & interrogatus

*Prodigia.*

qualia

qualia fuissent exta, iecur sine capite apparuisse dixit. & Alexander, Papæ, inquit, graue hoc ostentum, Pythagoramque illæsum dimisit. Interim grauiter ferens quod Nearcho non obtemperasset, plerunque extra Babylonem se continuit, & circumnauigando Euphrate tempus traxit, multis eum prodigiis terrentibus. Etenim leonum qui alebantur maximum ac pulcerrimum asinus cicur aggressus calce impacta occiderat. Cum ipse vnguendi causa vestibus se nudasset, & pila luderet, adolescentes qui vna ludebant, cum iam vestes essent recipiendæ, hominem conspiciunt in solio sedentem, tacitum, amictuque & diademate regio indutum. Is interrogatus, quisnam esset, aliquandiu vocem nullam edidit, vix tandem animo recepto, Dionysium se vocari respondit, genere Messenium esse, mari huc aductum criminis cuiusdam causa, diu in vinculis habitum fuisse: modo Serapin ei adstitisse, vincula soluisse, huc produxisse, & mandasse, vt diademate & amictu regio sumpto tacitus ibi sederet. Hoc vt audiuit Alexander, istum quidem hominem iussu vatum è medio sustulit: ipse animo æger, minus iam Diis fidere, de amicis sinistra suspicari, præcipue autem ab Antipatro, & eius filiis sibi metuere. Ex his Iolaus pincernarū princeps erat, Casander recens eo aduenerat. Hic cum barbaros quosdā genua coram rege flectere cerneret, Græco nimirum more educatus, ac qui nihil tale prius vidisset, liberius risit: Alexander autem iratus, crinibus vtraque manu arrepti caput parieti allisit. Iterum aduersus Antipatri accusatores dicere aliquid cupientem reiiciens, Quid dicis, inquit? hosne homines nulla affectos iniuria calumniandi modo causam tantum iter feciſſe? cumque Casander hoc ipsum calumniarum indicium responderet esse, quod tam procul ab iis, vnde possent redargui recessissent, risu sublato Alexander, Hæ, ait, illæ, Aristotelis sunt argutiæ: sed plorabitis vterq;, si vel leui quenquam affeceritis iniuria. Omnino autem grauis Alexandri metus animo Casandri, penitusque insedit: adeo vt multo post tempore cum iam Macedonibus imperaret, Græciamque sua in potestate haberet, Delphis ambulans, statuasque spectans, visa forte Alexandri imagine subito perculsus toto horruerit tremuerit que corpore, eaque animi æstuatio vix sedari potuerit. Cæterum Alexander post-

*Casander abrò male tractatus.*

quam semel animus religione obstrictus fuit, etiam leuissima quæque & à communi consuetudine vtcunque aliena in prodigium traxit: itaq; sacrificantium, expiantium, vaticinantium plena esse regia. Etenim vt perniciosa est incredulitas, & contemptus signorum diuinitus oblatorum: ita superstitio etiam noxia est, quæ tum aquæ instar ad subsidentia delabentis, animum Alexandri trepidum stolida timiditate complebat. Enimuero oraculis de Hephæstione allatis, finito luctu rursum sacrificiis & comporationibus se dedit. Cum autem splendido conuiuio Nearchum accepisset, ac pro more suo à cœna lotus cubitum ire vellet, à Medio exoratus est, vt ad eum comesatum iret: ibi cum insequentem diem totum potando exegisset, febricitare cœpit. Quæ enim de epoto Herculis scypho, vtque repente tanto correptus sit dolore, ac si hasta dorsum esset trãsuerberatus, à nõnullis scribuntur, afficta sunt ab iis, qui grãdi velut fabulæ exitum tragicum & miserabilem attexendum putauerunt. Aristobulus eum febri sæua laborantem, cum vehementer sitiret vinum bibisse scribit, inde in phrenesin incidisse, ac mortuum postrema Dæsij mensis die. De morbo eius ita est in diariis perscriptum. XVIII Dœsij die dormiit in balneo propter febrim, postridie in cubiculum rediit, & cũ Medio talis ludẽdo diem consumpsit. vesperi cum lauisset, & diis sacra fecisset, sumpto auidius cibo febricitauit. XX. eius mensis die lauit, iterum diis solitum sacrificium peregit, inque balneo recumbens Nearcho nauigationem suam & de Oceano narranti vacauit. XXI die cum idem fecisset, aucto æstu noctem duriter egit: postridie vehementi febre laborauit, transportatusque ad magnum natatorium, cum ducib. collocutus est de constituendis iis quę vacarent præfectis prouinciis. XXIIII vehementer febricitans, ad rem sacrã faciendam deportatus est, summosq; duces in aula agere, minores, & quingenorum præfectos foris pernoctare iussit. Translatus in vlteriorem regiam XXV. die aliquantulum dormiit, febri nihil remittente: cumq; ad eum duces accessissent, vocem nullam edidit. Idem XXVI accidit. Itaq; Macedonibus obiisse visus fuit, & ad fores aggressi, magno clamore ac minis ab amicis regiis obtinuerunt, vt ostiis apertis singuli tunicati iuxta culcitram regis transirent. Eadem die Pytho & Seleucus ad oraculum Serapidis missi

*De obitu Alexãdri.*

missi quæsiuerunt, eone deferendus esset Alexander: relinqui eum in quo esset loco deus iussit. XXVIII. mensis die vitæ excessit. Hæc fere ita ad verbum in diariis habentur. Veneni suspicio tunc quidem nemini incidit. Sexto post anno (vti traditum est) Olympias re per indicium comperta, multos occidit: Iolaique antè defuncti reliquias dissipauit, quod is venenum miscuisset. Qui Aristotelis consilio Antipatrum rem eam egisse aiūt, atque illius omnino opera venenum allatum, Agnothemin quendam, qui id ex rege Antigono audiuisset, narrasse tradunt: venenum autem fuisse aquam gelidissimam, ex rupe quadam Nonacridis sumptā veluti rorem tenuem, & in asini vngula repositam, quod nullo alio vase contineri posset, verum sua frigiditate & acrimonia omnia perrumperet. Pleriq; totam veneficij narrationem confictam existimant. Quibus haud leue testimonium perhibetur eo, quod principibus per multos dies de summa rerum contendentibus, interim cadauer Alexandri insepultum iacens in æstuoso loco, nullum tamen huiusmodi corruptionis signum habuit, sed purum atque veluti recens permansit. Roxane autem vterum tunc ferebat, ideoque in honore à Macedonibus habebatur. Ea æmulationis instinctu Statiram cum sorore fictis literis euocauit, ambasque occidit, & earum cadauera in puteum abiecit atq; obruit, conscio & adiuuante Perdicca. Is enim statim magnam est adeptus potentiam, Arridæum veluti regni obtinendi satellitium sibi adiungens. Fuit is Arridæus Philippo & ignobili scorto Philinna prognatus, mentis non plane compos, quod corporis morbo ei eueniebat. Verum is morbus non naturæ vitio, aut casu aliquo accidisse, quinimo in puero eo satis bona atque ingenua indoles apparuisse dicitur: sed postmodo venenis ab Olympiade corruptus, sanæ mentis iacturam fecisse. De Venefi cio.

## IN ALEXANDRVM ANNOTATIONES *Interpretis.*

1. A patruo eius Arybba]

ΑΡύβαν, *Arymbam vocauit Iustinus libro septimo, & Diodorus Siculus libro decimosexto. Existimo autē pro* ἀδελφὸν αὐτῆς, *legendum esse,* ἀδελφὸν τοῦ πατρὸς αὐτῆς.

*Fuit enim frater Neoptolemi Arybbas, & tutor Olympiadis fratris filiæ. Quod ad genus Alexãdri Magni maternum attinet, id ex Pyrrhi à nobis proposita genealogia, qui & ipse Achillis fuit ἀπόγονος, intelligi facile potest. Quod ad paternum, Caranus rẽ obscuriorem aliquanto facit. Autor noster haud obscure innuit, eũ Heraclidam, id est de posteritate Herculis fuisse. Sed rationẽ stirpis nõ explicat. Livius libro quadragesimoquinto: Vigesimũ (inquit) à Carano, qui primus Macedonibus regnauit, Persea numerabant. Solinus cap. 15. sui Polyhistoris, Macedoni Caranum ducem Peloponnesiacæ multitudinis in tenenda Macedonia successisse, Caranigꝫ successorem Perdiccam, primum regẽ Macedoniã nominatum scribit. Prope idem est apud Iustinũ libro septimo. Quin & Suidas, quocunꝫ id ex scriptore, annotauit, Caranũ exercitũ ex Græcia in Macedoniã magni tũ nominis regionem adduxisse, in eaꝫ regnum obtinuisse, & successionẽ à se reliquisse, vsqꝫ ad Philippum Alexandri Magni patrem. Apparet autem, ad Temenum Heraclidam genus regũ Macedoniæ referendũ esse: ex Herodoto maxime, qui etsi de Carano nihil refert, Perdiccam tamen hũc diserte Temeni stirpe prognatum ait, vbi quomodo is potitus sit Macedoniæ regno ostendit, ad finem fere Vraniæ. Temenus porro filius fuit Aristomachi, nepos Cleodemi (Lycophronis interpres Cleodotum, Pindari in ζ. odã Isthmiorum Cleadan vocat, fortasis mendose) qui patrem habuit Hyllum, Herculis F. Ex Pausania & Zesa hæc genealogia describi potest.*




Iam

*Iam ſucceßionem regum Macedoniæ hîc proponere ſuperſedeo: quæ extat apud Herodotum, Solinum, Iuſtinũ, & Diodorum Siculum ac Chronographos. Vltimam partem apposuiſſe ſufficit, & in gratiam philologi lectoris obiter explicare.*

*Amyntas*
- *Alexander.*
- *Ptolemæus Alorites. Philoxenus.*
- *Perdicca.*
- *Philippus*
  - *Alexander Magnus.*
  - *Cleopatra.*

*Neoptolemus.*
- *Olympias.*
- *Alexander.*

*Iuſtinus Ptolemæum inter filios Amyntæ nõ retulit: idemq́ etiam aliam eius ex Sygæa (Gygæa puto) prolem refert. Nos Diodorum ſequimur: qui lib. 15. ad primum annum Olympiadis CIII. à Ptolemæo Alorita occiſum fratrẽ Alexandrũ ſcribit: & meminit in Pelopida Plutarchus, filium quoq; illius Philoxenum referens. Ptolemæum interfecit Perdicca, eiq́ ſucceßit. Vide porro initium lib. 16. Cleopatra Alexandri Magni ſoror, nupta eſt Alexandro anunculo ſuo: vt ſcribit eodem libro Diodorus, & libr. 9. Iuſtinus: meminitq́ Liuius lib. 8. Habuit autem Philippus præter Olympiadem alias quoq; multas vxores, quas referre non eſt operæpreciũ. legatur Athenæi δειπνοσοφιςῶν lib. 13. initium. Ex Lariſſea quidem ſaltatrice, nomine Philinna, Aridæum filium (duobus ρρ ἀῤῥιδαῖος ſcribitur apud Diodorum & Plutarch. fine Alexandri) ſuſtulit, qui cum Macedoniæ rex ſecundum Alexandri mortem per ſex annos fuiſſet, iuſſu Olympiadis vnà cum vxore Eurydica eſt necatus à Macedonibus. Iuſtinus libr. 14. alij. Duxit etiam Cleopatram, Hippoſtrati filiam, & ſororis Attali, vt ex Athenæo & Diodoro patet:*

quanquam soror Attali apud Iustinum libro nono, dicatur, codicum opinor mendo. His nuptijs maxime offensam Olympiadem & filium eius constat. Alexander quoq; vxores habuit plures: vt Barsinam Artabazi filiam, ex qua natus Hercules, quem Cassander necauit, annos natum XIIII. vt Statiram Darij filiam, quam fraude Roxanes necatam Plutarch ostendit: vt Roxanem Oxyartæ Bactrianorum regis filiam, quæ pòst vnà cum filio est à Cassandro necata. ex Curtio, Diodoro, Iustino.

2 Mulieres eius regionis.] αὐτῆ δὲ γυναῖκες. Quæ? Molossiæne, vnde fuit Olympias, an Macedoniæ? Posterius probo, ob vicinitatem etiam cum Thracia. Cæterum κλώδωνας, Clodonas legendum hîc esse, non (vt est in Guarini versione, forte tamen librarij errore) Dodonas; testantur Græci etiam lexicographi Hesychius & Varinus: apparetque dictas παρὰ τὸ κλώζειν, vnde est etiam κλωγμὸς, & similia. Edonides autem dicuntur Thressæ seu Thraciæ mulieres, vt Edoni Thraces, apud Latinos poetas præsertim, & Græcos. Theocritus Δαλυσίοις,

εἴης δ' ἠδωνῶν μέν ἐν οὔρεσι.——Virgil. 12. Æneid.
Ac velut Edoni Boreæ cùm spiritus alto
Insonat Ægæo.——Vide Plinium 4. 11.

παραναδύεως. παραναδύεως autem prorepere est, nõ illabi, vt male Guarinus vertit, & sic in Græco Lexico (in quod multa sunt talia ex malis Græcorum autorum interpretationibus consarcinata: vt opus nimirum cresceret, etiam inuita Minerua) exponitur. Quod vel præpositio ἐκ cum genitiuo addita eos monuisset. Iam λίκνον, hoc saltem loco, inepte ventilabrum vertitur. Quid enim Bacchis cum ventilabro? Cunas quidem hoc vocabulo significari, non lexica modo indicant: sed & Homerus sic vsus & perspicue est in hymno in Mercurium,

ὃς καὶ

ὃς καὶ ἐπειδὴ μητρὸς ἀπ' ἀθανάτων θόρε γυίων,
οὐκέτι δηρὸν ἔκειτο μένων ἱερῷ ἐνὶ λίκνῳ.

*Et nescio ex quo scriptore Zezes in Lycophronem de Tithone,* γηράσαντος τοσοῦτον, ὡς καὶ ἐν ταλάρῳ καὶ λίκνῳ αὐτὸν περιστρεφόμενον δίκην βρεφυλλίων κατεύδειν. *Et quia inde* λικνίτης *dicebatur Bacchus, vt testantur* λεξικογράφοι *Græci: probabile est, de cunis mentionē fieri. id si cui minus probabitur, calathum vel cistam, in quibus rebus ad sacrificia pertinentes gestarentur interpretetur.*

*Nam & Theocritus in Bacchis ita:*

ἱερὰ δέκ κίστας πεπονημένα χερσὶν ἑλοῖσαι.

*Infra etiam in Phocione* μυστικαὶ κοῖται *nominantur.*

3 Sexto die.] ἕκτῃ ἱσταμένου. *Quod longe est ab Idib. diuersum. De mensium Græcorum nominibus & ratione dicam aliquid in fine huius lucubrationis. Hegesiæ frigidū epiphonema plane in glaciem apud Guarinum congelauit.*

4 Oculorum volubilitatem.] τὸ ὑγρὸν. *Imperite idē humectantes oculos dixit. Hoc autē vocabuli suprà in Pompeio exposuimus.*

5 In summis corporibus innatat.] *Hoc enim est* ἐπιπολάζειν, *non rebus abundare extrinsecis. Hinc apud Aristotelem* δόξαι ἐπιπολάζουσαι, *quæ omnium maxime celebres, & omniū in ore sint. & Thucydides libr. 5. Epipolas partem Syracusarum editissimam, dictam scribit* διὰ τὸ ἐπιπολῆς τῶν ἄλλων εἶναι: *vt alibi etiam monui.*

6 Rhapsodorum] ῥαψῳδορῶν. *Græcum relinquere, quam supponere Latinum haud satis aptum malui. Erant autem rhapsodi, qui aliena carmina poetarum in solēnibus cōuentibus recitarent, poetarumq́ essent quasi interpretes. Multa de horum officio disputantur apud Platonē* ἴωνι, *hoc est in dialogo de Iliade. Dicti sunt vel* παρὰ τὸ ῥάπτω καὶ ᾠδὴ, *quod carmina consuta quasi ex partibus diuersis, & in vnum corpus conserta (qualia fuisse Homerica, alibi ostendimus)*

*mus) recitarent: vel quod virgam ῥαβδον, manu tenentes cantarent. Qua de re dixi ad initium Vlyssea. Vide omnino scholiastem Pindari in β. νεμέων, & ἰσθμίων δ'. & Eustathium initio commentariorum in primum lib. Iliad.*

7 Nymphæum apud Miezam.] *νυμφαῖον sacrum lucum & dedicatum Nymphis intelligi posse puto, si non sit proprium loci nomen. Miezam quidam per y scribunt: sed μιέζαν & Stephanus habet, & Plinius 4. 10.*

8 Etenim reuera philosophiæ.] *Epistolæ hæ extant etiam apud Gellium, XXIIII. Quid inter ἀκροαματικὰ, siue ἐποπτικὰ, & ἐγκύκλια, quæ & ἐξωτερικὰ dicuntur, intersit, hoc ex loco apparet: neque fusius hîc explicandum duxi. Præsens locus est obscurus. Si μετὰ non legitur pro περὶ, (quod sane haud scio: physica quidem ipsa ἀκροάσεων titulum habere, ea inquam quæ maxime sunt φυσικὰ, nemo ignorat) de prima philosophia intelligi debebunt ij libri acroamatici, quos editos Alexãder queritur. Primam enim philosophiam vocat Aristoteles eam, quam idem τὰ μετὰ τὰ φυσικὰ & theologiam cum Platone, qui & διαλεκτικὴν eam appellat. Inde fit, vt physicen, quam speciatim dicimus, idem Aristoteles δευτέραν nominet σοφίαν, τῶν μετὰ τὰ φυσικὰ libris γ' & δ'. Quæ tamen vtrauis nihilne ad μάθησιν & διδασκαλίαν conducat, neque facile dixerim, neque facile crediderim. Quod si πρὸς Præter hîc significaret, vtique cum datiuo construendum erat. Iam illud ὑπὸδιγμα ad πεπαιδευμένοις an ad γέγραπται pertineat, vel πεπαιδευμένοις pro ὑπὸ τῶν πεπαιδευμένων, an dandi & referendi casu positum sit, ambigi haud iniuria potest. Itaque non liquet. Ipse vestigia Græcorum verborum sum secutus. Interpretes etiam ad primam philosophiam retulerunt. Sed profecto neq; eam puto fuisse Alexandro ab Aristotele traditam: & si hoc vellet, scripturũ fuisse Plutarchũ, ἀληθὲς γὰρ ἡ τῶν μετὰ τὰ φυσικὰ, &c. cùm legatur ἡ μετὰ, &c.*

τὰ, &c. Ergo amplius. Quod de medicina sequitur, ita extulit Guarinus, quasi Aristoteli autor studij in medicam rem conferendi fuerit Alexander. Græca, & ipsa ratio, diuersum ostendunt.

59 Cui à narthecio cognomen.] id est, quem Iliadis librum à narthecio, in quo reconderetur, Iliadem Narthecianam appellarunt. Sic enim intelligendum hunc locum iudico. Guarinus hîc quoque fecit, quod sæpe solebant huius autoris interpretes: etenim totum hoc, ὧν ἐκ νάρθηκος κα-
10 λοῦσιν, omisit, cùm forte non intelligeret. Amiotus minime locum intellexit: itaq; scripsit, etiamnum eam Correctam vocari. Narthecium esse vas vnguentarium, vel medicamentarium, apparet ex Ciceronis libro de Finibus secundo. tam doloris (inquit) medicamenta illa Epicurea tanquam de
15 narthecio promant, &c. vti ante nos etiam est ab alijs obseruatum. Ego νάρθηκα primitiuum, idem quod deductum νάρθηξ.
inde ναρθήκιον facere posse censeo: quod confirmari Lexico- ναρθήκιον.
graphorum etiam autoritate video, quibus νάρθηκα idem significare quod ναρθήκιον placet, & σκεῦος τι ἰατρικὸν esse.
20 Enimuerò cognomentum hoc ab illo nobili Darij vnguentorum scrinio factum Iliadi, quam secum assidue haberet Alexander, puto, vt Narthecciana diceretur. Est enim cùm alibi, tum apud Plinium historia, quam ipsius verbis de libri septimi capite vigesimonono huc adscripsi, vt hunc locum
25 penitus explicem. Itaq; Alexander (inquit) Magnus inter spolia Darij Persarum regis vnguentorum scrinio capto, quod erat auro, gemmisq; & margaritis pretiosum, varios eius vsus amicis demonstrantibus: imo Hercule, inquit, librorum Homeri custodiæ detur. vt pretiosissimum humani
30 animi opus, quam maxime diuiti opere seruaretur. Hinc & quid νάρθηξ sit, vel ναρθήκιον, intelligi, & Plutarchi sententiam apparere puto.

10 Medos, qui defecerant.] μεδάρων. Ego Medaros nullos

*nullos noui: qui nouerit prodat. Medos noui gentem Thracicam, Macedoniæ vicinam: Liuiusq; etiam lib. 26. incursionem eos facere in Macedoniam solitos ait, quoties externo bello rex Macedoniæ detineretur. Ergo Medos scripsi. Quod enim Megarenses Guarinus substituit, non sanauit, sed auxit malum.*

11 Pexodorus.] πηξόδωρος: *Post per* ἰῶτα: *malè. Arrianus lib. 1.* ἀναβ. ἀλεξ. πηξόδαρον *vocat: apud Diodorum* πηξόδωρος *legitur, lib. 16.*

12 Dantemq; ducentemq;.] *Versus ex Medea Euripidis. Verba ipsius sunt de Iasone, soceroq; & vxore nouis eius Creonte & Glauca, necandis deliberantis. Per* δόντα, *dantem, ibi socer Creon: hîc (opinor) nuptiarum & stupri Pausaniæ illati autor Attalus, tum nouus maritus Philippus, & Cleopatra vxor recens Olympiadi superinducta intelliguntur.*

13 Et resonantes cautes.] *Hunc locum male tractauit interpres, ac glaciem nulla cogente necessitate satis frigidè*
πάγος. *apposuit: quasi verò* πάγος *nihil præter glaciem significaret. Mitto Eurip. & Sophoclis testimonia, quibus planũ facere possim* πάγον *saxum, scopulum, cautémve significare. Sane Homeri versus notus est lib. 5. Vlyss.*

ἀλλ' ἀκτὰν προβλῆτες ἔσαν, σπιλάδες τε, πάγοιτε.

*Eustath.* πάγοι, πετρώδεις ἐξοχαὶ, ἢ εἰς ὕψος ἀνέχουσαι πέτραι. *& apud Aeschylum Vulcanus de rupe, cui erat affixurus Prometheum,*

προσπασσαλεύω, *inquit,* τῷ δ' ἀπανθρώπῳ πάγῳ.

*Quin & in Catonis Censorij vita sic vsurpauit noster, de Thermopylarum ab eo captis angustijs scribens. Cæterùm hanc eandem historiam explicatam legere potes apud Strabonem lib. 4. Versus Menandri, atq; etiam nostri, sunt trochaici quadrati.*

14 Asgandes regius.] *Hoc quid sit, non facile dixerim:*

*neq;*

neq; alibi me id vocabulum recordor reperisse. Iustinus Darium ante Codomannum appellatum, & ob virtutem prius Armenijs præfectum, inde Ocho mortuo à populo regem factum, Darijq; nomen accepisse scribit lib. 10. Diodorus præterea lib. 17. regio eum genere natum fuisse docet. Sed inde nihil certi colligo. ἀσκάντης quidem lecticam aut grabbatũ significat Græcis, vt est apud Eustathium, Suidam & alios: vt conijcere fortaßis liceat, fuisse eum aliquando vnum de regijs cubicularijs, ἕνα τῶν κατευναστῶν.

5 Præterea vndoso.] Versus sunt de lib. 4. Vlysseæ Homericæ. Malè autem Guarinus hanc Phari descriptionem extulit. Quod tænia hîc dicitur, id explicant aliorum verba, qui pro his νησίον περίμηκες habent. qui plura volunt, præter Geographos Cæsarem ad finem libri tertij, de Bello ciuili consulant.

16 Non ichor.] Vertere in linguam latinam hoc verbi hoc loco non potui, nisi si saniem voluissem dicere, quod est cruore vel sanguine aliquid deterius, eoq; minus Deorum naturæ conuenit. nam quæ aliâs ἰχὼρ significat, huc nõ pertinent. Versus est apud Homerum lib. 5. Iliadis, de Venere à Diomede sauciata.

16 Apollini hostiam.] τῷ φοίβῳ. Annotatum est hîc ab Amioto, in diuersis exemplaribus φόβῳ, metui scilicet, seu pauori, pro φοίβῳ, quod est Apollinis epitheton, ac nonnunquam pro substantiuo ipso ponitur, legi. Quæ ipsa fortaßis lectio, quando arcanorum sacrorum mentio fit, locum habere posset. Sed mutare hanc planiorem nolui.

18 Sagum etiam.] ἐπιπόρπαμα, à fibula nomen habet: apparet autem ex Eustathio in μ. Iliadis ἐπιπόρπημα esse idem quod ἐφαπτίδα. & ἐφαπτίδα ipse in librum π eiusdem operis, idem esse cum chlamyde docet: quod & alij Lexicographi sequuntur. Baltheum vertit Guarinus: sed non satis video, quo autore. cincturam Amiotus.

19 Vtrum

19 Vtrum humor is quasi.] ἔιτε μᾶλλον ὑπέκκαυμα. *vnde apparet, plures de origine naphthæ recitatas à Plutarcho opiniones, quarum hæc fortasis vltima fuit, reliquis amissis. Sane Amiotus annotauit, in Græco hîc aliquot lineas deesse. De naphtha, vide etiam Strabonem lib. 16.*

20 Quàm comparatum iniquè.] *Miror tam tritum locum à Guarino non animaduersum, intellectumve fuisse. Sunt autem apud Euripidem aliquot versus, quorum initiũ tãtum, vt notorium, posuit Plutarchus. Iis Peleus queritur, rei à Græcis apud Troiam gestæ Atridas gloriam sibi vindicare, cum ipsorum minima fuisset opera. Ita hîc Clitus obiiciebat Alexandro, eum superbire gloria rerum à Macedonibus gestarum.*

21 Maxime omnium artificum Stæsicratem.] *Dinocratem hunc neminat Vitruuius, in præfatione lib. 2.*

22 Quod enim de epoto Herculis scypho.] *Hunc locum peruertit Guarinus. Non enim hoc ait Plutarchus, Alexandrum priusquam illud poculum ebibisset, morbo fuisse correptum: sed totam illam de Herculeo scypho, & subito dolore narrationem, ait esse fabulam. Meminerunt huius scyphi & Diodorus, & Curtius. Annotatum in margine à quodam est, consulendam explicationem prouerbij, Seruatori tertium. Verùm id ad rem nihil facit omnino. Sunt qui poculo nomen Herculis fuisse putant. Ego non abreputo dici posse, in honorem Herculis id poculum ebibisse Alexandrum, vt autoris suæ stirpis. Notum est enim, inter pocula moris fuisse etiam Dijs libare: inuitanteſq́, se liberalius, arbitror eò libationem istam transtulisse. Horatius ad Augustum suum,*

——*Et alteris*
*Te mensis adhibet Deum.*
*Te multa prece, te prosequitur mero*
*Diffuso pateris: & laribus tuum*

*Miscet*

*Miscet numen, vti Græcia Castoris*
*Et magni memor Herculis.*

*Quod idem Mario ob Cimbricam victoriam obtigisse, scribit Plutarchus.* τεταρτάδα *non esse* XIII. *sed vltimum mensis diem, satis est notum.*

## PLVTARCHI CAESAR, GVILIELMO Xylandro Augustano interprete.

CINNAE, qui tyrannidem Romæ occuparat filiã Corneliã Sylla victor cùm neq; pollicitationibus neq; minis à Cęsare diuellere posset, dotẽ eius publicauit. Causa aũt Cæsari inimicitiarũ cũ Sylla fuit Marii propinquitas: nam Iulia, patris Cæsaris soror, vxor Marii senioris, mater iunioris fuit. Cæsar verò cùm initiò præ multitudine cædium, & negociorũ à Sylla se præteritum non contentus, sacerdotii insuper petendi causa in publicum procederet, nondum planè adolescens, Sylla resistente repulsam tulit. Idem de cæde eius deliberans, quibusdam dicentibus absurdum fore, si talem puerum occideret, stupidos esse respondit, si non in isto puero multos conspicerent Marios. Cæsar autem de hoc dicto certior factus, diu in Sabinis oberrans neci se subtraxit. Deinde ob valetudinem noctu in aliam domum translatus, in Syllanos milites incidit, qui loca ista perscrutabantur, & latentes ibi comprehendebant: horum duci Cornelio duobus datis talentis, dimissus est: statimque ad mare profectus, in Bithyniam ad regem Nicomedem nauigauit. Neq; diu apud eum commoratus, cùm inde auehertur, apud Pharmacusam insulam à piratis captus est, iam tum magnis classibus & innumeris nauigiis mare obtinentibus. Ab his primùm viginti talentis dimissionem redimere iussus, derisit eos, quòd nescirent quem cepissent: vltroque datum se quinquaginta promisit. Deinde suis in diuersas vrbes ad cogendam pecuniam dimissis, cùm inter hominum generis immanissimum Cilicas solus ipse cum vno amico & duobus famulis ageret, ita eos spreuit, vt quoties requieti se dedisset, mitteret qui eos tacere iuberent. Ita per duodequadraginta dies quasi non captus teneretur ab iis,

*Cæsar Marij propinquus.*

*Syllam fugit.*

sed stiparetur, summa securitate collusit ipsis, & vnà exercitationibus vacauit: carmina etiam & orationes quasdã cũ scripsisset, iis recitabat: & qui nõ laudassent, eos pajàm barbaros rudesque appellabat, ac sæpe per risum minabatur, se eos in crucem acturum, gaudentes ea dicendi libertate, & simplicitate ac ioco imputãtes. Allatis à Mileto pecuniis, cùm satisfeciſſet piratis, esserq; dimissus, statim nauibus instructis aduersum eos ex portu Milesiorum est prouectus, & stationem adhuc apud insulam habentes nactus plerosque cepit. Itaq; pecunia prædæ cessit, piratas Pergamiin custodiam dedit, & ad præfectum Asiæ Iunium abiit, cuira-
2 tione officii puniendos captos intelligebat. Verùm cùm is pecuniæ intentus (erat enim haud parua) per ocium se de captiuis deliberaturum respõdisset: valere eo iusso, Pergamum rediit, productosque in medium vniuersos piratas in crucem egit, quod illis sæpe in insula iocans (vt videbatur) prædixerat. Secũdum hæc, Syllæ potentia iam languescente à suis in patriam reuocatus, Rhodũ nauigauit ad Apol-
3 lonium Molonis F. quem & Cicero audiuit, insignem rhetorem, & honestorum morum. Fertur ad ciuiles orationes Cęsar & natura aptissimus fuisse, & plurimum in ea re operæ posuisse, vt haud dubiè secundum laudis locum tenuerit: primum enim dimisit, non quòd potentia & armis primus omnium esse mallet, sed quia negociis obrutus ad id inclinauit, ad quod naturą rapiebat, & eloquentiæ studium bellicis ciuilibusq; occupationibus, quibus rempublicã in suam redegit potestatem, impeditus non ad propositum finem perduxit. Ipse quidẽ postea temporis in oratione qua laudationi Catonis Ciceronianæ respondit, precatus est, ne militaris sermo cum oratoris ingenioſi & qui multum ocii dicendo impendisset, eloquentia compararetur. Romam reuersus, Dolabellam repetundarũ postulauit, multarum Græcarum ciuitatum testimoniis adiutus: absolutus tamen est Dolabella. Cæsar, vt gratiam Græcis referret, causam eorum egit P. Antonium captorũ numerum accusantium apud M. Lucullum Macedoniæ prætorem: ac tantum valuit eius oratio, vt Antonius prætẽdens sibi in Græcia contrà Græcos iniquum esse certamen, ad tribunos plebis prouocauerit. Cæterùm Romæ Cæsar cùm reis defendendis gratiosum se reddidit, tum cõgressibus & colloquiis comi-

*Accusationes.*

bus

bus magnã sibi plebis beneuolentiam parauit, vltra quàm ætas ipsius ferret officiosus: simul & conuiuiorum ac cœnarum & vitæ splendore paulatim potentia ipsius augebatur, suo tempore in repub valitura. Quam initiò æmuli eò neglexerunt apud vulgus efflorescentem, quòd sumptibus deficientibus fore vt statim euanesceret putabant: serò admodum errorem suum animaduerterunt, cùm ea grandis iam & inexpugnabilis nõ occultè iam ad mutationem reipublicæ spectaret. adeò nullius rei initium ita paruum est putandum, quasi non id assiduitate magna incrementa, idque breui temporis spacio facere possit: cùm quidem eò quod neglectui sit, & contemptui habitum, absq; vllo impedimento augescat. Sanè qui primus videtur eius institutum suspectum habuisse, veluti maris falsò blandientem tranquillitatem, latentemque sub humanitatis & hilaritatis specie calliditatem deprehendisse Cicero, dicebat se in omnibus eius conatibus atque consiliis tyrannicum propositum inesse perspexisse: sed cùm eum comã ita accuratè composuisse, & vno digito caput scabere videret, nõ potuisse sibi persuadere eum hominem tãtum facinus animo cõcepturum, vt rempublicam Romanam euertere aggrederetur. Sed hæc pòst. Primum populàris beneuolẽtiæ erga ipsum documentum extitit, quòd in ambitione tribunatus militaris C. Popilio est prælatus, Alterum, & illustrius, cum Iuliæ Marii vxoris, amitæ suæ defunctæ laudationem funebrem in foro perorauit, & imagines Marii in funere duxit, tunc primùm à Syllæ dominatu visas, à quo Marius cum suis hostes reipublicæ fuerant iudicati. Tunc enim quibusdam obstrepentibus Cæsari, populus factum eius læto clamore & applausu approbauit, gaudens longo pòst tempore & quasi ab inferis eum honores Marii in vrbem reduxisse. Enimuerò ætate prouectiores mulieres in funere laudare, moris antiqui apud Romanos fuit. Primus Cæsar vxorem suam, cùm iuniores laudari non esset receptum, mortuam oratione funebri decorauit: quo facto animos multitudinis sibi fauore obstrinxit, vt tanquam mansuetum, placidissimisque moribus virum amarent. A morte mulieris quæstor cum prætore Vetere profectus est in Hispaniam, quem & coluit summa constantia, & ipse prætor factus filium eius quæstorem fecit.

*Gratiæ apud populum.*

cit. Eo defunctus magistratu, tertiam duxit coniugē Pompeiam: cùm haberet ex Cornelia filiam, quæ postea Pompeio Magno nupsit. Cæterùm ingentes sumptus faciens, creditusque breuem & vnius dieculę gloriam maximis parare impendiis, cùm re vera minimis maxima emeret: fertur priusquàm magistratum vllum iniret, MCCC. talenta æris alieni conflasse. Cùm verò insuper viæ Appiæ procurator constitutus, magnam à se pecuniam impendisset, & ædilis CCCXX. gladiatorum paria exhibuisset, cæterisque in theatra, pompas, & cœnas impensis omnem priorem magnificentiam superasset, tantum erga se fauorem populi concitauit, vt certatim nouos magistratus, nouos honores quærerent, quibus delatis ei gratias referrent. Duæ eo tempore factiones Romæ erant, Syllana altera, tum vigens: altera Mariana, humilis tum, & dissipata, atq; fracta. Hanc Cæsar reficere, & sibi adiungere cupiens, occultè imagines Marii, & trophæa noctu in Capitolio posuit, auro radiantia, arteq; summa elaborata, quorum inscriptiones Cimbricas victorias indicarent. Quæ facta die cùm essent conspecta, mirati sunt homines audaciam eius qui ea posuisset, neque enim obscurum erat. Statim rumore vulgato vniuersi Romani ad spectaculū concurrerunt. Ibi alii clamare, Cæsarem tyrannidem moliri, qui legibus & senatusconsultis abolitos honores restitueret: periculum eum facere iam de animis populi, eósque præmollire, & explorare, an huiusmodi donis cicurati se, ipsumque rebus huiusmodi ludere, & noua affectare patiantur. at Mariani subitò ingenti multitudine existere, dictis Cęsarem confirmare, plausu Capitolium implere: quidam conspecta Marii imagine præ gaudio illacrymare: Cæsar in oculis eorum esse, magnisque laudibus tolli, ac solus Marii propinquitate dignus prædicari. Conuocato eius rei causa senatu, Lutatius Catulus, qui in summa tum erat inter Romanos existimatione, inter alia quibus Cæsarem accusabat, id quoque memoratum deinde dixit, eum non iam cuniculis, sed machinis rempub. oppugnare. Sed postquam Cæsar excusationem suam senatui probauit, auxit ea res animos sectatorum eius: hortatique sunt, vt nec cui animi contentione cederet: haud dubiè enim omnes populi fauore victurum. Interim Metello pontifice maximo vita defun-

*Aes alienum.*

defuncto, cùm id sacerdotium Isauricus & Catulus clarissimi viri, & in senatu principes peterent, nihil territus Cæsar ipse quoque idem ambiit: & cùm paria vtrinque studia viderētur, Catulus quo maiore esset dignitate præditus, eo magis euentum rei incertum metuens grandem pecuniam Cæsari per internūcios obtulit, si à petitione desisteret: respōdit Cæsar, se, si mutuo sit sumenda maior pecuniæ summa, nihilominus tamen certaturum. Comitiorum die matrem eum cum lacrymis ad fores persequentem cum saluta sset, Hodie, inquit, mater, filium tuum aut pontificē maximum, aut exulem videbis. Vicit tamen in suffragiorum certamine: senatuiq; & optimatibus metum incussit, quòd ad extremum audaciæ populum productur us videbatur. Itaque Piso & Catulus Ciceronem incusabant, qui Cæsari pepercisset, cùm ob coniurationem Catilinariam eius opprimēdi ansam habuisset. Catilina enim, cùm non mutare, sed euertere rempub. & omnia confundere statuisset, antequàm totum ipsius consilium detegeretur, leuioribus quibusdam indiciis proditus profugerat, Lentulo & Cethego coniurationis executoribus in vrbe relictis; quibus vtrum virium aliquid fiduciæq; fecerit Cæsar, non satis constat. His quidem in senatu conuictis, cùm Cicero consul de supplicio iis irrogando sententias singulorum quæreret, & ad Cæsarem vsq; omnes morte mulctandos dixissent: Cæsar orationem, quam fuerat antè meditatus, habuit: neq; moris Romani, neq; iustum sibi videri, indicta causa, idq; non postulante extrema necessitate, viros dignatione & genere illustres interficere: placere, vt in vrbes Italiæ arbitrio Ciceronis diuisi in custodia teneātur, donec Catilina debellato senatus per ocium de causis singulorum cognoscere ac statuere queat. Hæc sententia cùm humanitate præ se ferret, & oratione facunda esset confirmata, tantum valuit, vt non modò qui post Cæsarem dixerunt, ei subscriberent sed & quidam eorum qui antè responderant, suis retractatis ei accederent: eo vsque dum ad Catulum & Catonem peruentum est. Hi cùm Cæsaris orationem magno studio refellerēt, & Cato simul etiam suspicionem ei impingeret, coniurati isti ad necem traditi sunt. In Cæsarem verò senatu egredientem multi eorum iuuenum qui Ciceronem stipabant, nudatis gladiis irruerunt, sed cū Curio fertur toga

*Catilinaria coniuratio.*

sua circumdata eduxisse, & ipse Cicero respicientibus ad se iuuenibus renuisse, siue quòd populũ metueret, siue quòd iniustam eam cædem putaret. Hoc si verum sit, equidem miror à Cicerone in libro de consulatu suo omissum. Vitio sanè ei post datum est, quòd occasione contra Cęsarem oblata optima vsus non esset, metu populi, qui incredibili studio Cæsarem defenderet. Nam & paucis pòst diebus, cùm in senatum is diluendarum suspicionum causa venisset, ac tumultibus exciperetur aduersis, & senatus solito diutiùs consedisset: magno cum clamore multitudo curiam circumstetit, missum fieri Cęsarem postulans. Itaque Cato seditionem pauperum præsertim (hi enim Cæsare fieri totam multitudinem incendebant) metuens, senatui persuasit, vt menstruum in plebem frumentum diuideretur: qua ex re cęteris sumptibus accessit trecenties sestertiũm in sin-
7 gulos annos. Id quidem factum magnum in præsentia terrorem auertit haud dubiè, maximamq; Cæsaris copiarum partem auellit ac dissipauit, cùm is ob præturam, quam tum idoneo sibi tempore erat gesturus, terribilior videretur. Sed neque vllum ea tumultum præbuit, & Cæsaris domus aduersa fortuna læsa est. P. erat Clodius patricio genere natus, opibusq; & facundia clarus, libidine autem, audacia, & impudicitia nemini nequissimo secundus. Is Pompeiam Cæsaris vxorem deperibat, cui ne ipsi quidem volũtas deerat: sed & gynæceum accuratè custodiebatur, & Aurelia Cæsaris mater, honesta matrona, nurum vbiq; comitans, congressui eorum obstabat. Colitur Romę dea, quam Bonam appellant, vt Græci Muliebrem. Hanc Phryges Midæ regis matrem fuisse putant, Romani Nympham Dryadem; Fauni vxorem, Græci de nutricibus Bacchi vnam eam scilicet quã nominari nefas est: itaque apud hos cùm sacra ei fiunt, vitium palmitibus scenæ tectæ gestantur: & secundum fabulam draco sacer apud Deam collocatur. Cùm ea sacra peraguntur, virum accedere, aut iisdem in ædibus esse nefas ducitur: ipsę inter se mulieres multa cum Orphicis cõuenientia obire feruntur. Eorum Orgiorum tempus & celebrandi munus cùm ad consulem vel prætorem deuenit, ipse, & omne quod est masculum, ædibus egrediuntur: vxor domum exornat & pleraque noctu fiunt iocis ad nocturna sacra admixtis, musicaque multa adhibita. Eatum

*Clodij flagitium.*

sacra

sacra Pōpeia administrante, Clodius imberbis adhuc, eoq; se latére posse sperans, habitu psaltriæ, specie mulieris iuuenis ad ædes venit, cumque fores apertas offendisset, ab ancilla rei conscia tutò introducitur. Hæc dū ad Pompeiam accurrit rei indicandæ causa, & mora fit, Clodius manere vbi relictus erat non sustinens, magna in domo hinc inde oberrat, lucem fugiens. In eum Aureliæ pedisequa incidit, & mulierem rata, ad colludendum inuitat, detrectantemq; in medium protrahit, & quis ac vnde esset percontatur: cumq; is se Pompeii ancillam Abram nomine quærere diceret, & virū se esse voce proderet, subitò magna cum vociferatione ad lumina & turbam se proripit, virum se in ædibus deprehendisse clamans. Perterritis mulieribus Aurelia orgiis deæ sublatis, fores occludi iussit, domumq; facibus prælucentibus perlustrauit, Clodium quærens: isque inuentus est in conclaui ancillæ, quæ eum domum adduxerat, quò confugerat, agnitusq; à mulieribus domo eiicitur. Ea adhuc nocte matronæ domum digressę maritis rem aperuerūt, interdiuque rūmor per vrbē dispersus est, Clodium infanda conatū nō iis modò ad quos priuatim ea iniuria pertineret, sed ciuitati etiam, diisque pœnas debere. Itaque ei quidam tribunorum plebis diem violatæ religionis dixit, factaq; est contra Clodium coitio potentissimorum senatorum, qui ei cùm alia horrenda flagitia, tum incestum cum sorore Lucullo nupta obiicerent. Huic eorum conatui populus se opponēs, Clodio auxilia batur, quod ei plurimum profuit, quia iudices multitudinem formidabant. Cæsar cum vxore statim diuortium fecit. Testimonium verò iussus dicere, nihil se eorum quæ Clodio obiicerentur cognitum habere, respondit: quòd cum incredibile videretur, accusator quæsiuit ex eo, cur ergo vxorem dimisisset: tum Cęsar, siue ex animi sentētia, siue vt populo gratificaretur, Clodium incolumem cupienti, respondit, Quia suam vxorem etiam suspicione vacare vellet. Absolutus quidem est Clodius, cùm pleriq; iudices, (ne si condemnassent, in periculo versarentur apud plebē: sin absoluissent, in infamia apud optimates essent) cōfusas tuliſſent ambiguasq; sentētias. Cæsar ex prætura in Hispaniā abiturus, cùm fœneratores debitum exigētes molestęq; vrgētes placare non posset, ad Crassum confugit, Romanorum di-

tissimum, & qui vigore ac vehementia Cæsaris indigeret ob dissensionē cum Pompeio: Crasso apud creditores, qui maximè instabāt, D C C C X X X. talēta intercedēte, in prouinciam suam abiit. Narrant eum, cum Alpes iam transisset, & præter oppidulum quoddam barbaricum iter faceret pau- 5 cis & miseris habitatum hominibus: amicis per iocum ex ipso quærentibus, an & hîc de magistratibus essent contentiones, ac de principatu certamina, & potentium æmulationes, seriò respondisse, Malle se hic primum, quàm Romæ secundum esse. Rursus cùm in Hispania per ocium res 10 Alexandri gestas legeret, diu cogitabūdum, ad extremum illacrymasse, & amicis causam quærentibus dixisse, An non dolendum vobis videtur, me cùm id ætatis sim, qua Alexander tot nationibus imperauit: nihil dum memoratu dignum gessisse: simul atque autem Hispaniam attigit, eam 15 industriam adhibuit, vt paucis diebus cohortibus viginti suis decem alias adiecerit: factaq; in Callaicos & Lusitanos expeditione, populos qui Romanis hactenus non paruerāt subigendo vsque ad Oceanum perrexerit. Rebus bellicis bene compositis, ciuiles eadem felicitate constituit, ci- 20 uitates ad concordiam reducens, & maximè rixas inter debitores & creditores tollens, lege posita, vt de reditibus debitoris bessem creditor quotannis acciperet, dum ipsi satisfactum esset, reliquo debitor frueretur. Parta his factis gloria ex prouincia discessit, ditatus ipse, & à militibus 25 qui eo duce rem & ipsi fecerant imperator dictus. Quia autem triumphū petentes extra Vrbem manere, consulatum ambire præsentes oportebat: ea legum diuersitate implicatus, cùm ad vrbem comitiis consularibus instantibus accessisset, misit ad senatum petitum, vt sibi absenti petere 30 consulatum per amicos concederetur. Cato primùm lege ad postulatum id opuggnādum annixus cùm videret multos Cæsari deditos, rem mora iniecta impediit, totumque diem dicendo absumpsit. Itaq; Cęsar statuit omisso triumpho, cōsulatum persequi. Vt primùm in Vrbem venit, cal- 35 lidè eam rem confecit, qua vniuersos homines, solo excepto Catone, decepit: Pompeium enim & Crassum ex graui discordia in gratiam mutuò restituit, qui duo facilè totius ciuitatis erant potentissimi: eorumque potentiam in vnum conflatam ad se transferens, per humano titulo tenus facto

*Principatus cupiditas.*

rempu-

rempublicam nemine animaduertente peruertit. Nõ enim
Cæsaris & Pompeij dissidium (quod plerique putant) ciuilium bellorum causa fuit, sed amicitia verius eorum, quam initiò ad euertendum optimatium in ciuitate principatum initam deinde discesserunt. Cato autem sæpenumero quæ
futura essent vaticinans, eum fructum tulit, vt tum morosus & curiosus homo, pòst prudentior quàm felicior consultor haberetur. Cæsar Crassi Pompeijque amicitia stipatus, consulatum petijt, eumque splendidè impetrauit, Calpurnio Bibulo collega. Vt primùm verò magistratum inijt, illicò leges de agris diuidendis in gratiam multitudinis tulit, quę non consulem, sed petulantissimum aliquem tribunum plebis decerent. In senatu autem optimatibus repugnantibus, arrepta quam dudum quærebat occasione, magna voce obtestatus inuitum se & vi coactum ad populum confugere, eique se committere iniurijs & violentia senatus compulsum, ex Curia se in forum proripuit: & à lateribus suis hinc Pompeium, inde Crassum collocans, quæsiuit
ex ijs, ecquid leges has probarent: affirmanteque vtroque, hortatus est vt ijs opitularentur, qui gladijs se contrà acturos minarentur. Promisit hoc vterque, addiditque Pompeius, se contra gladios istos cum ense, & scuto etiam venturum, quod dictum pergratum populo, optimates offendit, insano scilicet adolescenti potiùs conueniens, quà tanto viro existimationis, & à verecundia senatui debita alienissimum. At Cæsar, quo magis potentiam Pompeij suam faceret, Iuliam filiam suam, Seruilio Cæpioni desponsatam Pompeio nuptum dedit, promissa huic Pompeij filia, quæ & ipsa Fausto Syllæ F. pacta erat. Neque multo pòst ipse Calpurniam Pisonis filiam duxit, eique consulatum in sequentem annum confecit: maximè tum Catone vociferante, & testante ferendos non esse, qui nuptijs principatum prostituant, & mulierum causa prouincias copiasq; mutuò sibi tradant. Collega Cæsaris Bibulus, cum resistendo eius legibus nihil proficeret, sed sæpe cum Catone in foro de vita periclitatus esset, domi inclusus reliquum consulatus tempus exegit. Pompeius nuptijs peractis statim armatis forum oppleuit, & in perferendis legibus populum adiuuit: Cęsari Gallia omnis cis & trans Alpes, Illyricumq; decretum cum quatuor legionibus in quinquẽnium. Catonem his ausum

*Consulatus Cæsaris.*

*Nuptiæ.*

contradicere, Cæsar in carcerem abripuit, existimans eum
« tribunos plebis appellaturum: sed cùm eum tacitum ire,
& non modò optimatibus id dolere factum, sed plebem et-
iam verecundia virtutis Catonis mœstam videret silentem-
que sequi, ipse clàm vnũ de tribunis exorauit, vt Catonem
eriperet. De reliquis senatoribus perpauci in Curiam exinde
ventitabant, cæteri indignitate eorum quæ fiebant moti
publico abstinebant. Cuius rei cùm causam Considius qui-
dam admodum senex redderet, armorum & militum metu
» fieri, vt non conueniretur dicens, Quid ergo, inquit Cæsar,
» non tu quoque domi te contines, eadem timens? Et Consi-
» dius: Metu me senectus liberat: quod enim reliquum est vi-
» tę, exiguum cùm sit, non magna cura indiget. Omnium au-
tem factorum id turpissimum videtur, quod Cæsare cõsule
« Clodius ille tribunus plebis est factus, qui coniugium Cæ-
saris, & arcana sacra polluerat. Ad eum autem magistratum
promotus est, vt Ciceronem euerteret: neque priùs Cæsar
ad exercitum abijt, quàm opera Clodij Ciceronem Italia
*Gloria re-* expulisset. Talia eius ante Gallicum bellum facta fuerunt.
*rũ gestarũ.* Id autem tempus, quo bellis Galliam domuit, quasi nouum
vitæ eius, rerumque initium efficit. Neque verò quisquam
est summorum & maximè apud omnes in admiratione ha-
bitorum ducum, cui non parem imperatorijs & militari-
bus laudibus id eum tempus demonstrauerit. Nam siue Fa-
bios, Scipiones, Metellos, siue qui æquales eius, aut ætate
paulo superiores fuerunt, Syllam, Marium, vtrumque Lu-
cullum, ipsumque adeò, cuius ad cœlum vsque omnigena-
rum bellicarum virtutum gloria se efferebat, Pompeium
conferas: rebus eorum gestis facta Cæsaris palmam præri-
piunt. Alio enim maiorẽ laudem consecutus est ob iniqui-
tatẽ locorum in quibus bellũ gessit, alio ob magnitudinem
regionis, quã in potestatem redegit, alio ob multitudinem
deuictorum hostium & robur, alio ob perfidiam & barba-
riem gentium subactarum, alio ob clementiam qua aduer-
sus domitos vsus est, alio ob liberalitatem in commilitones:
omnibus verò, ob multitudinẽ depugnatorum prœliorum,
« occisorumque hostium. Non toto enim decennio in Gallia
« belligeratus, vrbes octingentis plures cepit, populos tre-
« centos subegit, cùm ter millies millibus hostium cõgressus
diuersis prœlijs, trientem eius summæ interfecit, reliquum

viuos

uios in potestatem redegit. Tanta verò beneuolentia erga eum, tantũ fuit studium, vt qui alioquin in bello nihil reliquis præstarẽt, ij pro Cæsaris gloria inuicti quoduis periculum adirent. Qualis fuit (exempli causa) Acilius, qui cum Massilienſi naumachia in hostilẽ nauim euasisset, dextera ei gladio amputata, sinistra manu clypeum tenuit, eoq; facies hostium feriens, vniuersos repulit, nauiq; ipse potitus est. Et Cassius Sequa, qui in pugna ad Dyrrhacchium oculũ sagitta, humerũ, itemq; femur pilo confixus, exceptis scuto centum & triginta telorum ictibus, hostes vocauit, veluti se deditur⁹: accedentibusq; duobus, alterius brachium gladio abscidit, alterũ in faciem percussum auertit, & ipse suorum auxilio saluus euasit. In Britannia cùm primos centuriones in palustrem & aqua repletum locum ingressos adorirentur hostes: quidam Cæsarianus miles, ipso Cæsare pugnam spectante, per medios se proripuit: cumque præclara fortitudinis facinora edidisset, fugientibus barbaris, ægrè ipse euadens, in lacum sese coniecit, & summa cum difficultate natãdo partim, partim gradiendo eum amisso scuto transijt. Admirantibus eum suis, & magno cum gaudio clamoreque obuiam prodeuntibus, ipse tristis admodum & lacrymans Cæsari supplicauit, vt sibi veniam scuti amissi daret. In Africa Scipio nauim Cæsaris cepit, inque ea quæstorem Granium Petronem: is cùm hostes reliquis inter se diuisis, eum se salute donare dicerent, Cæsaris milites non accipere, sed dare salutem consueuisse inquiens, seipsum gladio transegit. Huiusmodi autem spiritus militum, & animi ardores Cæsar ipse excitauit atque aluit: primùm honoribus & donis largiendis, ostendens non se sui luxus aut voluptatum causa bello diuitias parare: sed eas opes tanquam communia virtutis præmia apud se recondi, ac tantũ diuitem ipsum in hoc esse, vt militibus pro meritis dare præmia possit. Deinde quòd omnibus vltrò periculis se obijciebat, & nulli labori succumbebat. Et quidem eius in periculis adeundis audaciam eo minùs admirabantur, quod proficisci ab incredibili gloriæ cupiditate existimarent: laborum tolerantia, quos præter vires corporis sustinebat, stupefaciebat. Nam & corporis habitu tenui fuit, & alba molliq; carne, & capite morboso, & comitiali morbo obnoxius: quod ei malum Cordubę primùm accidisse dicitur.

*Militum eius virtus.*

Verùm

« Verùm inualetudinem Cæsar nõ molliciei ansam arripuit,
sed expeditionibus, difficilimis itineribus, tenuitate victus,
sub dio agendo, morbum depellere, & corpus sanum tueri
« studebat. Plerumque in curru aut lectica dormiebat, simul-
que prouehebatur, vt ne somnus quidem ociosus esset. In-
« terdiu vehebatur circum castella, vrbes, & castra, vno assi-
dente puero, qui dictata ab ipso exciperet scribendo, vnoq;
à tergo milite cum gladio adstante. Adeò autem magna itu-
nera faciebat, vt primam Roma expeditionem faciens, o-
« ctauis castris ad Rhodanum peruenerit. Equitare ab incun-
te ætate didicerat, ac se adsuefecerat, vt retrò abductis ma-
nibus & tergo applicatis summo impetu equum citaret. Ea
8 verò expeditione exercuit se præterea, vt inter equitandum
« epistolas dictaret, idq; duobus, & (vt Oppius ait) etiam plu-
ribus diuersas. Ferunt id quoq; primum omnium Cæsarem
excogitasse, vt per literas cum amicis colloqueretur: quòd
coram eadẽ agere & vrbis magnitudo, & negociorum mul-
*Frugalitas.* titudo non pateretur. Quàm tenui victu vsus fuerit, argu-
mento est, quòd Mediolani apud hospitem suum Valerium
Leonem cœnans, cùm is asparagum apposuisset, & pro oleo
recenti conditum instillasset, ipse nihil moratus comedit,
amicosque indignantes increpuit, Satis erat (inquiens) non
« vesci ijs quæ displicerent: inciuilis verò hominis est, tantam
rusticitatem arguere. In itinere aliquando vi tempestatis in
« tugurium pauperis cuiusdam compulsus, cùm nihil repe-
risset præter vnum cubiculum vix vni recipiendo sufficiens,
« ad amicos dixit, Honestiora optimis, necessaria infirmissi-
mis concedenda; idque cubiculum Oppio ad quietem con-
cessit, ipse cum reliquis in vestibulo ostij dormiuit. Enim-
uerò, vt redeamus eo vnde egressi sumus, primum bellum
*Bellũ Heluetiscum.* Gallicum ei contra Heluetios fuit & Tigurinos, qui cùm
suas vrbes numero duodecim, ac vicos quadringentos com
bussissent, per Galliam Romanis subditam procedebant,
quemadmodum olim Cimbri ac Teutones, quibus neque
audacia inferiores videbantur, & c c c. hominum millia e-
rant, atq; ex his x i x. millia ad pugnam apti. Tigurinos La-
bienus Cæsaris legatus apud Aratim flumen concidit. Hel-
uetij autem Cæsarem, cùm is ad sociam quandam vrbẽ ex-
ercitum adduceret, inopinatò sunt in itinere adorti. occu-
pauit tamen in locum quendam natura munitum cum suis

euadere.

euadere. Ibi cùm colligeret & instrueret copias, & equus ei adduceretur, Hoc, inquit, vtar ad insequendum victos hostes, nunc in eos eamus: simulque pedes irruit. Difficulter, & serò pulsis hostibus, plurimum laboris apud carros & castra eorum sustinuit, cùm non viri solùm ibi, sed mulieres etiam & pueri vsque ad mortem se defenderent, atque conciderentur: ita vt mediante demum nocte finis pugnandi fuerit. Insigni victoriæ pulcrius adiecit facinus, quòd barbaros à pugna superstites vltra c. millia hominum, coegit regionem quam reliquerant, repetere, vrbesque à se crematas iterum colere. id autē eo consilio fecit, ne Germani eam regionem habitatoribus vacuam inuaderent. Secundum bellum palàm pro Gallis, contra Germanos gessit: tametsi eorum regem Ariouistum Romæ priùs socium P.R. appellauisset. Erant autem intolerabiles Romanorum subditis vicini Germani, & capto tempore videbantur non contenti statu suarum rerum præsenti latiùs grassaturi, Galliamque inuasuri. Videns autem Cęsar duces suos formidine captos, præsertim verò qui nobiles iuuenes ipsum secuti erant, luxum scilicet & diuitias in castris Cæsaris consecuturi: aduocata concione, abire eos, neq; inuitos periculo se committere iussit, qui ita effœminati essent: se cum decima legione in hostes iturum, quòd neque hostes Cimbris fortiores, neque se Mario deteriorem imperatorē duceret. Eam ob rem decima legio missis legatis gratias Cæsari egit: reliquæ suis obtrectantes ducibus, repletæque alacritate vnà multorum dierū iter Cæsarem secutæ sunt, donec ad vigesimum quintum ab hoste milliare peruenerunt, ac castramerati sunt. Audaciam Ariouisti ipse aduentus Cæsaris nonnihil fregit: mirabatur enim Cæsaris confidentiam, qui ducere aduersus Germanos (quibus ipse aduentantibus fugam facturos Romanos sperauerat) exercitum non veritus fuisset, inque suis castris trepidari sentiebat. Auxerunt terrorem vaticinia mulierum sacrarum, quæ in vortices fluminum inspicientes, ex strepitu q; & fluctuatione amnium futura præsagientes, pugnare eos ante nouam Lunam vetabant. Quæ vt sunt ad Cęsarem renunciata, Germanos quiescere videns, statuit potiùs adoriri eos pugnam ita formidantes, quàm ocioſus desidere, dum tempus ijs commodum appeteret. Itaq; munitiones eorum & colles quos insederant inuasit, iritatosq; vt de-

*Cōtra Germanos.*

vt descenderent ad pugnam permouit: fuditque eos, & ad Rhenum vsq; per c c c. stadia insecutus, cadaueribus & spolijs omnem planiciem repleuit, Arioui sto cum paucis elapso, & Rhenū transuecto. Cæsa perhibent LXXX hominum millia. Inde exercitu in Sequanis in hybernis relicto, vtrebus vrbanis intendere animum posset, in Galliam Pado vicinam profectus est, quæ & ipsa ad eius prouinciam pertinebat: Rubicone enim amne Italia à Gallia cisalpina diuiditur. Ibi cū ageret, multitudinis ad se confluentis animos largiendo quæ petebantur, aut spem eius consequendi fa-
« ciendo, neminemq; a se cum repulsa dimittēdo, sibi deuinxit. Reliquo etiam belli tempore, nō animaduertente Pompeio alternis, modò ciuium armis hostes, modo pecunijs ab hoste captis ciues in potestatem suam redegit. Posteaquam
*Belgicum & Neruicum.* verò renunciatum est Belgas Gallorū potentissimos, & qui tertiam totius Galliæ partem tenerent, contractis multis hominum armatorum millibus, bellum moliri, magna aduersus eos celeritate contendit, populantesq; Romanis societate coniunctam Galliam adortus, cōferto agmine turpiter pugnantes fudit: tantaque affecit strage, vt obcaduerum multitudinem Romanis transitus per paludes altosque fluuios daretur. Ex his qui rebellauerant, ad Oceanum accolentes omnes, ne tentato quidem prœlio, deditionem fecerunt. Inde in Neruios Cæsar duxit omnium Gallorum ferocissimos atque bellicosissimos. Hi cum densissimas syluas incolerent, medio cuiusdam syluæ & penetrali recessu liberis suis atq; facultatibus repositis sexaginta millium multitudine Cæsarem castra facientem, neque tum pugnam
« expectantem subitò inuaserunt, & fuso equitatu duodecimam septimamque legionem circumdederunt, centuriones que omnes interfecerunt: quòd nisi Cæsar ipse arrepto scuto per suos in primam aciem processisset, impetumque in barbaros dedisset, eoque in tali periculo constituto, duodecima legio à tumulis decurrisset, ordinesq; hostium dissipasset, nemo videtur ea die Romanus euasurus cædem fuisse. Nunc Cæsaris audacia incitati, suprà vires (vt dicitur) pugnantes, Neruios non pulere quidem, sed resistentes propè occidione occiderunt: quippe de sexaginta millibus vix quingenti, de quadringentis senatoribus tres cladi superfuerunt. Hæc cum senatui essent renunciata,

quin-

quindecim dierum (quod pro nulla antè vnquam factum fuit victoria) decreta est supplicatio: nam & periculi magnitudinem tot populorum simul facta rebellio ostendebat, & victoriæ splendorem beneuolentia erga Cæsarem augebat. Ipse verò Gallicis rebus compositis, rursus circa Padum hyemabat, ac rebus vrbanis operam dabat. Non enim ij modò qui magistratus petebant, ipso suppeditante pecunia populum corrumpebant, & dignitates quas vellent consecuti, omnia quæ ad potentiam Cæsaris conducerent augendam agebant: sed & ad eum plerique illustrissimorum amplissimorumq; virorum Lucam conuenerunt, Pompeius, Crassus, Appius Sardiniæ præfectus, Nepos Hispaniæ proconsul. ita vt lictores ibi tum CXX senatorij viri ducentis plures fuerint. Inter eos ita conclusum est, vt Pompeius ac Crassus consules constituerentur, Cæsari prouincia in aliud quinquenniũ, & pecunia ex ærario decerneretur. Quod quidem nemini cordato non est visum absurdissimum, eos qui tantum à Cæsare pecuniæ accepissent, senatui decernendæ ei tanquam indigenti pecuniæ autores esse, aut inuito potiùs gementiq; id extorquere decretum. Cato tum aberat, quem isti de industria in Cyprum amandauerãt. Fauonius autem, qui erat Catonis imitator, cùm in senatu diu frustra reclamasset, è curia se proripuit, & apud multitudinem magnis clamoribus questus est: cùm quidẽ nemo dicta eius curaret, alijs Pompeium & Crassum verentibus, alijs Cæsari, in quo ipsis erant omnia, cupientibus. Cæsar postquam in Galliam ad copias redijt, magnum ijs in regionibus bellũ offendit, quòd duo magni Germaniæ populi, Vsipetes & Tenchteri Rhenum habitationis quærendæ causa transijssent. De pugna cum his facta ipse in commentarijs scribit, eos cùm missis legatis inducias petijssent, in itinere ex improuiso equitatum ipsius (erant autem quinque millia Cæsarianorum equitum) octingentis equitibus adortos in fugam vertisse: misisse deinde iterum fallendi causa legatos, quos ipse detinuerit, & exercitum in hostem duxerit, stoliditatem ratus fidem erga homines ita infidos ac periuros. Canusius quidem scribit, cùm senatus victoriæ eius causa supplicationem decerneret, Catonem sentẽtiam tulisse, dedendum esse barbaris Cæsarem, expiandamque vrbis nomine violationem fœderum, vertendasque in sontem execrationes. 9

Cæsa

Cæsa autem fuerunt Germanorum cccc. millia: eos qui iterum traiecere, Sicambri exceperunt, Germanica gens. Hanc nactus ansam Cæsar, qui alioquin gloriæ studiosus primus cum exercitu Rhenum transijsse dici cuperet, ponte Rhenum instrauit, quo maximè loco is & latus admodum est, & rapidus turgidusq;, ita vt trunci ac ligna secundo amne deuecta pontis fulcra vehementer concuterent. Contra hoc Cæsar sublicas ligneas validas & robustas obiecit, flumini impactas, quibus vis vndarum frangeretur: pontemque decem omnino diebus absoluit, opus fide superius. Traductis eà copijs, cũ nemo occurrere auderet, sed Sueui etiam, quorum prima est inter Germanos laus, intra densas ac syluis obsitas conualles se recepissent: cùm duodeuiginti dies in Germania hostium regionem incendijs vastando, sociosque Romanorum confirmando exegisset, in Galliam redijt. Nobilis etiam conatus Britannicæ expeditionis est. Primus enim cũ classe occiduum Oceanum intrauit, ac per Atlanticum mare copias ad bellum vexit, & insulam incredibilis magnitudinis, ac quæ permultis scriptoribus contendendi materiam præbuit, cùm quidam nihil nisi nomen esse eam putarent, occupare aggressus, Romanum imperium extra orbem terrarum propagauit. Bis ex opposita Gallia in eam insulã traiecit: cumq; multis prælijs maiora Britannis damna, quã suis commoda attulisset (nihil enim ferè erat, quod hominibus inopem & laboriosam vitam tolerantibus eriperet) non quali statuerat exitu bellum finijt: sed acceptis à rege obsidibus, & stipendio imperato, ex insula discessit. In Galliam reuersus, literas accepit, quas nuncij fuerant ad ipsum in Britanniam delaturi: his amici eum certiorem de obitu Iuliæ filiæ Pompeio nuptæ faciebant, quæ in partu perierat. Magnum is casus Cæsari, magnum Pompeio dolorem attulit: amici autem perturbabantur, existimantes vinculum, quod laborantem cęteroqui remp. in pace & concordiæ continebat, morte Iuliæ ruptum. nam & infans paucis post matrem diebus obijt. Iuliam quidem inuitis tribunis populus in campum Martium detulit, ibiq; sepelijt. Cùm verò Cæsar copias suas, magnas iam factas, in hyberna multa diuisisset, atque ipse more suo in Italiam abijsset, omnia illicò Gallica bella recruduerunt: & Galli magnis cum exercitibus circumeuntes excindebant hyberna, oppu-

*Iuliæ mors.*

*Gallorum defectio.*

oppugnabantque castra Romanorum. Maxima & validissima pars rebellātium duce Ambiorige Cottam & Titurium cum ipso exercitu necauerūt, Ciceronis hyberna sexaginta hominum millibus obsederunt, ac tantùm nō expugnauerunt, Romanis omnibus consauciatis, & virtute magis quam viribus obsidionem sufferentibus. Cæsar acceptis harum rerum nuncijs, tametsi procul à suis abesset, statim tamen eò conuersus, septem millibus militum contractis ad eripiendum periculo Ciceronem properauit. Hostes eius aduentu cognito, & contempta paucitate, obuiam contendunt, tanquam sublimem cum suis arrepturi Cæsarem. At Cæsar callidè subterfugere, locum nactus qui paucis aduersum multos pugnaturis esset commodus, castra munire, suos prœlio abstinere, vallum altius extrui, & portas obstrui metu simulato iubere, ita se hostibus in contemptum adducere: donec eos palantes subitò adortus fudit, & magna clade affecit. Hoc factum plerasque Gallorum qui in Belgico sunt defectiones repressit: & ipse per hyemem circum oppida passim proficiscebatur, ac ne quid nouarū rerum existeret obseruabat. nam in locum amissorū militum tres ei legiones Roma missæ aduenerant, quarum duas de suis militibus ei Pompeius vtendas dedit, tertia ex Gallia togata recens collecta fuit. Interim in diuersa procul parte defectio, cuius iam pridem inter bellicosissimos & potentissimos homines iacta erant & alita semina, in maximū & periculosissimum erupit bellum, confirmata ingentibus hominum valida ad militiam ætate copijs, & armis vndique conductis, collatis in vnum maximis opibus ac diuitijs: ad hæc validæ vrbes, & regiones difficilibus munitæ accessibus, & tunc hyberno tempore congelati amnes, syluæ niuibus obtectæ, campi torrētibus stagnantibus perfusi, itinera partim ob niuis altitudinē incerta, partim ob paludes & amnes auersos perplexa videbātur Cæsarem impeditura, ne de rebellantibus pœnas sumere posset. Desciuerāt autem à fide Romanorum multi populi, quorum præcipui erant Aruerni & Carnutes: summa rerū ad Vercingentorigem delata erat, cuius patrem Galli affectatæ tyrannidis insimulatum occiderant. Is copijs in multas partes diuisis, & singulis partibus suis præfectis ducibus, ad defectionem vicinas omnes vsque ad Ararim regiones pertraxit, in animo habens

bens quòd iam tum Romæ coitio esset aduersus Cæsarem facta, vniuersam bello concitare Galliam. Et quidem si hoc paulo pòst molitus fuisset, Cæsare bello iam ciuili implicato, haud leuiores vtique Cimbricis terrores Romam inua-
« sissent. Nunc qui omnibus rebus ad bellum præclarè, tempore autem omnium optimè nosset vti Cęsar, simul atque rem comperit, eadem qua venerat via profectus, celeritate ipsa itineris & impetu ostendit barbaris, inuictum se aduersum eos adducere exercitum. Quò enim missum ab eo nuncium aut tabellarium peruenire multo etiam tempore posse nemo credidisset, ibi ipse statim cum toto est conspectus exercitu, agros hostium vastans, munitiones excindens, vrbes subigens, eos qui factum mutarent in fidem recipiens: donec ab Heduis etiam est rebellatum. Hi cum se reliquo tempore fratres Romanorum appellassent, essentque ab ijs præcipuos honores consecuti, tum se adiunxerunt rebellibus, multasq; Cæsaris exercitui molestias exhibuerunt. Itaque Cęsar inde motis castris per Lingones in Sequanos contendit socios, & quorum regio omnium Gallicarum prima aditur ab Italia proficiscentibus. In itinere eum hostes adorti sunt, multisq; hominum millibus circumfusis pugnare coegerunt. Quos ille partim prœlio vicit, partim diuturno terrore compressit: tametsi initio videtur incommodum accepisse. Ostendũt enim Aruerni pugionem in templo suspensum, spolium Cæsaris: quẽ ipse Cæsar postea cũ vidisset, subrisit, amicosque tollere volentes prohibuit, sacrum esse dicens. Enimuerò eorum qui cladem effugissent, maior pars cum rege Alexiam confugerunt, vrbem & murorũ magnitudine, & tum defensorum multitudine propè inexpugnabilem. Quam cùm Cæsar in obsidione haberet, periculum ei tantum, quantum verbis exprimi nõ potest, obtigit. Robur enim totius Galliæ, hominum armatorum CCC. millia ad Alexiam venerunt, cùm in vbe essent CLXX. millia: ita vt Cæsar vtrinque graui bello detentus, duos castris muros sit coactus circumdare, vnum aduersus vrbem, alterum contra eos qui recens aduenerant. actum enim de se fore intelligebat, si inter se copias coniungere hostibus licuisset. Multis itaq; nominibus celebre ad Alexiam bellum Cæsaris fuit, quòd obscurum non erat, nullo vnquam alio bello insigniora audaciæ ac peritiæ opera edita esse. Id verò maxi-

*Heduorũ defectio.*

*Alexiæ obsidio.*

maximam admirationem meruit, quòd Cæsar nõ animad-
uertentibus qui in vrbe erant hostibus, cũ altera parte con-
flixit, victorq; discessit: idque adeò magis, quòd Romanos
etiam, qui murum vrbi obiectum custodiebãt, fefellit. Non
enim priùs de victoria cognouerunt, quàm virorum & mu-
lierum ab Alexia eiulatum & planctum exaudiuerunt, qui
nimirũ viderent ab altera parte multa auro argentoq; or-
nata scuta, multos sanguine conspersos thoraces, multa po
cula, multa tẽtoria Gallica à Romanis in castra referri. Tan-
ta celeritate magnæ istæ copiæ vmbræ instar aut insomnij
dilapsæ euanuerunt, plerisque in pugna occisis. Quin verò
Alexiæ obsidebantur, cùm & se & Cæsarem diu multum que
torsissent, in deditionem tandem venerunt: totius autẽ bel-
li dux Vercingentorix armis indutus pulcerrimis, equo or-
nato portis exijt: cumq; ter in orbẽ circa Cæsarem, vt tum
sedebat, equitasset, equo desiluit, proiectisque armis ad pe-
des Cęsaris accessit, atq; ibi quietus assedit, donec ad trium-
phum in custodia asseruari iussus est. Enimuerò iampridem
Pompeium euertere Cæsar animum induxerat, sicut & hunc Pompeius. Crasso enim, quem victor aduersarium
fuisset habiturus, in Parthis occiso, relinquebatur Cæsari
vt maximus fieret, eum qui maximus erat Pompeium deij-
ciendi, Pompeio hunc, ne id sibi accideret, naturè oppri-
mendi consilium capere. Et Pompeius quidem nuper sibi à
Cæsare timere cœperat, quem hactenus neglexerat, existi-
mans se quem euexisset, haud difficulter deiecturum. At
Cæsar qui multo antè hoc apud animum suum proposuis-
set, longè se subduxerat, vt se pugilis instar contra aduersa-
rium pararet: bellisque Gallicis & se & copias exercuerat,
ac gloria factorum rerum gestarum Pompeij famam æqua-
uerat. Occasiones autẽ propositi sui exequendi partim Pom
peius ipsi, partim temporũ vitia, corruptaq; Romæ reip. ra-
tio suppeditabant. Quippe qui magistratus ambiebant, po-
sita in medio mensa impudenter populũ epulis corrumpe-
bant: isq; addictis suffragijs in Campum descendebat, non
votis pro largiore, sed sagittis, gladijs & fundis certaturus.
ita vt sæpe sanguine & cædibus polluto tribunali discessum
sit, vrbe, tanquam naui quæ gubernatoris orba vi tempe-
statis defertur, fluctuante, magistratibusque carente: ad-
eò quidem vt cordati homines bene actum fore cum repu.

*Occasiões belli ciuilis.*

existimarent, si ad nihil eam deterius vaesania tanta atque procella, quàm ad vnius alicuius dominationē redigerent. Quin & inuēti iam sunt, qui nisi vnius imperio sanari remp. posse negare auderent in publico, idq; remedium adhibendum esse a medico leniſſimo, eiq; obtemperandum: Pompeium scilicet indicantes. Pompeius autem se id recusare simulans, re ipsa hoc vnum summo studio agebat, vt dictatorē se dici efficeret: id quod Cato intelligens, senatui persuasit vti eum solum consulem crearet, vt legitimo vtcunq; magistratu delinitus, contentionem dictaturę adipiscendæ abijceret. Quin & prouincijs eius tempus certū definitum est: obtinebat autem duas Hispanias, & Africam vniuersam, quas missis legatis administrabat, ex ærario quotannis acceptis mille talentis exercitus alebat. Interim Cæsar per nuncios consulatum, & prouinciarum prorogationem petit. Ibi primùm tacente Pompeio Marcellus & Lentulus odio Cæsaris, petitionem eius impugnauerunt, necessarijs dictis multa superuacanea addentes, quæ ad contumeliam eius, iniuriamque pertinerent. Nam & Nouocomensibus, quam coloniam nuper in Galliam Cæsar deduxerat, ius ciuitatis ademerūt: & Marcellus consul vnū senatorum eius loci Romam profectum virgis cædi iussit, addēs se eum ita insignijsse, vt cognosceret se Romanum non esse: abiret, ac Cæsari ostenderet. Cæsar post Marcelli hoc factum Gallicas diuitias vbertim hauriendas ijs qui in republica versarentur dedit: Curionem graui ære alieno liberauit, qui tum tribunus plebis erat: Paulo consuli H S. trecenties sexagies largitus est: ex qua pecunia is basilicam, nobile opus, foro adiecit, pro Fuluia extructum. Proinde Pompeius factionis Cæsarianę metu palàm ipse amicorum etiam adhibita opera egit, vti Cæsari successor mitteretur. misitq;, qui milites ab eo reposcerent, quos ad Gallicum bellum ei vtendos concesserat. Remisit eos Cæsar, viritim CCL. denarijs donatos. qui autem eos ad Pompeium reduxere, ij apud vulgus sparsis de Cæsare sinistris rumoribus ipsum Pompeium inani spe productum corruperunt: desiderari eum a Cæsaris exercitu dicentes, & qui ob inuidiam & vitia reipublicæ hic vix suum locum teneat, ei paratas ibi esse copias: & simul atque Italiam attigissent, in eius potestate futuras: adeò Cæsarem suis militibus ob continentes expeditiones inuisum,

*Iniuriæ in Cæsarem.*

*Eius largitiones.*

inuisum ,& metu tyrannidis suspectum esse. His inflatus Pompeius, curam exercitus parandi dimisit, Cæsaremque inanibus decretis & sententijs, quas ille nihili faceret, oppugnare satis habuit. Ferunt sanè quendam tribunum militum adstantem curiæ, cùm audiret senatum Cæsari tempus imperij non prorogare, capulo gladij manu pulsato dixisse, At hic dabit. Veruntamen Cæsaris petitio splendidum iusticiæ prætextum habebat. Postulabat enim, vt tam Pompeius, quã ipse ab armis discederent, & priuati à ciuibus aliquid muneris peterent: & ostendebat qui se armis spoliarẽt, Pompeio imperium confirmantes, eos alterũ tyrannidi sacculando, alteri tyrannidem parare. Has à Cæsare latas conditiones Curio apud populum proponens magno est acceptus applausu, & coronæ in eum tanquã athletam cõiectæ. Antonius etiam tribunus plebis epistolam Cæsaris eadẽ de re allatam apud populum inuitis consulibus recitauit. In senatu autem Scipio Pompeij socer sententiam tulit, vt Cæsar, nisi intra diem dictum ab armis discessisset, hostis iudicaretur. Consulibus verò quærentibus, Pompeiusne dimittere exercitum iuberetur, itemque an Cæsar: illud pauci admodum, hoc propè omnes censuerunt: cùm verò Antonius postularet, vti vterque imperio se abdicaret, ab vniuersis assensum est. Vi tamen Scipio obtinuit, ac Lentulus consul armis, non suffragijs, contra latronem opus esse vociferans, vt re infecta discederetur, & ob tumultum vestis mutaretur. Aliæ deinde Cæsaris allatæ sunt epistolæ, quibus moderatè, vt videbatur, petebat, vti citerior saltem Gallia & Illyricum sibi cum duabus legionibus concederetur vsque ad alterius consulatus petitionem. Cicero etiam tunc è Cilicia reuersus pacificationi studebat, & Pompeium eò vsque inflexerat, vt negatis militibus, cætera concederet: & eò rem inclinauerat, vt persuasi ab ipso Cæsaris amici nominatarum prouinciarum, & sex millium militum promissione contenti essent, idque iam Pompeius concederet. Verùm Lentulus consul, quiq; ab eius erant factione, obstiterunt: & ab his ignominiosè Antonius & Curio senatu exturbati sunt, Cæsari vltrò prætextum honestissimum præbentibus, & qui ad animos militum irritandos plurimũ conduceret. ostendebat enim eis viros insignes, & qui cum magistratu fuissent, seruili habitu (nam ita se Roma fugientes

*Postulata.*

metus causa composuerãt) rheda meritoria ad se profugisse. Habebat secum Cęsar haud plures trecentis equites, & legionariorum militum quinq; millia: reliquum exercitum trans Alpes relictũ missi erant qui adducerẽt. Videns autem initium rerum, quas aggrediebatur, in præsentia nõ magis multitudine militum opus habere, quam celeritate & terrore hostibus iniecto (facilius enim se eos improuiso impetu perterrefacturum, quam armis coacturum) milites iussit absque armis reliquis, solis gladijs succinctos, Ariminum occupare, magnam Gallię vrbem, & quantum eius fieri posset, à cædibus & tumultu abstinere, eosq; Hortensio ducendos tradidit. Ipse interdiu in conspectu omnium gladiatorum exercitia spectauit: paulùm ante vesperam curato corpore in triclinium ingressus, & haud diu apud hos, qui erant ad cœnam vocati, moratus, iam tenebris se intendentibus abijt, salutatis cæteris & suum reditum expectare iussis: paucis autem amicorum mandauerat, vti alia alij via se sequerentur. Ipse meritorio curru primùm alia via, deinde ea quę ad Ariminum tendit, vectus, ad Rubiconem fluuium peruenit, qui Italiam à Gallia cisalpina diuidit. Hic cum propiorem iam facinori, quod proposuerat grauissimum, ac præ magnitudine conatus sui veluti vertigine circumactũ, variæ graues q; cogitationes subierunt: itaque inhibito cursu substitit, diuq; tacitus secũ in vtranq; partem tem deliberauit, multa etiam cum amicis, inter quos fuit Asinius Pollio, commentatus, quantorum malorum omnibus hominibus istius fluuij transitus esset præbiturus initium, & quæ de eo iudicia posteritatis futura essent. Tandem animi feruore quodam, veluti cuentui se valere iussis rationibus committens, ac præfatus id, quod solent qui dubiæ se fortunæ & incertis periculis credunt, Iacta esto alea, transijt amnem: cursuq; deinde pergens, ante lucem Ariminum peruenit, idq; occupauit. Ferunt proxima, quã Rubiconẽ transijt, nocte obscœnum insomnium ei visum: nempe se cum matre sua corpus miscere. Occupato Arimino, belliq; iam tanquam latis plateis in omnes terras & maria aperto trasitu, ac confuso simul cum prouinciarum limitibus iure reipublicæ Romanæ: non iam, vt aliàs fieri solet, consternatione hominũ oborta viros & mulieres per Italiá discurrere vidisses, sed ipsas adeò vrbes certatim ac promiscuè fugere: Ro-

*Cæsaris impetus.*

re: Romam verò fuga circumiacentium vrbium, veluti fluuiorum illuuie oppletam, neq; cuiusquam iam dicto audiente esse, neq; oratione temperari posse, sed in tāto æstu atque procellis tantum non ipsam à seipsa subuerti. Cōtrarij enim affectus, & vehementes motus vbiq; locorum existebant: cū ne ij quidem, qui gaudio afficiebantur, quiescerēt, sed spe euentus ferocirent, & passim cum timentibus sibi ac dolentibus contenderent. At Pompeium attonitum alij aliter perturbare: hi, quòd euexisset contra se Cæsarem, ad ministrati malè imperij pœnas eum dare dicentes: illi culpantes, quòd æquas ferentem conditiones à Lentulo consumi lijs affici passus esset: Fauonius pede eum terrā percutere iubebat. Etenim elatiùs aliquando in senatu verba faciens, nihil eos de belli apparatu solicitos esse iusserat: se, vt primùm pede solum pulsasset, exercitibus Italiam impleturum. Et verò tunc Pompeio quàm Cæsari ampliores erant copiæ: sed nemo eum suis vti consilijs sinebat. Itaq; victus multitudine falsorum rumorum atq; terrorum, tanquam omnibus iam ab hoste occupatis, eoque iam imminente, abreptus communi hominum impetu, tumultū esse decernit, & vrbe excedit, iusso sequi senatu, & omnib. qui patriam & libertatem tyrannide antiquiorem haberent. Consules ne ijs quidem sacris, quæ ante exitum fieri leges iubent, peractis fugerunt: fugerūt & senatorum pleriq; obiter de suis, tanquam aliena si essent, quædam abripientes secum. Fuerunt etiam, qui cùm antè Cæsaris partes secuti essent, tamen tunc stupore excussi consilijs vnà procella fugæ eius nulla sua necessitate, abriperentur. Miserrimum verò fuit spectaculum vrbis, cū ea veluti nauis ingenti ingruente tempestate, rectoribus iam desperantibus, ad quem cunq; fortuna obtulisset locum, eiectum iri videretur. Nihilominus, etsi ea migratio esset miserrima, fugam tamen Romani ob Pompeium pro patria habuerunt, & Romam, tanquam Cæsaris castra, reliquerunt. quando Labienus etiam, præcipuus inter amicos Cæsaris, quiq; eius bellis Gallicis legatus fuisset, & in omnib. rebus promptissimam ei nauasset operam, ab eo ad Pompeium perfugit. Huic quidem Cæsar pecuniam & impedimenta eius transmisit. Domitius triginta cum cohortibus Corfinium obtinebat. is cum admoto exercitu Cæsar eum obsedisset, rebus suis desperatis à me-

*Trepidatio Pompeij & fuga.*

dico venenum popoſcit, idque vt moriturus bibit. Statim verò audito Cæſarem mira humanitate captos hoſtes proſequi, deplorauit ſuam ſortem, & cõſilij celeritatem: cumq; eum medicus bono eſſe animo iuſſiſſet, & ſomniferum, non lethale bibiſſe venenum oſtendiſſet, incredibili gaudio affectus ſurrexit, & Cæſarem adijt: ab eoq; benigne acceptus, iterum ad Pompeium profugit. Hæc Romam renunciata, hominum animos deliniuere, ita vt multi ſe à fuga in Vrbem reciperent. Cæſar Domitianis militibus, & quoſcunq; alios per oppida Pompeij nomine conductos deprehendit, in ſuam poteſtatem redactis, magnis iam auctus copijs, & terribilis, aduerſus ipſum contendit Pompeium. Sed is aduentum eius haud quaquam præſtolatus, præmiſſis Dyrrhacchium cũ exercitu conſulibus, Brunduſiũ fugit: & paulo pòſt Cæſare eò inſequente inde ſoluit: quæ ſingulatim omnia in vita eius perſequemur. Cæſaris autem Pompeium ſtatim inſequendi conſilium penuria nauium impedijt. Redacta in poteſtatẽ ſuam ſpacio dierum LX. vniuerſa abſq; prœlio aut ſanguine Italia, Romam venit. Ibi cùm res expectatione ſua pacatiores offendiſſet, compluresq; ſenatores, hos benigno ſermone, populariq́ue compellauit, hortatusq́ue eſt vt ad Pompeium legatos de pace tolerabilibus conditionibus componenda mitterent: nemo tamen obtemperauit, ſiue quòd Pompeium à ſe deſertum metuerent, ſeu quòd præter animi ſententiam ſimulari hæc à Cæſare putarẽt. Metello autem tribuno plebis pecuniam exærario auferre prohibenti Cæſar, legesq; prætẽdenti, Non, inquit,

*Cæſaris Roma potiti acta.*

" idem eſt armorum atq; legum tempus, tu, ſi tibi quę gerun-
" tur diſplicent, hinc te age: nõ enim libertatem dicendi bel-
" lum admittit: vbi arma depoſuero, & bellum compoſitum
" erit, tunc redibis, ſi libet, & popularia iſta perorabis. Et hæc
" ego tibi dico, de meo decedens iure: meus enim tues, & o-
" mnes quos de aduerſa factione cepi. Hæc locutus, ad ærarium perrexit: cumq́ue claues nuſquam inueniret, accitis fabris fores effringi iuſſit. Ibi rurſus inſtantem Metellum, & à nonnullis laudatum, interfecturum ſe, niſi finem obtur
" bandi feciſſet, ſeriò minatus eſt, addens: Haud quidẽ te, ô adoleſcentule, fallit, difficilius mihi hoc dictu eſſe quam facto. Id dictum fecit, vt & Metellus perterritus diſcederet, & reliqua Cæſari faciliùs ac celeriùs, quibus ad bellum opus erat,

erat, subministrarentur. Proinde in Hispaniam expeditionem fecit, quod statuisset primò Afranium & Varronem legatos Pompeii inde profligare, prouinciaq; ea & copiis potitus, ac nullo à tergo relicto hoste, ita demum Pompeium persequi. Eo in bello cùm & insidiis sæpe petitus in discrimen vitæ venisset, & exercitus eius fame præsertim laborasset: tamen insequendi, prouocandi, & munitionibus circumueniendi hostes non anteà finem fecit, quàm castra eorum & exercitum caperet, ducibus ad Pompeium fuga se conferētibus. Reuersum inde Romam Piso socer eius hortatus est, vti ad Pompeium pacis contrahendæ causa legatos mitteret: Isauricus autem Cæsaris studio ductus cōtradixit. Cæsar ex eo dictator constitutus à senatu, exules reduxit, & à Sylla proscriptorum liberis petitionē magistratuum concessit, debitoresq; fœnorum quadam diminutione subleuauit, alia id genus haud multa egit: intra diem vndecimum dictatura se abdicauit, consulque cum Seruilio Isaurico à seipso factus, bellum prosecutus est. Relicto in itinere reliquo propter festinationē exercitu, cum sexcentis delectis equitibus, & quinque legionibus circa brumam atque Ianuarii initium (quem mensem Athenienses Poseideonem videntur appellare) mari se commisit, Ionio transmisso Oricū & Apolloniam cepit. inde naues remisit Brundusium, ad reliquam exercitus partem transfretandam. Hi dum essent adhuc in itinere, vt quorum iam ætate corpora languescerent, animique præ multitudine bellorum deficerent, Cæsarem incusabant. Quis tandem (dicebant) ei finis erit nos circumducendi, & nobis quasi omnis laborum sensus animæq; expertibus vtendi? At enim & ferrum crebris ictibus retusum est, & clypeo thoracíve tā longo tempore quænam fuit quies? Saltem ex vulneribus Cæsar intelligeret se mortalibus imperare nobis, & doloribus mortique obnoxiis. At is ea anni ventorumque tempestate mari incumbente, quam ne Deus aliquis superare vi queat, audacter in aperta nos pericula coniicit, tanquam si nō insequeretur, sed fugeret hostes. Hęc illi dictitātes lento gradu Brundusium profecti sunt. Sed vt eo peruenerunt, & euectum iam antè Cæsarem senserunt, statim mutata sententia seipsos culpauere, imperatoris proditores sese vocantes: duces quoque incusauerunt, qui non celeriùs duxissent.

*Dictatura & II. consulatus.*

*Trajectus Ionij maris.*

xissent. Porrò autem in promontoriis sedentes, mare & Epirum prospectabant, naues operiētes quibus ad imperatorem transueherentur. Interim Cæsar Apolloniæ cùm non satis haberet secum copiarum, morāte ea, de qua modò retulimus, exercitus parte, summa solicitudine & dolore percitus, rem grauissimam aggressus est. Naui quæ duodecim remis ageretur clam omnib. conscensa, statuit Brundusium traiicere, cum tantis classibus mare hostes obtinerent. Itaque noctu seruili veste occultatus in eam se contulit, & tanquam extremæ sortis homo quietus decubuit, Anioq; flumine est ad mare deuectus. Aurā matutinā, quæ apud ostia amnis procul repulsis vndis trāquillitatē solebat efficere, fortè tū ventus qui ab alto vehemēs eānoctem tenuerat, extinxerat: ita vt obęstum maris vndantis, fluctusque occurrentes incitatus fluuius & exasperatus, magno cum strepitu & grauibus retrò auersus procellis nulla vià gubernatore superari posset, isque iam nautas retrò auertere nauim iuberet. Hic Cæsar re cognita seipsum aperuit, manumque gubernatoris viso eo obstupefacti apprehendens. Agēdum, inquit, bone vir audacter perge, neq; time quicquam: Cæsarem vehis, & Cæsaris vnà fortunam. Nautæ illicò tempestatis obliti, remis insurrexere, omniq; conatu aduersus vim amnis laborarunt: postquam frustra omnis labor fuit, nauisq; in ipsis ostiis multa aqua recepta periclitata est, inuitus admodum Cæsar rectori vt cursum conuerteret concessit. Redeunti cateruatim obuios se dedere milites, grauiter conquerentes, quòd non vel cum solis ipsis se vincere posse existimasset, sed quasi præsentibus diffideret, ita se ob absentes angeret, tantumq; discriminis adiret. Mox & Antonius cum exercitu à Brundusio transuectus adfuit. Exinde Cæsar confirmata fiducia, Pōpeium castra commodo loco habentem, & terra mariq; cōmeatu subuecto instructum ad pugnā prouocauit: cum ipse neq; initiò abundè necessariorum haberet, & postmodò grauissima premeretur inopia. Quippe radicem quandam effodiebant milites, concisamq; & lacte subactam comedebant. Quin & aliquando confectis ex ea panibus, ad excubias hostium accurrentes, intrò eos coniecerūt, dicentes se à Pompeii obsidione non discessuros, dum terra esset huiusmodi radices productura. Pōpeius neq; panes istos, neq; sermo-

*Audax Cæsaris facinus.*

*Penuria.*

nes

nes efferri ad vulgus militum passus est: etenim Cæsarianorum feritatē & extremam tolerātiam formidabat. Semper autem leuia prœlia ad munitiones Pompeianas sunt cōmissa: & Cæsar, cū semper discessisset superior, semel exercitu ipsius fuso propè ipsa castra amisit: nemo enim mansit in iis Pompeio irruente, sed & fossæ cadaueribus impletæ, & apud ipsum vallum munitiones q; effusè fugientes cæsi sunt. Et Cæsar cum obuium se offerens fugam inhibere conaretur, nihil egit aliud, nisi vt signiferi signa ipso apprehēdente abiicerent: de quib. duo & triginta ab hostibus capta sunt. Atq; ipse Cęsar leui tum momento morti ereptus est. Etenim magno cuidam & robusto viro iuxta se fugiēti manum iniiciēs, manere & in hostem se vertere iubebat: is totus, vt fit in graui periculo, perturbatus, gladio ictum ei intentauit: ac feriisset, nisi armiger Cæsaris brachium ei amputare occupasset. Adeò quidem tum de suis rebus desperauit, vt cum Pompeius siue metu, siue fato operi tanto finem non imposuisset, sed hostibus ex fuga in castra inclusis abduxisset, discedens amicis suis dixerit, Hodie penes hostem fuisset victoria, si vincentem habuissent. Noctem verò eam omniū acerbissimam exegit Cęsar in tentorio decumbens, grauissimis cogitationibus vexatus, quòd rem malè gessisset: qui cùm ad vicinas locupletes regiones, vrbesque diuites Macedoniæ ac Thessaliæ bellū potuisset auertere, ad mare, quod totum in hostium potestate erat, desidere maluisset, oppugnatus veriùs commeatuū penuria quàm armis oppugnans. Tādem præsentibus difficultatibus cōpulsus castra mouit eo consilio, vt in Macedoniam contra Scipionē duceret: sperans se aut Pompeium eò pertractu-
rum, vbi commeatu à mari destitutus cogeretur pugnare, aut Scipionem à sociis desertū oppressurum. Hæc Cæsaris discessio Pompeianos milites ducesq; excitauit, vt victum fugientemq; Cæsarē insequi iubērent ipse enim Pompeius in discrimē pugnæ mittere summam rerum quam maximè cauebat, optimeq; ad ducendum bellum paratus, cunctando atterere & conficere hostem, cuius haud diu vigere possent copiæ, cupiebat. Quod enim in Cæsaris exercitu erat pugnacissimum, id peritia & incomparabili audacia prędituum ad certamina obeunda, ad oberrandum, & castra mutandum, & oppugnandū, & excubandum propter senectu-

*Cæsar Dyrrhachium petit.*

tem

tem defatigatum animum despondebat: ita vt confectis corporibus alacritas etiam eos in obeundis laboribus deficeret. Sed præter hæc lues etiam pestilens ferebatur in castris Cæsaris grassari, coorta ex victus vitiositate & in summa, neque à pecunia, neque à commeatu instructus Cæsar, breui videbatur temporis spacio vltrò cõfectum iri. Eas ob causas Pompeium à pugna abhorrentem, vnus Cato laudabat, eò quòd ciuibus parceret: quippe hic etiam velato vultu lacrymans discesserat, cùm hostium cadauera, quiad mille in acie ceciderant, conspexisset. Cæteri omnes Pompeium, quòd pugnam subterfugeret, culpauerunt, iritauerunt q; Agamemnonem, & regem regum appellãtes: quòd imperium deponere nollet, sed tot principes à se pendere, & ad tentorium suum cõmeare gauderet. Et Fauonius Catonis dicacitatem æmulans, insani in morem quiritabatur, si propter Pompeii vnius imperiũ ne isto quidem anno Tusculanis ficubus vesci liceret. Afranius etiam, quirecens ex Hispania re malè gesta aduenerat, & malè audiebat, quod accepta pecunia prodidisse exercitũ putaretur, tum interrogabat, Ecquid non pugnaret Pompeius aduersus empto rem illum prouinciarum. His omnib. præter animi sui voluntatem compulsus Pompeius, pugnæ conserendæ causa Cæsarem est insecutus. Cæsari iter perdifficile fuit, nemine commeatum præbente, omnibus q; eum ob acceptam nuper cladem despicientibus. Sed vt Gomphos Thessalicum oppidum cepit, non alimenta modò exercitui parauit, verùm etiam morbo eos insperato quodammodo liberauit. Vino enim, in cuius magnam inciderant copiam, abundè hausto milites, comesati deinde per viam atq; bacchati, habitu corporis immutato affectum priorẽ discusserũt. Postquam in Pharsalia vterq; castra fecit, Pompeius ad id consilii, quod primùm intenderat, reuolutus est: territus præterea ostentis parum felicibus, & quòd secundùm quietem plausu se P.R. in theatro excipi imaginatus esset. At sociis eius tantum erat cõfidentiæ, adeo q; spem victoriæ animis iam præceperant, vt de Cæsaris põtificatu Domitius, Spinther, & Scipio contenderent: multi q; Romam mitterentur, qui ædes cõsulatum & præturam ambientib. idoneas conducerent atq; occuparent, veluti statim cõfecto bello magistratus gesturis: maximè omnium equites ferociebant, pugnam q;

pugnamq; expetebant, & amorum mirifico splendore ornati, & equis benè saginatis instructi, & pulcritudine sua superbi, Cæsarianosq; præ paucitate (nam septē millia Pompeio, mille tantùm Cæsari erant) contemnentes. Ne pedestribus quidem copiis hostē Cæsar æquabat: quippe XXII. millia, Pompeianorū XLV. millibus opponebat. Cæsar advocatis in concionem militibus, Cornificium cum duabus legionib. appropinquare, quindecim cohortes cum Caleno circum Megara & Athenas versari ostendit: & interrogauit, illorúmne aduentum expectare, an absque his prœlium committi vellent. Illi sublato clamore popoſcerunt, vti ne moram iniiceret, sed id omni arte atque consilio potiùs ageret, vt hostem ad pugnam eliceret. Lustrāti deinde exercitum Cæsari, primamq; immolanti hostiam aruspex statim dixit, hoc triduo pugna cum hoste decretū iri. Quærenti porrò, númnam aliquod victoriæ signū in extis conspiceret, Tu, inquit, rectiùs quàm ego, tibi responderis. magnam enim Dii status rerum tuarum in diuersam partem portendunt mutationem. itaq; si in præsentia res tuas existimas bono esse loco, aduersam fortunam: sin afflictas cēses, meliorem spera. Ea nocte, quæ pugnam præcessit, cum excubias ipse inspiceret, fax cœlestis ignis cōspecta est, quę cum super castra eius splendida & flammea ferretur, in Pompeii castra decumbere videbatur. Matutina etiam vigilia Panicum terrorem in castris hostium extitisse senserunt. Neque verò pugnam eo die futuram Cæsar sperabat, sed castra veluti ad Scotusam profecturus mouebat: cùm iam detensis tabernaculis exploratores equis ad ipsum aduecti, hostes ad pugnē descendere annunciarunt. Quo nuncio vehementer gauisus, Deos comprecatus est, triplicémque instruxit aciem: mediam Domitio Caluino commisit, Antonio sinistrum cornu, dextrum ipse tenuit, decimæ legionis præsidio pugnam initurus. Contra hoc equites hostium obiectos videns, eorumque splendorem & multitudinem metuens, occultè ab extremis ordinibus ad se cohortes sex subire, & post dextrum cornu adstare iussit, mandato quid agerent hostibus irruentibus. Pompeius dextrum cornu, alterum Domitius, mediam aciem Scipio Pompeii socer ducebat, equitatus vniuersus ad sinistrum cornu coiuerat, spe dextri hostium cornu circum-

*Ostenta.*

*Pugna Pharsalicæ descriptio.*

cumueniendi, magnamq; apud eorum ducem fugam stragemq; edendi: non enim impetum hunc tot equitum à pedestri acie posse sufferri, sed perruptũ statim prostratumq; iri putabãt. Cùm iam congressus signũ essent daturi, Pompeius stare suos in procinctu iussit, seruatisque ordinibus hostium incursum excipere, donec ij intra pili coniectũ venissent. In quo eum Cæsar peccasse ait, neq; animaduertisse, initio pugnæ impetus vehementiã cursu augeri, & cùm ictibus robur addere, tum animi feruorem quasi exagitatum inflammare. Ipse iam aciem commoturus, & ad rem gerendam accessurus, quendã primi pili ducem, hominem fidum sibi & belli peritum primum omnium videt suos cohortantem, & ad fortitudinem instigantem. hunc nominatim compellans, Quid, ait, spei C. Crastine, quid fiducię habemus? Tum Crastinus manum intendens, contenta voce, Vincemus, inquit, ô Cæsar præclarè: me quidẽ aut viuum, aut mortuũ hodie laudabis. Hæc locutus, primus omnium cum cxx. militibus quos secum habebat, cursu in hostes latus est. primisq; dissipatis, cum magna cæde ac vi pergeret, ense per os traiecto, ita vt mucro supra occiput exiret, obtrũcatur. Hoc modo pugna inter pedites in medio, & à cornibus etiam cõmissa, Pompeiani equites turmas suas confidenter ad circundandum dextrum hostium cornu explicant. Qui antequam impetum darent, à Cæsare cohortes procurrũt, non, vt alioquin solebãt, pila eminùs conijcientes, neque suras aut femora comminus ferientes, sed in ora & facies ictus intentantes. Ita enim Cæsar eos docuerat, sperans homines qui in bello atque inter vulnera haud diu egissent, iuuenes & forma florentes, maximè huiusmodi vulnerum metu cessuros, ac cùm præsens periculum, tum mansuram in posterum deformitatem fugituros: neque id abs re fuit. Non enim sustinuerunt volitantia pila, ferrúmque ante oculos obuersans, sed faciei suæ quisque timens, auerterunt sese, & texerunt: tandemq; ita perturbatis ordinibus in fugam versi sunt, turpissimè summam rei pessundantes. Statim enim qui hos vicerãt, peditibus circumfusi, à tergo eos inuaserunt. At verò Pompeius vt ab altero cornu dissipatos vidit equites, non iam idem qui priùs, neque se Pompeium esse Magnum recordans, verùm eius similis, cui Dii sanam eripuissent mentem, aut clade diuinitus

tus illata obstupefactus, tacitus in tentorium suum abiit, ibique euentum expectans sedit, donec omni ipsius exercitu fuso, castra etiam ipsa adorti sunt hostes, & cum custodibus pugnauerunt. Ibi demum veluti mente captus, hoc vnum (vt aiunt) fatus, Ergóne etiam ad castra? paludamento posito fugæ aptam vestem sumpsit, & è castris elapsus est. Qua deinde fortuna vsus sit, vtq; seipsum Ægyptiis in manus dans, ab iis sit interfectus, in eius vita ostendimus. Cæsar castra hostium ingressus cùm hostium cadauera inspexisset, & alios qui necarētur, gemitu edito, Hoc, inquit, ergo voluerunt, ad eam me necessitatem compulerunt? scilicet vt C. Cæsar qui maxima bella feliciter confecisset, dimisso exercitu condemnarer. Hæc Asinius Pollio Latinè tum Cęsarem pronunciasse, pòst autem Grecè scripsisse ait: & addit, pleroſque seruos fuisse eos, qui in castrorum expugnatione ceciderint: milites haud plures sex millibus periisse. Pleroſq; peditum captorum Cęsar in suas legiones immiscuit. Multis etiam illustrib. viris impunitatem concessit, inter quos & Brutus fuit à quo deinde occisus est. fertur grauiter doluisse, cùm is nusquam inueniretur: & cùm incolumis ad se adduceretur, magnoperè gauisus esse. Multis verò prodigiis ea victoria est præmonstrata: quorum id, quod Trallibus euenisse narrant, illustrissimum est. Ibi in templo Victoriæ statua Cęsaris posita erat, loco cir cùm solido & natura, & lapidibus instrato pauimento: inde tamen iis diebus iuxta fundum statuæ palma enata est. Patauii autem C. Cornelius, Liuii historici ciuis & familiaris, diuinandi scientia nobilis, cùm eo die, quo depugnatum est, auguria obseruaret, primò tempus ipsum (vt testatur Liuius) pugnæ notauit, iisque qui aderant dixit, iam rem confici, prœliumque committi: deinde ad obseruanda signa iterum conuersus, iis perspectis diuino quodam furore afflatus exiluit, vociferans, Vincis ô Cæsar: & iis qui intercrant attonitis, coronam capiti detraxit, sacramento se obstringens, non antè se eam resumturum, quàm artem exitus comprobasset. Hæc ita acta esse Liuius affirmat. Cęsar victoriæ ergò Thessalis libertate donatis, Pŏpeiũ insequi instituit. Cũ in Asiã peruenisset, Cnidios in gratiã Theopompi, eius qui fabulas conscripsit, liberos reddidit: omnibusq; Asiæ habitatoribus tertiam tributi partem remisit.

*Cæsaris victoris clementia.*

*Signa ante victoriam.*

Alexan-

Alexandriam Pompeio iam mortuo venit, ibiq́ue Theodotum caput illius offerentem auersatus, accepto sigillo eius illacrymauit: omnes autē socios eius & familiares qui per eam regionem errantes capti essent, adsciuit sibi, ac beneficiis ornauit scribensq́ue ad amicos Romam, hunc se dixit fructum victoriæ amplissimum dulcissimumq́; ferre, quòd semper aliquos eorū ciuium, qui arma contra ipsum tulissent, seruare sibi daretur. Bellum verò Alexandrinum quidam ab eo nulla necessitate susceptū, sed ob amorem Cleopatræ eū infamiam simul & grauia periculaista adisse dicunt: quidam in regios administros culpam cōferunt, Photinum præcipuè, qui potentissimus omnium, nuper Pompeio cædem parauerat, Cleopatram regno eiecerat, ac tum Cæsari occultè exitiū struebat. quā fuisse Cæsari causam perhibent, vt insidiarū euitandarū gratia noctes compotando exigere inciperet. Et quidem palàm intolerabilis erat Photinus, multa in Cæsaris inuidiam contumeliámque dicens ac faciens. Milites enim cùm iis pessimum vetustissimumq́ue dimetiretur frumentum, ferre iussit & boni consulere, quòd de alieno ederent: ad cœnas ligneis vtebatur tantum & fictilibus vasis, cætera Cæsarem pignoris loco habere dicens. Debuerat autem pater eius qui tum rex erat Cæsari septingenties H·S. & tum Cæsar reliquum eius summæ liberis eius donabat, quadringenties solum petebat ad alendum exercitum. Photinus eum in præsentia abire, & magna sua negocia persequi iubebat: pòst eum cum gratiarū relatione debitū recepturū. Cæsar se nihil omninò Ægyptiis consiliariis opus habere respondit: & occultè Cleopatram ad se ex agro acciuit. Hæc cum vno suorum amicorum Apollodoro Siculo in lembum ingressa, iam nocte ingruente ad regiam peruenit, cumq́ue latere aliter non posset, in longum porrecta stragulo se illigari ab Apollodoro, atque ita ad Cæsarem per fores apportari passa est Hac primum Cleopatræ techna captus ac proteruitate traditur Cæsar: victus deinde suauitate consuetudinis eius & iucunditate, in gratiā fratris eā restituit, ita vt vnà regnaret. Facta hac compositione, cùm frequenti omnes conuiuio interessent, tonsor Cæsaris, vt erat hominum timidissimus, ideoq́; curiosè omnia explorabat & clanculum auscultabat, ab Achilla exercituum præfecto, & Pho-

*Belli Alexandrini historia.*

& Photino eunucho insidias strui Cæsari percepit, indiciúmque rei detulit. Cæsar cœnaculum præsidio cinxit, & Photinum necauit. At Achillas fuga in castra elapsus difficillimum ei bellum intulit, parua manu cõtra ingentes copias, inque tanta vrbe id sustinere coacto. Primum periculum fuit, quòd aqua prohibebatur, aquæductibus hostium opera obstructis. Alterum, quòd exitium classis coactus est incendio amoliri, quod à nauali grassatum magnam etiam bibliothecam absumpsit. Tertium fuit, cùm apud Pharum commissa pugna ab aggere in lembum desiluit, suisque pugnantib. auxiliũ tulit: multis verò Ægyptiorũ nauibus petitus, in mare seipsum coniecit, magnóque cum labore enatauit, lembo, in quo fuerat, ab hostibus statim submerso. Ferunt eum tunc libellos multos manu altera tenuisse, eósque tametsi & mergeretur & telis impeteretur, non dimisisse, verùm vna manu supra aquam extulisse, altera natasse. Ad extremum rege ad hostes digresso, prœlium commisit, & multis deiectis, ipsoque etiam rege (incertum quo modo) de medio sublato vicit. Cleopatram inde Ægypti reginam constituit, quæ paulo pòst filium ex eo peperit, quem Alexandrini Cæsarionem appellauerunt. Ipse statim ab eo bello in Syriam profectus Asiam inde peragrauit. Ibi ei renunciatum est, Domitium à Pharnace Mithridatis filio victum ex Ponto cum paucis profugisse, Pharnacen victoriam insatiabili cupiditate subsecutum, iam Bithynia & Cappadocia occupatis minorem Armeniam appetere, omnésq; in illis partibus reges principésque ad defectionem pertrahere. Aduersus hunc illicò tribus cum legionib. profectus, apud vrbem Zelam ingenti prœlio facto exercitum eius occidione deleuit, ipsumq; Ponto expulit. Celeritatem eius victoriæ Romam nuncians, ad Amintiũ suorum quendam amicorum, ita scripsit: Veni, vidi, vici. quæ voces eo ipso, quòd similiter desinunt, breuitati indicandæ haud parum congruunt. Secundum hæc in Italiam traiecit, Romámque venit, in fine anni eius, quo dictator II. creatus fuerat: cum quidem nunquam antea annua fuisset dictatura. Adinsequentem annum consul creatus est. Malè autem audiuit, quòd milites, cùm ij per seditionem duos prætorios viros Galbam & Cosconiũ interfecissent, verbis tantùm increpauit ita, vti pro militibus Quirites appellaret:

*Pharnaces à Cæsare victus.*

*Querela de Cæsare.*

16 iisque viritim mille denarios, & multũ agri in Italia distribuit. Vitio ei dabatur etiam Dolabellæ insania, Amintij auaritia, & Cornificij Antonijque temulentia, qui domum Pompeianam, tanquam haud satis laxè in ea posset habitare, demoliebatur atque mutabat. hæc enim Romanis erant molesta. Cæsar tametsi neq; ignoraret, neq; probaret, tamen quia ad institutum suum iis necessariò vteretur administris, conniuebat. Interim Cato & Scipio à Pharsalica pugna in Africam delati, auxilio regis Iubæ magnas cõtraxerant copias. Aduersum hos expeditionem faciens Cæsar, 10 brumæ tempore in Siciliam traiecit, vtq; suis spem omnem cunctationis præcideret ducibus, in littore suũ posuit prætorium. Ventum nactus idoneum, cum tribus peditũ millibus, & paucis equitibus in Africam transmisit: hisq; expositis, metuens maioribus suis copiis clàm rursum auectus, eas 15 iam transfretãtes offendit, inq; castra deduxit. Cæterũ audito hostes antiquo oraculo quodã fretos esse, quo Scipionis genus semper rem in Africa obtenturum prædiceretur: Scipionem quendã Sallutionem cognomento, Africanorũ genere ortum, sed hominem alioqui contemptum & abiectum, in prœliis primo loco tanquam ducẽ constituit, & sæpe inuadere hostem, ac cõserere manus coegit: incertum an hostium imperatorem Scipionem per iocum floccifaciẽdi gratia, an verò oraculi sibi vindicandi causa. Cæsariani & frumenti, & pabuli affligebantur penuria, cogebantúrque 25 iumentis algam marinam salsugine abluta porrigere, condimenti loco parũ graminis admiscentes. Numidæ enim celeres, multíque simul identidem irruebant, & agtis potiebãtur. Quodam etiam tempore, cùm Cęsaris equites otio- „ si Afrum quendam saltantem simul & tibia canentem ita v- 30 ti admirationem mereretur, spectarent, eiq; intẽti oblectationi equos pueris cõmisissent: Numidæ subitò circumfusi bonam eorum partem occiderũt, reliquos effusè ad castra fugientes insecuti eodem impetu irruperunt. quod nisi Cæsar ipse, cũmque eo Asinius Pollio ex castris auxiliũ suis tu- 35 lissent, eorúmq; fugam inhibuissent, actum vtiq; de eo bello fuisset. Iterum deinde alio prœlio superiores hostes fue- „ runt: cùm quidem Cæsar aquilifer ũ fugientem fertur collo „ correptũ obuertisse, ac dixisse, Hîc sunt hostes. Scipio sanè his successib. elatus, statuit prœlio rem cõmittere: relictóq;

*Bellũ Afri cum cõtra Scipionem & Catonem.*

seorsim Afranio, seorsim Iuba, castra haud procul habentibus super paludem prope vrbem Thapsacum castris munitionem erexit, quæ omnibus ad pugnam iturisarcis & refugij loco esset. Hoc illo agente Cæsar superatis incredibili celeritate syluestribus ac difficillimis ob perplexitatem itinerum locis exercitum eius partim cinxit, partim à fronte adortus est. Eo fuso, impetum successus prosperi sequens, continuò Afranij castra capit, confestim etiam Numidica; dilapso fuga Iuba, diripit. Ita exigua vnius dei parte trinis est potitus hostium castris, ac suorum non omnino quinquaginta amissis, hostium L. millia deleuit. Quidam eum rei gestæ interfuisse negant: sed cùm iam ordines instrueret, correptum solito morbo tradunt, idque eum sensisse, ac priusquam penitus omnibus sensibus caperetur, cùm iam inciperet tremere, in quoddam vicinum castellum abductum fuisse, atque ibi acquieuisse. Qui ex pugna fugerant cõsulares & prætorij viri, multi capti mortem sibi consciuerunt: permulti ad Cæsarem adducti, iussu eius necati sunt. Catonem autem viuum in potestatem suam redigere quàm maximè cupiens, ad Vticam properè accessit, quam is vrbem custodia tenens, prœlio non interfuerat. Vt verò de morte eius, quam is sibi ipse attulerat, cognouit, haud dissimulauit grauiter id se ferre: tametsi cur ita, non constat. dixit quidem, Inuideo tibi mortem tuam ô Cato, quando tu etiam mihi salutem tuam inuidisti. Sanè oratio in Catonem iam mortuum scripta à Cæsare, videtur animi nequaquam reconciliati aut benigni indicia continere: qui enim peperciisset viuo, in quem sensu iam omni priuatum tantum iræ effuderit? Humanitas tamen, qua Ciceronem, Brutum, & mille alios qui in bello contra ipsum fuerant, cõplexus est, argumento esse quibusdam videtur, non odio viri eam orationem, sed ciuilis contentionis causa scriptam. Etenim Cicero laudationem Catonis composuit, quæ ab eo est Cato inscripta, & à multis magno studio probata, vt par erat orationẽ à præstãtissimo oratore de materia pulcherrima conditã. Id molestum erat Cæsari, vt qui hominis propter se mortui laudibus se accusari putaret: itaque multa in Catonem crimina collegit, libróque complexus est, cui titulus est Anticato. Vtraque oratio propter & Catonem & Cæsarem, multorum est applausu accepta,

*Catonis interitus.*

Enimuero vt rediit Romam Cæsar ex Africa, primò victoriam suam apud populum verbis iactauit, prædicans se tantum telluris subegisse, vnde quotannis in publicum ducenta millia Atticorum medimnorum frumenti essent reditura, & olei libræ ter millies millenæ. Triumphos deinde duxit, Ægyptiacum, Ponticum, Africanum, hunc scilicet non de Scipione, sed de Iuba rege: cuius etiam filius Iuba, puer admodum, in pompa tum ductus est, beatissimus eius captiuitatis nomine, qui per eam ex Numida eò deductus est, vt inter doctissimos Græcorum numeretur. Secundum triumphos militibus amplissima dona dedit, populumque epulis & spectaculis recreauit. Totum populum epulo excepit triclinium xxii. millibus: & in honorem filiæ Iuliæ dudum mortuæ gladiatorum & naumachiæ spectacula edidit. Post hæc populi recensio facta est, & numerata sunt hominum cl. millia, cùm priori censu cccxx. millia essent relata. Tantam ciuile bellum calamitatem inuexit, tantámque populi partem pessundedit: vt cæteras reliquæ Italiæ & prouinciarum clades taceam. His omnibus perfectis, consul iiii. factus in Hispaniam contra filios Pompeij profectus est, qui iuuenes etiamnum ætate, admirandę tum multitudinis copias contraxerant, audaciámq; imperio nõ indignam præ se ferebant. Magnum ad vrbem Mundam prœlium depugnatum est. Quo in prœlio Cæsar cùm pelli suos videret, & ægrè resistere, per ordines & arma discurrens vociferatus est ad milites, Ecquid vos pudet? quin vos imperatorem vestrum corripitis, & in manus puerorum traditis? Tandem magno conatu hostes fudit, & super xxx. millia occîdit, amissis suorum mille præstantissimis viris. Discedens quidem à pugna suis dixit, se de victoria sæpe, tũc verò primùm de vita sua dimicasse. Pugnatum est autem Liberalibus, quo die etiam Põpeius Magnus tradiur ad bellum exiisse ante quadriennium. De filiis Pompeij iunior effugit: maioris caput paucis pòst diebus Didius attulit. Vltimum hoc bellorum à Cæsare gestorum fuit. Triumphus autem ab eo bello apud Romanos summam commouit indignationem. Minimè enim probabatur eum non exteris ducibus, aut barbaris regibus deuictis, sed optimi Romanorum calamitate icti genere & liberis extirpatis, per triumphum patriæ infortuniis insultare, iisq; se rebus iactare, quas

*Triumphi Cæsaris.*

*Census populi.*

*Bellũ contra Põpeij filios.*

quas vnica necessitas apud Deos hominésq; excusare posſit: augebátq; rei indignitatem, quòd antehac neque nuncium neque literas publicas de vlla bello ciuili parta victoria miserat, verecúdia gloriam tegens. Veruntamen ad fortunam viri inclinantes, recepto iam fræno, & exiſtimantes constituto vnius in repub. principatu, respirare vrbem ab inteſtinis malis posſe, dictatorem eum perpetuum creauerunt. ea verò haud dubia erat tyrannis, adiecta ad impunitatem perpetuitate. Honores ei decernēdos in Senatu proposuit Cicero, quorum tamen magnitudo vtcunque homini par esſet: his certatim alij maiora adijcientes effecerunt vt Cæsar, ob fastum & nouitatem eorum quę in honorem eius decreta sunt, etiam mansuetiſſimis inuisus fieret. Quam ad rem inimici eius haud minus quàm assentatores contuliſſe videntur, id agentes, vt quamplurimas ac maximas eius inuadendi causas haberent. Alioquin enim impoſito à se iam bellis ciuilibus fine Cæsar nullo se crimine obligauerat: videtúrque haud absurdè templum Clementię ad agēdas humanitati eius gratias decretum fuiſſe. Multos enim eorum qui bellum contra ipsum gessiſſent, venia dignatus est: quosdam etiam ad magiſtratus prouexit, vt Cassium & Brutum, qui tum prætores erāt. Pompeij etiam ſtatuas, quæ deiectæ erant, non est passus iacere, sed restituit: estque tunc à Cicerone dictum, Cęsarem restituendis Pompeij imaginibus, suas stabilire. Amicis quoque stipatoribus ipsum vti iubentibus, & operam suam offerentibus, recusauit, dicens, Præstat semel mortem oppetere, quàm semper metuere. Itaque ciuium beneuolentia, quam honeſtiſſimam & fideliſſimam custodiam censebat, sese muniens, iterum populum epulis & frumentariis largitionibus refecit, milites coloniis deducēdis. De quibus nobiliſſimæ sunt Carthago & Corinthus, quæ vt olim eodem tempore diruta, ita tum simul inſtauratæ sunt. Potentiores autem consulatus & præturas inſequentis anni promittendo, aliisque honoribus & dignitatibus deliniuit: omnibúsq; bonas spes proponens id egit, vt volentibus imperaret. Quinetiam mortuo Maximo cōsule cùm vnica dies consulatus gerendi supereſſet, Caninium Rebilum consulem ei suffecit: ad quem cùm pro more frequentes salutatū accederent multi, Cicero, Properemus, inquit, priusquā magiſtratu homo abeat.

*Dictatura Cæsari honoresq; decreti.*

*Eius benignitas, vtque gratiā captārit.*

abeat. Enimuerò ingenium eius magnificum atque honoris auidum ita erat, vt prosperi successus eum non ad fruenda ea quę adeptus erat auerterent, sed ad nouos conatus incenderent: & quasi defunctus præsenti gloria esset, ad quærendam recentem aliam incitarent: adeóque ipse secum, veluti cum alio quopiam, contendebat, & acta agendis superare certatim laborabat. Eapropter tunc quoque animo res arduas conceperat: expeditionem in Parthos facere, his subactis per Hyrcaniam præter Caspium mare & Caucaso adiacentia loca in Scythiam proficisci, inde regiones Germaniæ finitimas, ipsamque Germaniam percurrere, & per Gallias in Italiam reuerti, scilicet confecto expeditionum circulo, qui Oceano vndique circumfuso terris concluderetur. Interim opera Anieni statuerat Isthmum Corinthiacum perfodere, Tiberim statim infra vrbem profundo alueo intercipere, atque ad Circæum auertere, inque mare quod apud Anxur est deducere: qua re & faciliorem & tutiorem mercaturæ causa Romam petentibus nauigationem machinabatur. Præterea paludes quæ sunt apud Nomentum & Setium siccare, & campum redigere multis hominum millibus colendum: aggeribus coniectis claustra mari quod Romæ proximum est addere: littorisque Ostiæ propinqui cæcis & importuosis partibus expurgatis, portus ibi & stationes pro dignitate nauigationis condere. Atque hæc quidem parabantur. Anni verò correctio, & inæqualitatis fastorum emendatio eleganter ab eo excogitata & absoluta, vsum habuit gratissimum. Non enim antiquitus modò Romani menses habuerunt ad anni circuitū non congruentes: (quo efficiebatur, vt sacra & feriæ paulatim à constituto die decedentes, in diuersam adeò anni partem deferrentur) sed & solaris anni ratio, qua vtebantur Cæsaris ætate, omnibus præter sacerdotes ignota erat, ijq; soli eam cognitam habentes, subitò, ac præsentiente nemine mensem intercalarem adijciebant, qui & Mercedonius dicitur. hunc autem primus omnium Numa rex inuenisse traditur, auxilium ad errores & confusionem tollendam exiguum, neque durabile, vti est in eius vita à nobis demonstratum. Sed Cæsar præstantissimis philosophis atque mathematicis eam quæstionem proposuit, & ex methodis iam tum inuentis, peculiarem quandam & absolutam emendationem eruit:

*Noui eius conatus.*

*Anni correctio.*

eruit: qua etiam nũ vtuntur Romani, minúsq; reliquis temporum inæqualitate laborare videntur. Neq, tamen id institutum eorum qui potentiæ ipsius æmulabantur reprehensiones effugit: cùm & Cicero dicente quodam Lyram postridie orituram, Nimirum (inquit) ex edicto: tanquam hic quoque necessitatem hominibus Cæsar imposuisset. Enimuerò apertis, capitalibúsque in eum odiis ansam præbuit regni cupiditas: quæ & prima causa plerisque fuit, & iampridem infensis honestissima facti sui præscriptio. Et vtò qui regium nomen Cæsari quærebant, rumorem diuulgauerant, Sibyllino oraculo indicari, Parthos à Romanis subigi nullo modo posse, nisi si cum rege suo in eos expeditionem facerent. Quinetiam ab Alba Romam descendentem ausi sunt regem salutare: cùm quidem populo conturbato, ipse indignatus Cæsarem se, non regem vocari dixit: omniúmque silentio facto, minimè sereno hilariqúe vultu transiit. Deinde cùm essent in senatu honores ei immodici decreti, accedentibus ad ipsum pro rostris tum sedentem consulibus, prætoribus, totóq; senatu, non assurrexit, sed tanquam si cum priuatis hominib. colloqueretur, respõdit eos honores diminutionem potiùs quàm additionem requirere. Non Senatum modò, sed & populum id offendit, ciuitatémque rati ignominia Senatus ludibrio haberi, magna cum tristitia discesserunt, quotquot discedendi facultatem habuere: adeóq; sensit Cæsar indignationem eam, vt statim domum abiret, reductáq; à collo veste ad amicos vociferaretur, se paratum esse ad præbendum, si quis necare ipsum vellet, iugulum: ac postea morbum suum prętenderit facto, quo qui laborent, ij si stantes ad multitudinem verba faciant, sensibus suis integris ac firmis vti nequeant, sed hi statim conturbentur, exagitentúrque, & vertigo inde oboriatur. Sed res nequaquam ita habuit: imò enim ferũt eum, cùm assurgere Senatui vellet, ab amico, aut veriùs adulatore quodam suo Cornelio Balbo prohibitum, monente eum, vt se Cæsarem esse meminisset, seque vt prestantiorem coli pateretur. Ad has inde offensas accessit circumscriptio tribunorum plebis: res ea ita acta est. Lupercalibus (quæ à pastoribus olim celebrata fuisse multi tradunt: & quidem habent nonnihil similitudinis cum Arcadicis Lycæis) multi nobiles adolescentes, & magistratum etiam gerentes

*Regnũ affectatum.*

*Lupercalia.*

discurrunt per vrbem nudi, & obuios per risum iocúmque hirsutis scuticis feriunt. multæ verò nobiles matronę dum industria occurrunt, manúsque verberibus tanquam in ludo literario præbent, ad facilem partum grauidis, fœcunditatem sterilibus conducere id persuasæ. Ea tunc Cæsar spectabat pro rostris sedens aurea sella, vestitu triumphali. Antonius etiam, vt tum erat consul, inter Lupercos currebat. Is vt in forum peruenit, populúsque ei locum adeundi dedit, diadema serto laureo circumplicatum Cæsari porrexit: ad hoc ex composito plausus non alacris est editus, Cæsare repudiante, vniuersus populus plausum dedit: iterúmq; Antonio diadema porrigente, pauci: Cæsare non accipiente, vniuersi manus complosérunt. Hoc modo animis populi exploratis, Cæsar surrexit mandato vt sertum in Capitolium deferretur. Statuæ autem ex eo Cæsaris conspectæ sunt, regiis mitris redimitæ: has duo tribuni plebis Flauius & Marullus detraxerunt, inuentósque eos, qui primi Cæsarem regem salutassent, in carcerem abduxerunt, populo sequente, & Bruti nomen tribunis acclamante. nam Brutus fuit is, qui regia potestate euersa, rempublicam senatui & populo reddidit. His factis irritatus Cæsar, Flauium & Marullum magistratu deposuit: & in accusandis iis multa contumeliosè in populum iaciens, brutos eos & Cumanos appellabat. Proinde multitudo se ad M. Brutum confert, cuius paternum genus à magno illo Bruto videbatur descendere, maternum ex Seruiliorum nobili stirpe: idémq; cõsobrinus erat ac gener Catonis. Is Brutus cùm natura videretur ad tyrannidem destruẽdam incitari, honoribus tamen & muneribus à Cæsare acceptis inhibebatur. Non modò enim à Pompeiana fuga apud Pharsalum Cęsar eum seruârat, multósque ipso deprecatore venia donauerat, sed & plurimum ei habebat fidei, præturámque omnium præstantissimam contulerat, & in quartum annum consulem destinauerat, prælatum in contentione Cassio. Ferunt enim Cęsarem dixisse, Cassiũ iustiore sermone vti, se tamen Bruto non defuturum. Idem quibusdam accusantibus Brutum, iam tum conspiratione ea glíscente, animum non aduertit: quin & corpus suum manu tangens, delatoribus dixit: Hæc cutis Brutum expectat. censens eum ob virtutem dignum imperio, atque huius tamen causa non ingratum aduersus se futurum.

*Iniuria in tribb. pleb.*

turum. Qui verò mutari ſtatum reipublicæ cupiebant, & ad Brutum vel ſolum vel primum omnium reſpiciebant, non auſi verbis eum tētare, noctu ſellam eius & tribunal de quo prætor ius dicebat, ſchedis oppleuerunt, quibus ferè hæc eſſent inſcripta, Dormis Brute, neque es Brutus. Quibus ſentiens Caſſius paulatim animum eius commoueri, magis quàm antè inſtitit hominemque inſtigauit, priuatim ipſe etiam Cæſari infenſus ob cauſas in Bruti vita indicatas. Sanè & ſuſpectus Cæſari fuit, adeò vt hic ad amicos aliquando dixerit, Quid vobis videtur Caſſius? mihi quidem non admodum probatur, nimis enim pallet. Iterumque delatis apud eum Dolabella & Antonio, quaſi ij res nouas machinarentur, dixiſſe fertur, ſe ſibi haud magnopere à craſſis iſtis crinitiſque metuere, ſed à pallidis iſtis atque macilentis: Caſſium & Brutum notans. Verùm enimuero fatum haud tam præuideri quàm euitari nequit: quando & mirabilia prodigia atque oſtenta apparuiſſe dicunt. Fulgores quidem cœleſtes, & ſtrepitus paſſim auditos, & aues ſolitarias in forum delapſas referre, vt tantæ rei ſigna, fortaſſe non conuenit. Strabo philoſophus narrat, multos homines ignitos per aerem deferri viſos: calonem quendam ex manu multum flammæ effudiſſe, viſumque ardere: ſed flammis ceſſantibus nihil habuiſſe mali. Ipſo Cæſare immolante, hoſtiam corde carere viſam, idque pro graui oſtento habitum, quòd natura non ferat vti vllum animal ſine corde ſit. Iam illud à multis commemoratur, quendam ei ariolum prædixiſſe, vt Idibus Martijs magnum periculum caueret: Cæſarem Idibus Martijs in ſenatum euntem ariolo illuſiſſe, dicentem, Idus Martias iam veniſſe: illum ſubmiſſa voce reſpõdiſſe, Næ illæ venerunt, ſed nondum præteriuerunt. Pridie eius diei cum apud M. Lepidum cœnaret, & accumbens (vti ſolebat) literis ſubſcriberet, orta diſquiſitione, quódnam mortis genus eſſet optimum, omnibus anteuertit, & ſubitam inopinatámque mortem optimam eſſe exclamauit. More deinde ſuo cum vxore dormiens, omnibus ianuis & valuis feneſtrarum conclauis ſubitò apertis, ſtrepitu ſimul & luce perterritus, luna ſplendente vidit Calpurniam vxorem grauiter dormire, & voces obſcuras gemitúsque inarticulatos edere perſomnum. ea enim imaginabatur per quietem ſe mariti trucidati corpus in vlnis tenere atque deplorare. Quidam non

*Brutus in Cæſarē exercitatur.*

*Prodigia.*

*Calpurniæ inſomnia.*

non hoc insomnium vxori eius obtigisse dicunt: sed (vt Liuius narrat) fuit quoddam pinnaculum quasi honoris causa & maiestatis mandato senatus additum Cæsaris ædibus: id per quietem visa sibi est Calpurnia collapsum deflere ac lamentari. Itaq; facta luce Cæsarem orauit, vt si omnino prodire cogeretur at saltem senatui diem protraheret: quòd si ipsius insomnia prorsus vilipenderet, at alijs diuinationib. atque sacris futurum exploraret. Et iniecit quidem viro nonnihil metus ac suspicionis, quòd vxorem, quam hactenus nequaquam mulierum more superstitiosam expertus fuerat, vehementiùs esse solicitam cerneret: cùm verò aruspices etiam multis mactatis hostijs non potuisse litari nunciarent, statuit omnino misso Antonio senatum dimittere. Interim D. Brutus Albinus cognomento aduenit, cui Cæsar tantum tribuebat, vt eum in testamento suo secundum hæredem scripserit. Is M. Bruti & Cassij coniurationis socius, metuens ne Cæsare illam diem euitante conatus ipsorum innotesceret, aruspices risit, Cæsarémque verbis increpuit, qui seipsum incusationibus & calumnijs senatorum obijceret, quòd ijs illudere videretur: etenim eos iussu ipsius conuenisse, omnesque paratos esse decernere, vt ipse rex omnium quæ extra Italiam sunt prouinciarum dicatur, ac terra marique, nisi cùm in Italia sit, diadema gestet. quod si nunc aliquis eos abire domum iubeat, & rursum in curiam venire vbi meliora Calpurniæ insomnia fuerint oblata, quósnã futuros æmulorum sermones putaret? aut quem amicorum eius audituros esse istos, ostendere conantem, hæc non seruitutem esse & tyrannidem? si tamen omnino stet sententia diem istum abominari: rectiùs facturum, si ipse in curiam progressus senatui coram hoc indicet. simúlque Cæsarem manu apprehensum produxit. Haud procul foribus processerant, cùm seruus quidam alienus Cæsarem compellare cupiens adfuit: qui cùm a turba Cæsarem certatim sectantium retruderetur, in domum Cæsaris tamen vi eluctando per ceruas peruenit, Calpurniæque custodiendum sese tradidit, dum rediret Cæsar, habere se magnarum rerum indicia, quę ad eum deferret dicens. Artemidorus etiam Cnidius Græcè dicendi magister, atq; ob eam rem quorundam Brutianæ conspirationis sociorum familiaris, ita vt pleraq; eorũ consilia haberet cognita, indicia rei in libello perscripta ad Cæsarem

*Indicia cõspirationis neglecta.*

sarem attulit: cumq; eum videret libellos accipere, ac suis famulis porrigere, proximè aggressus, Hunc, inquit, ô Cæsar, solus lege, & celeriter: scriptas enim continet res magnas, & tua plurimum referentes. Acceptum Cæsar cùm sæpius esset conatus legere, prohibitus interpellantium multitudine in manibus retinuit solum omnium reliquorum, itaq; seruãs in curiam intrauit. Quidam libellum ab alio porrectũ scribunt: ipsum Artemidorum tota via aditu Cæsaris exclusum & detrusum fuisse. Verùm huiusmodi res etiam casu euenire possunt. Eo autem in loco, vbi senatus est habitus, & cædes peracta, Pompeij statua tum iacebat: ipsaq; illa curia ab eodem Pompeio olim dedicata, & ornamẽti causa theatro adiecta demonstrauit Dei alicuius ductu ibi rem perpetratam fuisse. itaque ergo Cassius etiam, tametsi ab Epicuri opinionibus haud abhorrens, fertur ante factum ad statuam Pompeij respexisse, tacitúsque eum inuocasse: scilicet instante iam facinoris tempore animo diuinitus concitato, atque ea perturbatione prioribus sententijs excussis. Antonium Cæsari fidum & robustum hominem, extra curiam D. Brutus detinuit, iniecto studiosè longiori sermone. Cæsare ingresso senatus assurrexit honoris causa, coniurati partim post sellam eius circumstiterunt, partim obuiam iuerunt, Tullio Cimbro pro fratre exule deprecanti adfuturi, & vsq; ad sellam comitati sunt, preces suas pro eo interponentes. Postquam consedit Cæsar, & preces eorum repudiauit, acrisque vrgentes singulatim obiurgauit: Tullius togam eius vtraque manu comprehensam à collo detraxit: quod signũ erat inferendarum Cæsari manuum datum. Tum primus ei Casca pugione secundum ceruicẽ vulnus inflixit haud quaquam lethale: nimirum initio magni facinoris consternatus. itaque Cæsar obuertit se, & arrepto pugione exclamauit Latinis verbis, Scelerate Casca quid agis? simul Casca Græco sermone fratris auxilium implorauit. Hoc facto initio, qui nõ erant cõiurationis conscij, ita sunt obstupefacti, vt neq; fugere, neq; opitulari, neq; omnino vocẽ vllam edere auderent: coniurati gladium vnusquisq; suum strinxerũt. Ita Cæsar circulo armatorum inclusus, & quocunque faciem conuerteret, ictibus occurrens in ferrũmque offendẽs vultui oculísque intentatum, feræ instar inter manus omniũ sese obuersauit: omnes enim oportuit participes cædis

*Cæsar in senatu trucidatur.*

eius

eius fieri, ideóque vnum etiam vulnus ad inguen ei Brutus
" impoſuit. Perhibent Cæſarem, cùm reluctatus aduerſus cæ-
teros eſſet, vociferánsque corpus hinc inde iactaſſet, vt vi-
derit Brutum gladium nudaſſe, toga caput obnubiſſe, ac ſe
ſiue fortuitò, ſiue compulſum eò à percuſſoribus demiſiſſe,
ad baſin ſtatuæ Pompeianæ: & hanc cædes iſta cruore opple
" uit, vt videri poſſit ipſe Pompeius ſupplicio inimici adſtitiſ-
ſe, ſub pedes eius collapſi, ac prę multitudine vulnerum cal-
" citrantis. viginti enim ac tria vulnera accepit: & multa dum
in vnum corpus tot plagas ingerunt, ſeſe mutuò conſaucia-
runt. Cæſare interfecto, quamuis in medium progreſſus
Brutus eſſet verborum de re acta faciendorum cauſa, ma-
nere tamen Senatus non ſuſtinuit, ſed fuga ſe per fores pro-
ripuit, tumultúque & dubio metu populum repleuit, ita vt
quidam ædes clauderent, alij menſis & tabernis relictis ad
curiam accurrerent viſuri cadauer, quidam eo ſpectato in-
de procurrerent. Antonius & Lepidus præcipui Cæſaris a-
mici in alienas domos confugerunt. Brutus verò cum ſo-
cijs, vt adhuc à cæde calebant, nudos oſtendentes gladios
vniuerſi à curia agmine facto Capitolium petierunt, non
fugientium ſimiles, ſed hilari vultu & audaciam præſe fe-
rente, populúmque ad libertatem vocarunt, obuioſúmque
optimum quenque adſciuerunt, & in arcem euaſerunt.
Fuerunt qui ſe eis adiungerent, vnáque aſcenderent, & ſo-
cietatis perpetratæ cędis gloriam ſibi arrogarent, vt Lentu-
lus Spinther, ac C. Octauius: qui paulo pòſt pœnas vanita-
tis ſuæ dederunt, ab Antonio & iuniore Cæſare necati. cùm
ſanè reliquis fidem eis derogantibus ne gloria quidem ea,
ob quam mori cogebantur, perfrui eis contigiſſet: & non
facti, ſed voluntatis cauſa ſupplicium eis imponeretur. Po-
ſtridie Bruto cum ſuis digreſſo, & in concione facti ratio-
nes edente: populus neque indignatione, neque collauda-
tione facti verba eius proſecutus eſt: altóque ſilentio oſten-
" dit ſe Cæſaris miſeratione, Brutíque verecundia teneri. At
*Obliuio ſanctitur.* Senatus obliuione iniuriarum, omniúmque aduerſus om-
nes pacificatione conſtituta, Cæſari diuinos honores de-
creuerunt, vtque nihil ne leuiſſimum quidem eorum quæ
is dictator ſanxiſſet reſcinderetur: Bruto quoque & ſocijs
prouincias dignósque honores tribuerunt. iámque omnes
exiſtimabant pacatam eſſe rempublicam, & optimè omnia
compo-

composita. Verùm vbi testamentum Cæsaris recitatum est, quo haud vile munus viritim is ciuibus legauerat, corpúsque eius per forum ducto funere spectatum est, vt erat laniatum vulneribus: statim multitudo nulla decori, nulla ordinis habita ratione, subsellia à foro, & cancellos & mensas ad cadauer Cæsaris accumulauerunt, ijsque cremauerunt: alij arreptis ardentibus facibus ad ædes interfectorum eius accurrerunt, ijsque incendium minati sunt: alij per totam vrbem discurrerunt, comprehendere eos & discerpere, si obuiam tulit, sed tuto se quisque loco continebat. Erat quidam amicus Cæsaris, Cinna nomine. Is superiori nocte secundum quietē visus erat sibi à Cæsare ad cœnam vocari, cúmq; detrectaret, ab eo manu abduci inuitus atque repugnans: tum verò audiens Cæsarem in foro cremari, honoris causa eò se conferre cœpit, tametsi & insomnio nonnihil terreretur, & febricitaret. Hunc cùm de multitudine vnus vidisset, percontanti alteri quis esset indicauit, isque rursus alteri: ita confestim apud omnes rumor increbruit, esse hūc vnum de interfectoribus Cæsaris. Etenim fuit inter coniuratos alius quidam Cinna: quem illi tum sibi offerri putantes, hominem in media turba facto impetu discerpserunt. Hoc maximè facinore perterriti Cassius & Brutus, cæteríque eorū socij, paucis interpositis dieb. Roma discesserunt: quæ deinde egerint, quæ pertulerint, vtque perierint, in Bruto perscripsimus. Mortuus est Cæsar annos natus LVI. quatuor post Pompeij obitum, haud pluribus annis, cùm vix dum potentiam & imperium, quod per omnem vitam ac tot pericula quæsiuisset adeptus, nullum eius fructum nisi nomē solum, & inuidiosam gloriam apud ciues percepisset. Magnus tamen ille genius, qui viuenti adfuit, mortui quoque cædem persecutus est, autores eius terra marique agens & inuestigans eousque, dum nemo eorum superesset: sed quicunq; in facinoris partem vel facto, vel consilio venissent, pœnas dedissent. Ex ijs quæ hominibus euenerint, maximam Cassij casus admirationē meretur. Is enim victus apud Philippos, eodem, quo Cæsarem, gladio sese peremit. De ostentis diuinitus factis, cometa ingens, qui septem noctes à morte Cæsaris splēdidus apparuit, octaua euanuit: & solis obscuratio, qui totum illum annū pallido & nihil rutilante circulo ortus

*Tumultus in funere Cæsaris.*

*Cædis Cæsaris vltio.*

tus est, imbecillúmq; à se & tenuem diffudit calorem, ita vt aer ob defectum eius à quo discernitur & temperatur caloris caliginosus grauisque fuerit, ob eiúsque frigiditatem fruges non satis percoctæ maturatæq; extiterint. Maximè autem omnium Bruto ostentum factum demonstrauit, Cæsaris cædem Dijs displicuisse. Exercitum enim Abydo in oppositam continentem traiecturus, cùm in tentorio more suo non dormiens, (nemo enim, vt perhibent, imperator illo minus dormitauit, aut plus vigiliæ temporis impendit) sed futura secum animo prospiciens quiesceret, visus est sibi apud fores strepitum quendam exaudire, respiciensque, lucerna iam deficiente terribilem imaginem viri inuitatæ magnitudinis, horrendæque formæ vidit. Perterritus primùm, vt nihil agere aut loqui, sed tacitè adstare lecto sensit, percontatus est, ecquis esset: respondit ei vmbra, Sum tuus ij Brute malus genius, apud Philippos me videbis. & Brutus tum constanti animo, Videbo, inquit: statímque recessit spectrum. Postea temporis apud Philippos cum Antonio & Cæsare congressus, priori prœlio hostes à sua parte fudit, & insecutus eos, castra Cæsaris diripuit. Iterũ pugnaturo spectrum idem noctu occurrit, tacitum tamen: itaque intelligens fato se vrgeri, cõiecit seipsum in pugnæ discrimen. Neque tamẽ in prœlio cecidit: sed fusis suis in præruptũ quendam confugit locum, nudóque pectore in gladium incubuit, & quodam ex amicis (vt traditum est) ictui vehementiũ addente mortuus est.

## IN CÆSAREM ANNOtata ab Interprete.

### 1. Cinnæ, qui tyrannidem.]

Κίννα τῦ μοναρχήσαντος. *Vsus est hoc vocabulo Plutarchus hîc aliquãtulum improprie.* μονάρχης *seu* μοναρχος *pro tyranno, &* μοναρχεῖν *pro tyrãnidem gerere, apud Græcos sæpe dicuntur: vt apud Lucianum Phalaride secũdo,* ἦ γ' ὃς ἥδιστον ὅπ πρεσβεύεται τὸν τῦ μονάρχυ εὐσέβειαν. *& Polybius sic libro secundo sæpe est locutus, vt* βύρειοι, τὸν τύραννον ἀποκτείναντες. *mox,* ἀπολωλότα τὸν ἐν βύρᾳ μόναρχον.

Nimirum

Nimirum id vocabuli tum eum significat, qui solus rerũ potitur, idq; iniustè. L. autem Cornelius Cinna non solus quidem, sed cum collegis quatuor Consulatũ gessit: quod tamen ij ferè ab ipso pendebant, & nutu Cinnæ agebantur omnia; iúq; Marianam tyrannidem resuscitauerat, non malè dicitur hic μοναρχῆσαι. Dictatorem quidem fuisse (quod interpres habet) rectum non est.

2 Præfectum Asiæ Iunium.] ἴόυνιον. Iulium interpres. Ego Iunium posui, non tam quod hoc Græcis literis est affinius, quàm Velleium secutus Paterculum: apud quem, vbi hæc historia describitur, procõsul Asiæ nominatur Iunius, qui tum in Bithynia ageret.

3 Apollonium Molonis F.] M. Tullius in Bruto, Suetonius, & alij, Apollonium Molonem vocãt. Quod autem sequitur de dimissa ab eo prima eloquentiæ gloria, verti coniecturam secutus. locus enim est mendosus: & fortassis sanari posset, si ita legatur, τὸ δὲ πρωτεῖον, ὃ οὐχ ὅπως τῇ δυνάμει τοῖς ὅπλοις πρῶτον εἶη μᾶλλον, ὑφεῖναι· ἀλλ' ἀχολιθεὶς πρὸς ὅπερ. &c. Nihil tamen contendo.

4 Vno digito caput scabere.] Hæc in molles dicũtur; à quibus non facilè timendum Reipub. videtur. Tale est etiam, de malè cincto Cæsare, Syllæ iudicium. Caput autem scabere vno digito, de mollibus dici, vel ex Clodianis in Pomeium contumelijs, ex nostro autore cõstat. Sic & Lucianus de molli & effeminato dicit; ἄκρῳ τῷ δακτύλῳ τὴν κεφαλὴν κνώμενον ῥᾳ̃τ. διδασκ.

5 Mulieres in funere laudatæ.] Liuius libro 5. Matronis pro auro ad liberandam à Gallis Romam collato gratia acta, honosq; additus, vt earum, sicut virorum, post mortem solennis esset Laudatio,

6 Cum prætore Vetere.] βαίτωει. quod mendosum esse, facile quiuis viderit. Angelus Tuberonem supposuit: id est augere malum, & historiam deprauare. Secutus eum est tamen

*tamen Amiotus. Cæsarem sub Antistio Vetere quæstorem fuisse, testatur Velleius Paterculus. Ergo legendum* βέτερι. *Quod autem de tertia Cæsaris vxore sequitur, ea filia fuit Qu. Pompeij, Syllæ neptis. Primam autor non commemorauit, quæ fuit Cossutia, de equestri ordine: qua dimissa, Corneliam Cinnæ filiam duxit. Suetonius.*

7 Trecenties sestertiûm.] *Interpretis erratum hic refellere mitto. summam autem ego hãc posui, vt intelligeretur mendum hic esse: quod enim legitur* πεντακόσια πεντήκοντα, *legendum est* ἑπτακόσια πεντήκοντα: *Nã hac summa per talentorum numerum in vita Catonis expressa est ita,* χιλίων διακοσίων ἢ πεντήκοντα ταλάντων, MCCL. *talentis. quæ si in myriades drachmarum conuertas, erunt* DCCL. *myriades. etenim talenti ea est ad myriadem proportio, quæ ternarij ad quinarium: hoc est, quinque talenta æquantur tribus myriadibus drachmarum. Item quinquaginta talenta efficiunt duodecies sestertiûm. qua de re hic non est differendi locus.*

8 Ea verò expeditione.] *Quæ ante hæc verba interpres habet de equo Cæsaris, in meo Græco non sunt. itaque omisi. Omisit etiam Amiotus. Inuenies autem apud Plin. lib. 8. cap. 42. & apud Tranquillum.*

9 CCCC. millia.] *Videtur ex Cæsare hoc habere, qui ostendit maximam Germanorum partem occisam: cum quidem numerus eorum fuisset* CCCCXXX. *millium, vt* XXX. *modò millia euasisse videantur. Angelus* XL. *non* CD. *millia vertit: vt appareat eum pro* μυριάδες *legisse* χιλιάδες. *Et quidem probabilior videtur hic numerus.*

10 Vlq; ad Ararin.] ἀδείαν. *interpres Ararin: quod & mihi probatur. præsertim cum ne Galliam quidem omnem Vercingetorigis concussérit rebellio, nedum vsque ad sinum Adriaticum iste motus peruaserit.*

11 Inuitis consulibus.] διὰ τῶν ὑπάτων. *Secutus est hoc*

hoc Angelus, & hunc Gallicus interpres. cum quidem nullus ita possit esse sensus. Ex historia, quæ est apud Dionem initio libri 41. apud Ciceronem multis locis, & apud omnes ferè huius belli scriptores, constat βίᾳ, non διὰ legendum.

12 Et ferrum crebris ictibus.] σίδηρος ἐξέκαμε. Angelus legisse videtur ὁ μηρὸς, femur. Sed nullus erit sēsus. Indicant autem suis corporibus à Cæsare nō parci. cùm quidē ferrum etiam & arma adsiduo vsu consumātur, lædantur, & nedum corpora hominū eos illæsa labores sustineant. Paulo antè est νώειχον, pro ὤειχον: notius mēdum, quàm vt imponere cuiquam debuerit. & πολεμίων, pro πολέμων.

13 Radicem quandam.] Charam eam Cæsar lib. 3. belli ciuil. nominat. De lapsana seu cyma syluestri idem refert Plin. cap. 8. lib. 19.

14 Afranius etiam.] Malè in Græco legitur ἀφρᾴνιον ὄ: vt Fauonius interrogasse Afranium videatur, quomodo & interpres accepit. quod falsum esse, vel ex Pompeij vita deprehenditur. Etenim Afranius ægrè ferebat, quod pecunia potius corruptus, quàm Cæsaris vi & peritia superatus, tradito ei exercitu ex Hispania fugisse crederetur: itaque tum pugnam detrectantem Pompeium arguebat, calumniamq; inimicis reponebat. quasi diceret: si non armis, sed pecunia vincere Cæsarem, emiq; ab eo, non capi prouincias creditis, quî fit, quòd non cum eo confligitis? cur non experimini eū, vt ego sum expertus?

15 Cornificium cum duabus.] κορφίνιον. nihil planè mihi constat. Legi tamen Cornificium, de quo etiam pòst.

16 Cornificij, Antonijq;.] De Amintio hoc nihil habeo. Cornificium iterū posui, qui est in Græco κορφινίῳ: neq; tamen magnopere asseuero L. quendam Cornificium à Cæsaris partibus stetisse bello Pompeiano, & ab eo fuisse in honore habitum, ex oratione Cic. pro Qu. Ligario intelligitur. An de eo hic dicatur, haud scio. Id quidem ausus sum vt Cornificium

*nificium (vel quisquis tandem fuit) ante Antonium ponere: est enim locus interpolatus. Quæ de Pompeij domo dicuntur, satis constat ad Antonium pertinere, cùm ex alijs, & vita Antonij, tum ex Philippica Ciceronis secunda.*

## PLVTARCHI PHOCION, GVILIELMO XYLANDRO, AVGVSTANO, INTERPRETE.

*Demadē & Phocionē confert.*

DEMADES orator cùm Athenis potentia valeret, eo quòd ad gratiam Antipatri & Macedonum omnia sua in repub. consilia accommodaret, multa interim dicere ac scribere contra dignitatem & consuetudinem ciuitatis coactus, veniam sibi deberi dicebat, qui naufragia reipublicæ gubernaret. Quod etsi dictum videri potest ab eo audaciùs: tamen ad Phocionis transfatum reip. administrationem, locum habet. Nam Demades quidem ipse fuit ciuitatis naufragium, quia ita libidinosè vixerit, vt de eo iam ætate prouecto Antipater diceret, linguam tantùm eius & ventrem, veluti confectę hostię, superesse. At Phocionis virtutem cum tempore, graui & violento aduersario, quasi sorte comparatam, fortunæ Græciæ obscuram ingloriámq; effecerūt. Neq; enim Sophocles audiendus est, qui virtuti vires derogat, ita scribens:

*Neq; enim ictus infortunio compos manet*
*Mentis: licet antè sapuerit vel maximè.*

*Vis virtutis & fortunæ.*

Id quidem virium credendum est habere fortunam bonos viros oppugnantem, vti pro merito honore & gratia quandoq; grauibus reprehensionibus & calumnijs eos onerans, virtuti fidei aliquantum deroget. Sanè videtur populus rebus præsertim secundis insultare bonis viris, fortunæ fauore & rerum statu læto elatus: contrà tamen fieri solet. Nam

*Res aduersæ.*

res aduersæ morosos semper multitudinis animos efficiunt, irritabilésque, & qui leuissimam ob causam iras concipiant: aures quoque difficiles & delicatas, ac quæ ab omni sermone ac verbo vehementioti lædantur. Peccata enim increpans aliquis, exprobrare eis infortunium videtur: & liberè si loquatur, contemnere. Ac quemadmodum vulnerata & exulcerata corporis partes mel offendit: ita sæpenumerò verus & prudens sermo, nisi admixtam habeat lenita-

lenitatem & obsequium, mordet & exasperat aduersam fortunam expertos. atque hoc est opinor, cur Homerus ea quę dulcia sint, animo obsecundantia (id enim videtur Latinis esse, quod Græcè menoeikes effertur) dixerit: nempe quod animæ parti ei quæ voluptatem percipit, concedant, neque eirepugnent. Atque vt oculus inflammatione laborans vmbrosos & obscuros colores libenter inspectat, splendidos & luminosos auersatur: itidem ciuitas rebus parum prosperis vtens meticulosior est, & delicatior, quàm vt perferre liberiotis sermones possit: cùm quidem hi maximè tum requirantur, quòd correctionem eorum quę peccantur status rerum non admittit. Itaque eo tempore in repub. versari, periculosissimum est: nam & qui grata populo loquuntur, vnà pereunt: & qui secùs faciunt, ab eo perduntur. Quemadmodum igitur solem mathematici perhibent neque eodem quo cœlum motu ferri, neque prorsus tamen contrario, sed obliquo & deflexo cursu leuiter in curuis circuitionib. conuerti, quibus temperat omnia quàm rectissimè & cõseruat: ita in republica etiam administranda rectus nimis, & vbiq; populari sententiæ repugnans tenor, durus est & inhumanus: rursusq; ad perniciem procliue est, obsequi per omnia, & vnà cum peccantibus abripi se pati. Quæ verò & morem gerit aliquãdo petentibus, & gratificatur aliquid, gratiámque rursus commodi publici causa reposcere nouit gubernatio hominum, multis rebus placidè atque vtiliter, si non pro imperio omnia exequi cogantur, subseruiẽtium: ea demum vt salutaris, ita & perdifficilis est laboris, grauitatem habens cum mansuetudine coniunctam. Quæ duo si inter se commisceantur, nulla profectò modorum aut sonorum concinnior dici potest suauiórque harmonia: quo modo etiam Deus temperare mundum dicitur, non cogendo, sed necessitatem obtemperandi persuadendo deliniens. Eorũ, quæ à nobis hactenus sunt disputata, exemplum in Catone minore proponimus, homine ad persuadendum & fauorem gratiámque multitudinis alliciendam minimè apposito ingenij. Hunc Cicero consulatu excidisse ait, quòd diceret tanquam in Platonis repub. non tanquam in Romuli fæce sententias. Mihi verò idem videtur ei contigisse, quod alieno tempore enatis fructibus: Vt enim hos spectamus non sine gaudio & admiratione, neq; tamen vtimur: sic mores

*Cato cur reip parũ vtilis fuerit.*

res Catonis ad antiquæ virtutis exemplum compositi longo pòst tempore, corrupta iam & profligata viuendi honestate, cum laudarentur, & in magna essent gloria, nullo tamen fuerunt vsui, quòd virtutis eius grauitas istis temporib. non congrueret. Quippe tametsi non inclinata prorsus, vt Phocion, patria, magna tamen tẽpestate & æstu iactata, malum & rudentes apprehendens, contráq; vim maiorem reluctari aggressus, quanquam clauo & gubernatione depelleretur, plurimum tamen negocij fortunæ exhibuit: aliorũ enim opera remp. ea euertit, idq; difficulter, ac diu Catoniana virtutis præsidio subsistentem, & propè victória potitã. Cum hoc Phocionem comparamus, non communes illas secuti similitudines, quòd boni fuerint, & reipu. studiosi viri (nam & fortitudo alioquin in alio alia est, vt in Alcibiade & Epaminonda: & prudentia nõ vnius generis, veluti Themistoclis & Aristidæ: & iusticia à iusticia differt, quemadmodũ Numæ & Agesilai) sed horum virorum, etiam si extremas & tenuissimas consectere differẽtias, eandem planè formam, eandem effigiem, eundem colorem habent, idem in vtroq; ingenium fuisse ostendunt, temperatum paribus austeritatis & humanitatis, prudentiæ in cauendis periculis & fortitudinis, procurationis aliorum salutis & metus (quod ad se attineret) vacuitatis, fugæ turpitudinis & constantiẽ in persequẽda honestate portionibus. ita vt tenui admodum oratione tanquam instrumento ad inuenienda & diiudicanda eorum discrimina opus sit. Et Catonem quidem constat illustri prognatum genere, vt pòst dicemus. Phocionem autem arbitror non obscura prorsus aut humili familia ortum. Nã si pater eius fuisset cocleatium faber, id quod Idomeneus asserit, haud profectò id Glaucippus Hyperidis F. in ea oratione, qua alia infinita contra Phocionem conuicia est complexus, præterijsset: neque ita liberali ac honesto vitæ instituto, disciplináque vti potuisset, cùm quidem sciamus adolescentulum Platoni, deinde in Academia Xenocrati operam dedisse, & à tenera statim ætate optimis quibusq; studijs incubuisse. Duris refert, neq; ridentem neque flentem ab vllo Athenienſium temerè conspectum fuisse, neq; in balneo publico lauantem, neque manum extra pallium, si eo amiciretur, exerentẽ: etenim ruri aut militiæ nudus semper & absq; calceis incedebat, nisi frigus vehementissimum

*Phocionis genus.*

*Mores.*

tissimum & intolerabile incidisset: ita vt per iocum etiam milites intensum gelu significari amicto Phocione dicerēt. Cùm autem ingenio esset humanissimo, magnáq; præditus comitate, ex vultu tamen austerus & difficilis alloquentib. apparebat: ita vt eorum qui non vnà consueuissent nemo facile solus eum compellaret. Itaq; Chareti in supercilium aliquando ipsius verba facienti, arridentibus Athenien sibus, Nihil, inquit, vos hoc supercilium læsit: sed istorum risus in multas lacrymas ciuitatem coniecit. Sermo etiam ipsius salutaris erat, & in bonis animi cogitationibus exprimendis felix, imperiosa quadam & austera nullísq, condimentis edulcata breuitate contentus. Quod enim Zeno dicebat philosophum verba prius in animum demersa proferre debere, id in Phocionis erat oratione, vt paucissimis verbis plurimum sententiæ comprehenderet: eóque respexisse Polyeuctus Sphettius videtur, oratorem optimum Demosthenem, Phocionem summa dicendi vi præditum dicens. Nam vt nomisma exiguo pondere plurimum precij continet: ita vis dicēdi paucis vocibus multa indicat. Ferunt ipsum quoque aliquando Phocionem, cùm eum repleto theatro solum cogitabundúmq; in scena obambulātem quidam amicus dixisset sibi videri meditari quippiam, respondisse, Et verò meditor, si quid de oratione, quam ad populum habiturus sum, possim detrahere. Demosthenes etiam cùm reliquos oratores nihili faceret, Phocione ad orandum assurgente, submissa voce dicere solebat, Meorum sermonum secutis adest. Tametsi id fortassis ad mores eius referendum est: vnum enim boni viri verbum, vnus nutus, sexcentis argumentis ac verborum continuationibus parem fidem meretur. Iuuenis etiamnū Phocion Chabriæ duci se adiunxit, eúmque assiduè comitatus, multum ab eo ad rei militaris consequendam peritiam adiutus est: inæquale etiam eius vicissim, intemperatúmque ingenium non vna in re correxit. Segnis enim alioqui, & cunctator Chabrias, ipsis in certaminibus inflammabatur, ita vt nimis temerè cum audacissimis in pericula ferretur: quomodo etiam in Chio perijt, cùm primus omnium triremem terræ appulisset, & exscensionem vi conaretur. At Phocion, qui & cautus esset, & strenuus, Chabriam cunctantem excitare, & rursus intempestiuè ruentem inhibere solebat. Itaque eum Chabrias, vir

*Oratio.*

*Chabriæ amicitia.*

liberalis ingenij charum habuit, Græcísque notum fecit, & ad res gerendas atque imperia prouexit, operáque eius in maximis negocijs vsus est. Nauali præsertim apud Naxum certamine nomen & gloriam Phocioni haud exiguam conciliauit, sinistro ei cornu commisso: apud quod & pugnatum est acerrimè, & hostes primùm victi. Hac primùm post captam vrbem nauali pugna Græcos vicerunt Athenienses, aliorum auxilio destituti, Chabriámq; summo amore complexi, Phocionem quoq;, vt imperio gerendo idoneum virum, celebrarunt. Victoria parta est, quo tempore Athenis magna mysteria peragebantur: & quotannis Chabrias propterea die Boedromionis XVI. Athenienſibus vinum dimensus est. Missus deinde ab eo Phocion ad exigendam ab insulis pensionem cum viginti nauibus, dixisse fertur, Maioribus opus esse copijs, siquidem ad bellum mittatur: sin ad socios, vnam nauim sufficere. vectúsque vna triremi, cum ciuitatibus & magistratibus ingenuè & benignè collocutus, multis cum nauibus Athenas redijt, quæ à socijs missæ pecuniam aduehebant. Neque viuum modò Chabriam summa coluit & obseruauit constantia, sed mortui quoque necessariorum curam fideliter gessit: ac filium eius Ctesippũ cùm niteretur præclarum virum redigere, stolidum videns, & disciplinæ haud capacem, corrigere tamen, & dedecora eius velare non destitit. Semel tantùm fertur, adolescente militiæ obturbãte, intempestiuísque interrogationibus & consilijs molestante, ac corrigendi partes sibi sumente, inque administrationem imperij ingerente, dixisse: ô Chabria, Chabria, magnam tibi amicitiæ mercedem rependo, qui filium tuum tolerem. Cernens autem eos qui tum rempublicam gerebant, inter se veluti sorte prætorium & tribunal diuisisse, & alios apud populum tantum concionari legesque rogare, vt Eubulum, Aristophontem, Demosthenem, Lycurgum, Hyperidem; Diopeithem autem, Menestheum, Leosthenem & Charetem bello & exercitibus ducendis opes sibi parare: statuit Periclis, Aristidis, Solonísque institutum sequi, & vtraq; re coniuncta perfectum reipub. administrandæ officium suscipere. Vnusquisq; enim eorum videtur fuisse, vt est apud Archilochum,

*Vt rempu. gesserit Phocion.*

*Gradiui iuxtà per atrocia bella minister,*
*Dulciaq; edoctus munera Pieridum.*

ipsamq;

ipsamq; Mineruam sentiebat bellicosam simul & ciuilem esse atque dici. Hoc modo cùm se comparasset, cõsilia quidem domi semper ad pacem ac quietem attinentia agitauit, imperia verò plura quam vllus æqualium aut superiorum ducum obiuit, non ambiens ea, neque tamen à ciuibus oblata subterfugiens. est enim in confesso, quadragies eum ac quinquies ducem creatum, cùm nunquam interfuisset comitijs, sed absens semper delectus vocatúsq; fuerit. Quo factum est, vt quidam haud satis sapientes populi consilium mirarẽtur, Phocionem crebrò ei repugnare solitum, nihilque in eius gratiam aut fecisse vnquam, aut dixisse scientes? cùm tamen, quemadmodum reges solent adulatoribus vti postquam mensæ accubitum est: ita populus vrbanioribus istis & blandis oratorib. quasi animi causa vteretur: ad imperia autem sobrius & seriò agens austerissimum & cordatissimum ciuem vocaret, eum, qui vnus, aut omniũ maximè voluntati cupiditatibúsq; multitudinis obsisteret. Sanè cùm esset oraculum Delphis allatum, Omnibus Athenien sibus idem sentientib. vnum esse, qui contra ciuitatẽ sentiret: progressus Phocio, Desinite, inquit, solicitè inquirere quisnam is sit vir: ego sum, de quo quæritur. soli enim mihi nil eorum quæ aguntur probatur. Cùm aliquando apud populum suã dicens sententiam, videret ab vniuersis eam accipi, & se laudari, conuersus ad amicos, Numnam, ait, aliquid imprudẽs male dixi? Athenien sibus ad sacrificium quoddam stipem petentibus, multísq; dantibus, cũ sæpius ipse poscereturr, Adiuitibus, inquit, ista petite: pudeat me si vobis largiar, & huic (Calliclem ostendebat fœneratorem) non reddã quod debeo. cùm clamandi finem & conuiciandi nullũ facerent, fabulam eis hanc narrauit. Virum quendam timidum cùm ad bellum exiret, coruorum audito clamore, positis armis quieuisse: iterum deinde armis sumptis progressum, rursus ijs crocitantib. substitisse, & ad extremum dixisse: Vos quantum libet & potestis clamabitis, me quidem non gustabitis. Alio tempore iubentibus ciuibus, vt in hostẽ duceret, cũmque id recusaret, timidum & ignauum vocãtibus, Neq; vos, inquit, me audacem, neq; ego vos timidos potero efficere. Sed nouimus nos inter nos. Periculo graui imminente magnos contra ipsum tumultus populo concitante, vtque rationes gesti imperij ederet postulãte, Sinite, inquit, vt priùs

*Præclara eius aliquot dicta.*

vos seruem. Cùm in bello pusillanimes fuissent ac meticulosi Athenienses, facta autem pace ferocirent, Phocionémque victoriæ ipsorum obstitisse vociferarentur: Felices estis, ait, qui imperatorem vestrorum ingeniorum gnarum habeatis: alioqui iam pridem perijssetis. Cùm de agro cum Bœotis non iudicio, sed armis disceptare vellent, consuluit, vt verbis potiùs quib. præstarẽt, quàm armis, quibus essent inferiores, decernerent. non admittentibus autem ipsius orationem, neque aures præbentibus, Potestis quidem, dicebat, me cogere vt faciam quod nollem: cogere vt dicã quod non sentio, non potestis. Ex oratoribus ipsi aduersarijs Demosthenì dicenti, Occident te ô Phocion Athenienses, vbi insanierint. Te verò, inquit, vbi sapuerint. Polyeuctum Sphettium cernens æstu graui Athenienses suadere vti bellum contra Philippum susciperent, & ob sudorem multum anhelitúmque difficilem (erat enim perobesus) idemtidem aquã potare. Enimuero, inquit, ciues, par est vos huic fidem habere, & bellum decernere: quid enim existimatis eum in thorace & clypeo facturum vbi prope hostes erit ventum, qui nunc dicens apud vos quæ est meditatus ante, periculum est ne suffocetur. Lycurgo in concione multis in ipsum maledictis inuecto, & ad extremum exprobrante, quòd decem ciues quos sibi dedi Alexander postulauerat, dedi consuluisset. Sanè, inquit, multa ego vtilia populo consului, sed non parent mihi. Erat quidam Archibiades, cui ab imitatione Spartanorum Laconistę erat cognomentum: ferebat longam ingentemque barbam, palliolúmque, & tristi semper vultu vtebatur. Hunc in consilio conturbatus Phocion orationis suæ testem adiutoremque inuocabat: cúmque is ea dixisset, quæ grata in vulgus sentiret, barbam ei tangẽs dixit, O Archibiade, cur ergo non tondebaris? Cùm exercitus conscribendi causa pro tribunali sedens, Aristogitonem sycophantam, qui in concionibus ad bellum excitare populum solitus fuerat, procul cum baculo & crure obligato adire videret, acclamauit: Scribe Aristogitonem etiam claudum & nequam: Ac mirari quidem possit non nemo, quomodo ita seuerus & durus nomen Boni inuenerit. Sed arbitror vt difficile esse, ita tamen fieri posse, vti idem homo (sicut & vinum) dulcis simul & austerus sit: quemadmodum contrà nõnulli, cùm suaues videãtur, acerbissimi sunt

*Boni cognomen.*

vtentibus, & plurimum nocent. Ferunt sanè Hyperidem etiam aliquando ad populum ita locutum: Cogitate ô Athenienses non modò an sim acerbus, sed etiam iniuriáne talis sim: innuens eos, qui cupiditatibus populi repugnando molesti sunt, à populo magis solere metui, atque traduci, quàm qui potentia sua in libidines, inuidiam, iram, aut contentiones abutuntur. Equidem Phocion inimicitiæ causa nemini ciuium malè fecit, ac ne inimicum quidem vllum putauit: quantum res ipsa postulauit, vt aduersariis suorum quæ ob vtilitatem patriæ iniissent consiliorum resisteret, asperum se, peruicacémque præbuit. Priuatim communem, omnibúsque benignum & mitem sese exhibuit, ita, vt inimicis quoque infortunium passis auxilium tulerit, & in iudicio periclitantium salutem defenderit. Amicis reprehendentibus, quòd mali cuiusdam hominis causam in iudicio defendisset, respondit, Bonos eo auxilio non indigere. Cùm Aristogito sycophanta damnatus eum vocaret, vtque ad se veniret oraret, ad carcerem ire cepit: amicisque prohibentibus, Missum, ait, facite me inepti: quo enim loco mallem Aristogitonem conuenire? Socij quidem Athenienſium, & insulares, quoties alius aliquis Athenis legatus aut dux missus veniret, hostis loco eum habentes, portas occludebant, portus aggeribus obstruebant, ab agro in vrbes pecus, mancipia, vxores liberósque comportabant: si Phocion, procul suis nauibus coronati occurrebant, eúmque læti ad se deducebant. Cùm in Eubœam irrupisset Philippus, militésque in eam ex Macedonia traijceret, ac tyrannorum opera vrbes sibi adiungeret: Athenienses Plutarcho Eretrienſe vocante, orantéque vti insulam à Macedonibus occupatam liberarent, Phocio cum parua manu missus est: quòd spes erat insulares ei præstò adfuturos. Cùm verò in Eubœam aduectus, omnia proditorum plena, largitionúmq; corruptelis labefactata offendisset: magno cõstitutus in periculo, quod pugnæ aptissimum in exercitu erat, in colle quodam conualle profunda incluso in campis qui apud Tamynam sunt, continuit. Ibi cùm imperij impatientes ac nugaces prauiq; multi ex castris ad hostes transfugerent, & discederent, tribunos militum cohortatus est, ne eam rem curarent. istos & hic ob inobedientiam inutiles, & pugnantibus impedimento futuros fuisse: & isthic, consçios

*Eubœam Phocion liberat.*

conscios sibi deserti imperatoris, eò minus calumniarum aduersus ipsum dissipare ausuros. Ingruentibus deinde hostibus, quiescere suis in armis mandato dum rem sacrã peregisset, an quòd non litasset, an quòd propiùs ad castra pertrahere hostem cuperet, aliquantum temporis traxit. Itaq; primò Plutarchus, præ timore eum cunctari ratus, cũ mercenariis militib. excurrit: eo viso ne equites quidem se continuerunt, quin incomposito agmine, vt castris sese effundebant, in hostem impetum facerent. Iam & victi ab hostibus primi erant, & dissipati cæteri, & fugiebat ipse Plutarchus, & hostium nonnulli victos prorsus aduersarios rati, ipsa castra excindere conabantur: cùm Phocion perlitato Athenienses castris emisit. Hi subitò hostes adorti, magnam eorum partem apud munitiones fugientem occidunt. Phalangem Phocion continere se, & euentum expectare iussit, interimq; ad se fuga prius dispersos recipere: ipse cum delecta militũ manu in hostes impressionem fecit. Acri id prælium fuit, magnáq; omnium Athenienſium alacritas, insignis audacia: apud ipsum imperatorem Thallus Cinea, & Glaucus Polymedis F. pugnando primam laudem meruerunt. Cleophanis quoq; maximi fuit ea in pugna momenti opera, qui a fuga equites reuocans, hortánsq; vt in periculo versanti imperatori succurrerent, effecit vt ij reuersi peditum victoriam confirmarent. Secundum hæc Eretria Plutarchum expulit, & Zaretra castellum cepit opportunissimè situm, quo loco maximè vtroq; mari sibi occurrẽte angustissimo insula quasi Isthmo coarctatur. Hic neminem Græcorum captiuũ duci passus est, metuens Athenienſium oratores, ne ij populum eò perducerẽt, vt ira commotus in eos aliquid durius statueret. Postquam his confectis rebus domum rediit Phocion, statim socij bonitatem eius & iustitiam desiderauere, statim etiam Athenienses de peritia eius & fortitudine cognouerunt. Successor enim Molossus ita bellum gessit, vt vinus in manus hostium peruenerit. Deinde cùm Philippus in Hellespontum vniuersas copias duxisset, maxima quæque animo complexus, & sperans illicò se Cherrhonesо, Perintho, Byzanthióq; potiturum: Athenienſibus impedire conatum eis cupientibus, oratores obtinuerunt, vt eò cum classe Chares mitteretur. Is cùm nihil apparatu suo dignum egisset, neq; reciperetur vrbibus, sed

suspectus omnibus vagaretur, à sociis pecuniam exigens & cõtemptus ab hostibus: irritatus oratorum sermonibus populus stomacha habatur, & cõsilium opitulandi Byzantiis damnabat. Tum in concione Phocio, Non debetis, inquit, fidem vobis non habentibus sociis, sed ducibus vestris irasci, quibus ij fidem habere nolunt: hi enim efficiunt, vt metuamini ab iis etiam, qui nisi vestra opera ne salui quidem esse possunt. Hoc sermone populus motus, priori sententia repudiata, Phocionem noua cum classe in Hellespontum ad ferendum confœderatis auxilium misit. quæ res ad seruandum Byzantium plurimum conduxit. Gloriam verò Phocionis iam tum magnã auxit magnoperè, quòd cùm Cleon Byzantiorum virtute primus, & pridem Phocione in Academia familiariter vsus, fide sua pro eo apud ciues obligata effecisset, vt Byzantij eum extra vrbem castra habere non paterentur, sed intra muros reciperent, Athenienses q; suis permiscerent: miles eius non modestam modò & inculpatam vitæ rationẽ tenuit, sed & ob fidem sibi habitam promptissimum se ad omnia certamina præbuit. Itaque tum Philippus Hellesponto excidit, contemptuiq; est habitus, cùm inuictus antè videretur. Phocion autem quasdam naues eius cepit, vrbésque præsidio detentas occupauit, agrúmque multis locis egressus è nauibus incursionibus vastauit: tandem acceptis ab iis qui auxilio venerant regioni vulneribus, domum nauigauit. Vocatus deinde occultè à Megarensibus, ac metuens ne Bœoti præsentientes maturè eò accurrerent, prima luce populum in concionem aduocauit, Megarensiúmq; postulata proposuit: quæ cùm probata essent, signo tuba dato statim à cõcione armatos eduxit. Acceptus a Megarensibus studiosè, Niseam muro cinxit, duobúsq; longis muris ab vrbe ad nauale porrectis, vrbem cum mari cõiunxit: ita vt Megarẽses parui facientes hostes terra instantes, toti ab Athenien sibus pendẽrent. Cùm iam apertè contra Philippum bellum susc epissent Athenienses, & per absentiam Phocionis alios duces delegissent: Phocion ab insulis domum reuectus populum hortari cœpit, vti cum Philippo iam ad pacem inclinante periculúmque præsens metuente certis conditionibus pacem iungerent. Hic cùm quidam eorum quadruplatorum, qui circa Heliæam (iudicij locus est Athenis) versabantur, diceret: Et tu ô

*Byzantiũ seruat.*

*Niseam munit.*

*Pacẽ suadet.*

Phocion

Phocion audes Athenienſes arma iam manibus tenentes à bello dehortari? Maximè, inquit: idque ſciens te bello durante in mea, pace facta me in tua futurum poteſtate. Cum nihil obtineret, ſed Demoſthenis ſententia vinceret, qui quàm longiſſimè ab Attica prœlium conſerere Athenienſes iubebat: conuerſus in eum, Heus tu, inquit, non vbi pugnemus, ſed vbi vincamus deliberandum eſt. nam ſi vicerimus, ita tum bellũ à nobis procul remouerimus: victis nobis omnia mala proxima erunt. Cladem paſſis Athenienſibus, cùm turbatores & nouarum rerum affectatores Charidemum ad tribunal pertraherent, & ſummam rei deferret: optimates metu correpti conſilium Areopagitarum in populo detinentes multis precibus ac lachrymis ægrè impetrarunt, vt ciuitatis cura Phocioni committeretur. Is tametſi humanitatem Philippi amplectendam, & voluntatem eius obtemperandum ſuaderet, Demade tamen rogationem ferente, qua poſtulabatur vt Athenæ communis pacis Græciæ, conſilijque conſeſſus participes fierent: non antè id petendũ contendit, quàm conſtaret quæ eſſet à reliquis Græcis Philippus exacturus. Victus tamen iniquitate temporum, cùm ſtatim Athenienſes conſilij eius pœnitere videret (quippe & triremes cogebantur, & equites Philippo dare.) Hæc, ait, ego metuens Demadis ſententiã improbaui. Sed, quando conſenſiſtis, non eſt quòd iniquiùs ſortem veſtram feratis, grauiúsve doleatis. mementote maiores etiam veſtros modò imperando, modò parendo, cùm vtrunque horum rectè facerent, & ſibi & Græciæ ſalutem attuliſſe. Philippo mortuo, cùm ob tam lætum nuncium ſacrificare populus vellet, Phocion obſtitit. nam & ignobilis eſſe animi dicebat, morte alterius exultare: & copias à quibus eſſent ipſi ad Chæroneam victi, vnius tantùm hominis iacturam feciſſe. Demoſtheni Alexandrum iam Thebis exercitum admouentem conuicianti dixit:

7 *Quid tibi ſane virum vis irritare ferocem?*

& ingenti gloriæ cupiditate feruentem? viſne vicino rogo tam magno vrbem noſtram inijcere? nos quidem qui ob ſalutem ciuium magiſtratum gerimus, nunquam patiemur noſtros ſe in apertum exitium præcipitare. Dirutis Thebis cùm dedi ſibi Demoſthenem, Lycurgũ, Hyperidem, & Charidemum Alexander poſceret: Phocion, cùm in ipſum oculos in-

los intendisset concio, & sæpe nominatim vocaret, surrexit: ac iuxta se constituto Nicocle, quem singulari fiducia ac amore præ reliquis suis amicis colebat, Eò, inquit, infortunij vrbem nostram isti perduxerunt, vt etiam si hûc Nicoclem meum dedi Alexãder poscat, dedi iussurus sim. Et verò beatum me putauerim, si mihi pro vobis omnibus sit moriendum. miseret me, ô Athenienses, etiam eorum, qui Thebis huc confugerunt: sufficit tamen, solos Thebanos apud reliquos Græcos flere. Itaque & pro nobis, & pro illis deprecari apud victorem, quàm pugnare præstat. Alexandrũ autem ferunt cùm primum decretum Athenien sium accepisset, abiecisse id, & auersatum legatos fugisse: alterum à Phocione allatum accepit, cùm ex maiorib. natu audisset, Philippo quoque eum virum admirationi fuisse. Neq; cõgressum modò, precésq; Phocionis sustinuit, sed & consulenti aures præbuit. Suadebat autem vt bellum, si quietem peteret, deponeret: sin gloriam, à Græcis in barbaros transferret: locutúsq; multa Alexandri ingenio voluntatiq; conuenienter, ita hominem emolliit ac flexit, vt is Athenienses iusserit rebus intentos esse, dignos, si quid ipsi humanitus accidisset, qui reliquis Græcis imperarent. Priuatim verò amicitiam hospitiúmque cum Phocione coiuit, tantóq; in honore, quanto paucos familiarissimorum, habuit. Duris & Chares autores sunt, eum cùm iam victo Dario magnus esset, in epistolis porrò suis præter Antipatrum & hûc Phocionem nemini salutẽ adscripsisse. Quod subiungam, confessum & manifestum est. Centum ei talenta dono misit Alexander. Hæc cùm essent Athenas perlata, eos qui ferebãt percontatus est Phocion, Ecquid in tanta Athenien sium multitudine sibi soli tantum munus daret Alexander? respondentibus, Quod ipsum solum de omnibus virum bonum iudicaret. Sinat ergo, ait, me talem perpetuò & videri & esse. Illi vbi eum domum suam prosecuti, insignem vidêre tenuitatem, vxorẽ eius farinam subigentem, ipsum aqua de puteo hausta pedes lauare: magis vrgere vt acciperet intenderunt, indignam rem affirmantes, si regius amicus tam inopem vitam degeret. Tum Phocion pauperem senẽ conspectum qui sordida lacerna tectus incedebat, eis ostendit, & ac quæsiuit, vtrum se quam illum peius habere putarent. Bona verba, respondentibus eis: Atqui, inquit, is minoribus re-

*Alexandrũ placat Athenien sibus.*

*Pecuniam spernit.*

bus reditibus viuit, contentúsque est. Omnino autem aurum hoc aut frustra possidebo, non vtens, aut vtens, regem ac me finistris ciuium sermonibus obiecero. Itaque ergo pecunia rursum Athenis auecta est: innoruitq; Græcis tanti muneris recusatorem dante ditiorem esse. Cùm Alexander iniquè hoc factum tulisset, Phocionique scripsisset, se amicos non putare, qui ipso non vterentur: ne tum quidem pecuniam accepit Phocion: Echecratidem sophistam, Athenodorum Imbrium, duósque Rhodios Demaratum ac Spartonem criminũ quorundam causa in carcerem Sardibus compactos, missos fieri ab Alexandro postulauit: iíq; statim ab eo liberati sunt. Misso deinde in Macedoniam Cratero, Phocioni ex quatuor Asiæ vrbibus, Cio, Gergitho, Mylassis, & Elæa optionem deligendi quam vellet dedit, minans se grauiùs quàm antè indignaturum, nisi vnam earum accepisset. Sed neque accepit Phocion: & Alexander mox vita decessit. Domus Phocionis hodieque in Melita ostenditur, æreis ornata laminis, cæteroqui vilis & ornatus expers. Duas habuit vxores: quarum de priore nihil traditum est memoriæ, nisi hoc, Sororem eam Cephisodori sectoris fuisse: altera non minorem pudicitię & simplicitatis, quam maritus bonitatis laudem apud Athenienses habuit. Etenim quodam tempore cùm nouos histriones spectaret populus, introiturus iam in theatrum histrio, à ludorum præfecto personam reginæ, multásque splendidè ornatas pedisequas poposcit, eóque non præbente, indignè tulit, spectatorésque deinuit, progredi nolens. Tum Melanthius (is enim præerat ei spectaculo) in medium eum protulit, vociferans: Non vides vxorem Phocionis vna semper ancillula comitatam in publicum prodire? insolenter agis nimióque luxu gynæceum corrumpis. Hæc vox ad aures adsidentiũ in theatro perlata, ingentem applausum & strepitum excitauit. Ipsa vxor Phocionis, cum Ionica quædam hospita mundum ei suum, aurea & baccata gemmis monilia, cincinnósque pretiosos ostenderet: Mihi, aiebat, ornatus loco est Phocion, vigesimum iam annum Athenien-sium dux. Filio autem festiuitate Panatheniaca cupienti desultorio certamine contendere, Phocion obsecutus est nõ victoriæ cupiditate, sed vt cura in exercitationem corporis conuersa, mores corrigeret, potator alioquin, & immodestus.

*Vxores Phocionis.*

*Filius.*

stus. Victoria potitum cùm amici certatim ad conuiuium, quod victoriæ gratulandæ causa parati soleret, inuitarent, reliquis repudiatis Phocion vni omnium cõcessit: cúmq; ipse ad cœnam veniens, luxuriosè omnia apparata, pedésq; etiam intrantium vino per aromata diffuso lauari cerneret, Phocum (hoc eius filio nomen erat) ad se vocauit, &, Non, ait, prohibebis amicum tuum, ne luxu perdere tuam victoriam pergat. Vt autem planè à vita delicata filiũ suum abstraheret, Spartam eum abduxit, & in adolescentium qui certa disciplina formabantur, cœtum inseruit. Molestè id tulerunt Athenienses, quòd contemni ab eo & despici patrios mores putarẽt. Cùm verò Demades diceret, Cur non, ô Phocion, persuademus Athenienſibus, vti Laconico exemplo rempub. instituant? si enim iusseris, ego ea de re promulgare rogationem, & oratione populo suadere paratus sum: nimirum verò (respondit) te vnguenta olentem, & huiusmodi chlamyde amictum conuenit Athenienses ad phiditia cohortari, & Lycurgi leges laudare. Scripserat Athenienſibus Alexander, vt tritemes sibi mitterent. Id cùm impugnarent oratores postulatum, à senatu dicere sententiam Phocion iussus, Iubeo, inquit, vos aut armis superare, aut amicitia superiorum vti. Pytheam, qui cùm primùm verba ad populum facere inciperet, loquacem se & audaculum præberet, ita corripuit: Non tacebis tandem, idq; cùm nuper fis à populo emptus. Harpalus cùm magna cum pecunia ex Asia ab Alexandro profugus ad Atticam appulisset, ad eúmque oratores certatim accurrerent, auro ipsius intenti: his quidem de magnis opibus exigua inescãdi causa munuscula obiecit. Phocioni autem missis nunciis D C C. talenta obtulit, seque totum cum omnib. suis rebus fidei eius commendauit. Phocion asperè legatis respondit, Datum pœnas Harpalũ minitans, qui corrumpere ciuitatem non desineret: quo responso ictus Harpalus, solicitare eum destitit. Paulo pòst Athenienſibus consultantib. cùm videret eos qui pecuniã à se accepissent immutatos, ac ne facinoris manifesti fierent, ipsum accusare: Phocionẽ, qui dona repudiasset, salutis tamen ipsius, quantũ eius bono publico fieri posset, rationem habere: iterum se ad demerendũ hunc contulit. Quem cùm ambiens inexpugnabilem auro validæ arcis instar perstare videret, Charicles generum eius

*Harpalus Phocionẽ tentat.*

sibi

sibi conciliauit, omniáq; ei credens, inque omnibus rebus opera eius vtens, corrupit. Pythonica meretrice mortua, Harpalus, qui eam amasset, filiolámq; ex ea sustulisset, Charicli negocium dedit, vt sepulchrum ei magno sumptu extrueret. Auxit huius ministerij turpitudinem vilitas sepulchri, nihil dignum habentis triginta istis, quæ se impendisse in rationibus scripserat Charicles, talentis: exrat enim adhuc in Hermeo, qua ex Vrbe Eleusinam itur. Filiola quidem mortuo Harpalo est à Charicle & Phocione omni cura educata. Cæterùm Phocion Chariclem, cùm is inius ob munera ab Harpalo accepta vocatus patrocinium ipsius «imploraſſet, repulit dicens, se eum sibi generum omnibus honestis cõditionibus adsciuisse. Asclepiades Hipparchi F. primus omnium Athenas nuncium de obitu Alexandri attulerat. Huic fidem adhibendam negabat Demades: odor (inquiens) istius cadaueris iampridem per totum terrarum orbem dissipatus fuisset, si vera hic narraret. Phocion autem populum videns ad nouas res consurgere, dehortari & detinere verbis conabatur: multisque ad tribunal accurrentibus, ac vera nunciare Asclepiadem, & mortuum esse Alexandrum vociferantibus, Ergo (ait) si hodie vita caret, neque cras, neque perendie etiam viuet, licétque omnino nobis quietè, aut potiùs tutò consilia inire. Cùm Leosthenes populum in Lamiacum bellum conieciſſet, Phocion indignè id ferens cùm per risum interrogaretur ab eo, Quidnam vtilitatis contuliſſet patriæ, gesto per tot «annos imperio: Haud exiguum, inquit: effeci enim, vt ciues suis in monumentis sepelirentur. Eidem multa apud «populum audaciter iactanti, Sermones, ait, tui adolescens cupressorum similes esse videntur: quæ proceræ cùm sint, & magnæ, fructum tamen nullum ferunt. Hyperidi in cõcione assurgenti, & quærenti, Et quando tandem ô Phocion cessas Athenienſibus bellũ gerendum? respondit: Cùm vi«dero iuuenes velle ordinem tueri, diuites pecuniam cõferre, & oratores peculandi finem facere. Plerisque Leosthenis copias admirantibus & ex ipso quærentib. quomodo ei apparatæ viderentur, Bene, inquit, ad stadiũ currendum: sed ego ne in dolicho (id cursus prolixioris est genus) belli deficiamus metuo. nam neq; pecunias alias, neque naues, neq; milites habemus. Res ipsa sermonem eius comprobauit.

*Lamiacũ bellum.*

Primùm

Primùm enim præclaris vsus est successibus Leosthenes, superatis prœlio Bœotis, & compulso Lamiam Antipatro. Cum quidem Athenienſibus in magnam erectis ſpem, atq; ob tam lętos nuncios continenter ſacrificeantibus, Phocionem quidam redarguere aggreſſi interrogauerunt, ecquid hæc ita acta eſſe nollet? quibus is reſpondit, placere quidē ſibi iſta: malle tamen, ſuo conſilio obtemperatum eſſe. Iterumq; aliis ſuper alios victoriæ allatis & ex caſtris perſcriptis nunciis, Et quando tandem (dixit) vincendi finem faciemus? Mortuo autem Leoſthene metuentes nonnulli, ne Phocion dux ad bellum miſſus pacem componeret, hominem quendam haud illuſtrem ſubornarunt, qui in concione ſurgens, ſe amicum Phocionis, & qui eum à habita ſtudiorum magiſtrorumq; communitate probe noſſet, ſuaderepopulo diceret, vti ei tanto viro parcerent: cauerentq; ne eum, cuius ſimilem non haberent alium, amitterent: Antiphilo bellum mandandum eſſe. Hoc cum approbaſſent Athenienſes, progreſſus in medium Phocion: Ego, inquit, neq; te vlla notitia attingo, neq; diſciplinæ eiuſdem ſocietate tecum vſus ſum: ſed in poſterum amicum te, familiaremq; meum accipio. conſuluiſti enim in rem meam. Athenienſibus cupiditate bellum Bœotis inferendi flagrantibus aduerſatus eſt: amiciſq; interfectum iri offenſo populo dicentibus, reſpondit: Immerito quidem, ſi vtiliter ei ago: ſin præuaricer, iuſte. Cernens autē non remittere eos quicquā, ſed clamoribus vrgere, edicere præconem iuſſit, vt quicunque intra ſexageſimū ætatis annum eſſent, cum alimentis ad quinq; dies ſtatim ſoluta cōcione ipſum ſequerētur: orto tumultu, ſenibuſq; rem indignam fieri vociferantibus, & ex cōcione ſe propripientibus. Quid verò, inquit, mali eſt? cum ego dux veſter octogenarius vnà ſim futurus. hoc modo circumegit eos atq; ſedauit. Cum Micio Macedonum & mercenariorum militum manu exſcēſionem apud Rhamnuntem feciſſet, oramq; Atticæ incurſionibus vexaret, contra eum Athenienſes eduxit. Ibi cum paſſim ad ipſum concurrerent, in officiumq; imperatoris ſeſe ingererent, alius collem occupare, alius equites eò emittere, alius hac parte inuadere hoſtē præcipientes, Hercules, ait, quàm ego multos duces, paucos milites video. Aciem deinde inſtruens, quendā, qui procul ante alios proceſſerat, deinde præ metu viſi

*Conſtāter.*

*Atticam defendit.*

« hostis se in ordinem receperat, ita corripuit: Non te pudet adolescens, duos locos deserere, & eum quem tibi imperator dedit, & eum quem ipse cepisti? Facto in hostes impetu, vicit, ipsumq; cum multis aliis Micionē interfecit. In Thessalia autem Antipater, tametsi se ad eum Leonnatus & ex Asia reuersi Macedones aggregassent, victus est à Græcorum
13 copiis, cęso etiam Leonnato: duxit autem phalangem Græcorum Antiphilus, equitatum Meno Thessalus. Paulo pòst cùm ex Asia Craterus magno cum exercitu venisset, commisso apud Cranonem prœlio victi sunt Græci. Quæ tametsi clades haud magna fuit, paucique perierunt: tamen quod ducibus iuuenibus & ipsis, multitudiniq; obsequentibus dicto audientes non essent, simul etiam Antipatro ciuitates ad defectionem solicitāte dissipati, turpissime libertatem prodiderunt. Antipatro statim versus Athenas ducente, Demosthenes & Hyperides vrbe excesserunt: Demades autem tum veniam consecutus (etenim quod septies contra leges scripsisse damnatus nullam mulctæ partem exoluisset, ignominia notatus, dicendiq; priuatus fuerat potestate) legem fert, legatosq; plena cum potestate ad Antipatrum de pace mittit. Metuente sibi tum populo, Phocionēque vocante, soliq; se ei fidem habere dicente, Enimuerò, inquit Phocion, si meis cōsiliis fidem adhibere voluisletis, non nunc de huiusmodi rebus deliberandum esset. Perlata tamen lege, missus est ad Antipatrum castra in Cadmia habentem. Ab eo primum omnium hoc cum peteret, vt ibi commorans pacificationem componeret: Cratero dicēte, Phocion iniquum petit, vt in amicorum agro desideamus, eumq; exhauriamus, cum ex hostili ali ac locupletari exercitum liceat: eius manum apprehendens Antipater, Dandū est hoc, inquit, Phocioni. Athēienses aūt iussi sunt arbitrio victoris sua omnia permittere: hanc enim Leosthenes etiā Antipatro conditionē Lamiæ obsesso tulerat. Acceperunt necessitate cōpulsi cōditionem: rursusq; Thebas missus cū reliquis legatis Phocion: inter quos ēt Xenocratem philosophum cōstituerant, cuius virtus tantæ apud oēs autoritatis existimationisq; erat, vt nemo hominū ita libidine, ira, aut crudelitate videretur posse teneri, qui non Xenocratis visi saltem verecundia moueretur. Verū Athenienſibus hoc consilium secus cecidit, ob Antipatri in bonos odium, animiq;

*Græci vincuntur.*

*Phocion ad Antipatrum legatus.*

*Xenocrates.*

miq; illiberalitatem. Primũ enim reliquis data dextra, solũ Xenocratẽ non salutauit (& quidẽ Xenocrates dixisse tum fertur, recte Antipatrum fecisse, qui sui solum pudore moueretur, reputans quæ in Vrbem esset iniuste statuturus) deinde dicere orsum non sustinuit, sed reclamando silentiũ ei aduersandoq; imposuit. Phocione locuto quæ vellet, Pacẽ se cum Athenien sibus & societatem coire dixit, si Demosthenem & Hyperidẽ dedant, patrio more rempub. æstimatione census delecto magistratu administrent, præsidium in Munychia recipiant, & sumptus belli victori cõpensent, mulctamq; persoluant. Has conditiones cum vt benignas reliqui legati probarent, solus Xenocrates dixit, Antipatrũ, se Atheniẽsib. si eos seruos putet, moderatũ, sin liberos, inhumanum præbuisse. Phocione aũt præsidium deprecante, respõdisse fertur Antipater: Nos quidem, ô Phocion, quidquis in tui gratiam facere volumus, nisi id, quod tuo & nostro sit staturum exitio. Alij ita narrant: Antipatrum quæsiuisse ex Phocione, an spõdere pro Athenien sibus vellet, eos præsidio liberatos pacem seruaturos, nihilq; noui tentaturos: tacente Phocione, ac cunctante, prosiluisse Callimedontem Carabum hominem petulantem, populiq; libertati infensum, ac dixisse Antipatro: Tu ergo, si hic nugetur, credes ei potius, quã agas quod instituisti? Ita præsidiũ Macedonicum Athenienses acceperunt, cui præfuit Menyllus, vir moderati ingenij, & Phocionis amicus. Res ea superba videbatur, magisq; licentiæ contumelioſæ ostentandæ, quã vtilitatis causa instituta. Auxit rei indignitatem tempus ipsum. Vigesimo enim Boedromionis mensis die præsidium est introductum, cum Mysteria celebrari solent, & Iacchi pompa ex vrbe Eleusinem duci: qua tunc confusa cæremonia, plerisq; subiit superioris temporis fortunam cum præsenti comparare apud animum suum. Quippe olim præclarissimis Athenien sium facinoribus visa voceſque mysticas affuisse, terroremque & stuporem hostibus incussisse: nunc ad id conniuere Deos, vt ipso sacrificij tempore grauissima Græciæ calamitas accidat: sanctissimusq; dies, & iis aliquãdo gratissimus memoriam miseriarum prodat. Paucis antè annis Dodonæum oraculum Athenienses monuerat, vti extremas vrbis partes Dianæ sacras custodirent, ne in hostium eæ potestatem venirent. Iis verò diebus cum

*Pacis conditiones.*

*Præsidium Athenis impositũ.*

fasciæ, quibus mysticæ cistæ inuoluuntur, tingerentur, pro purpureo colore pallidum ac qualis est mortuorum extulerunt, idq; reliquis quæ priuatorum res hominum vna inficiebantur, purpuræ colorem accipientibus. Sacerdotem quoque, cum is in puro portu porcellum ablueret, cætus arripuit, & ad ventrem vsq; inferiores partes deglubiit: Deo ipsis haud obscure præmonstrante, priuatos matitima & inferiori parte, superiorem vrbem retenturos. Menyllo quidem modestia effecit, vt præsidiū nullam ciuibus inferret iniuriā. Super duodecim millia hominū paupertatis causa excluſi repub. sunt: quorum qui in vrbe remanserūt, grauiac miseranda affecti videbantur ignominia: qui Athenis ideo cesserunt, seq; in Thraciam cōtulerunt, Antipatro vrbem & agrum concedente, similes erant eorum, qui vrbe ipsorum bello capta atq; euersa aliò migrassent. Demosthenis autem in Calauria, & Hyperidis apud Cleonas cędes (de quibus alio loco diximus) effecerunt, vt Alexandrum ac Phi-

*Antipatri crudelitas.*

lippum tantū non desiderarent Athenienses. Et quod postea temporis Antigono cæso, cum eius interfectores vim facere hominibus cœpissent, rusticus quidam in Phrygia agrum fodiens cum interrogaretur quid ageret, ingemiscēs, quærere se Antigonum respondit: id tum multis subiit dicere, recordātibus istorum regum iram generosam ac placabilem fuisse: cum Antipater priuati hominis persona, & victus vestitusq; tenuitate potestatem dissimulans, multo esset molestior, malus atq; iniustus dominus. Phocion tamen apud eum precibus agens, multos ab exilio liberauit, effecitq; vt multi exulum non vltra Ceraunios tamen mōtes & Tænarum pellerentur, sed in Peloponneso habitarent: inter quos etiam Agonides fuit sycophanta. Mansuete porro & iuste ciuitatis res procurans, ciuiles elegantesq; viros semper ad magistratus euexit: inquietos, cum ij ocio marcescerent, ad agriculturæ studium conuertit. Xenocratem tributum inquilinorum pendere videns, statuit ciuitate donare: sed is abnuit, negans se ciuem futurum in ea repub. quæ ne constitueretur, ipse legatus esset deprecatus. Phocion Menyllo dona & pecuniam offerenti respondit: Neq; tu Alexandro melior es, neque ego accipiendi nunc

*Phocio dona spernit.*

causam habeo meliorem, quam tum recusandi. Oranti, vt filio suo tamen ea accepta seruaret: Meus, inquit, Phocus, si mu-

si mutata vita temperantiæ studebit, paternis bonis erit cõ-
tentus: sin perget vt cœpit, nihil ei satis erit. Antipatro operam suam in re parum honesta requirenti, asperius respondit: Non poterit Antipater me simul & amico vti, & adulatore. Ipsum verò Antipatrum dixisse perhibent, se de duobus amicis, quos Athenis haberet, Phocione & Demade, alteri vt acciperet persuadere, alterum dando saturare nequiuisse. Et verò paupertatem veluti virtutem quandam ostentauit Phocion, in qua toties dux Athenienſium, & regum amicus factus consenuit. Demades autem etiam contra leges agendo diuitiis se iactabat. Cum enim lege tum esset cautum Athenis, ne quis peregrinus saltaret: aut, si id accidisset, magister ludorum solueret mulctam decem minarum: Demades totum chorum ex peregrinis, numero centum, constituit, simulq; in theatrum denas in singulos minas pro mulcta intulit. Demeæ filio nuptias faciens, Me quidem, inquit, ô fili, matrem tuam ducente, ne vicinus quidem sensit. tuis nuptiis reges & principes suppeditant. Porro autem Phocio, instantibus Athenienſibus vt de deducendo præsidio apud Antipatrum ageret, siue impetrare id diffidens, siue metu contentum populum honestius viuere, & ciuitatem rectius temperari sentiens, eam legationem perpetuo detrectauit: persuasit tamẽ Antipatro, vti exactionem pecuniarum differret. Populus ad Demadem se contulit, idemq; ab eo postulauit. Is in se eo recepto, & quidem libenter munere, vnà cum filio in Macedoniam abiit. Et diuina quadam (vt arbitror) fortuna incidit eius profectio in id tempus, quo Antipatro iam aduersa valetudine occupato, Casander summam rerum obtinens, epistolam Demadis reperit ad Antigonum scriptam, qua eum adhortabatur, vt res Græciæ & Macedoniæ à vetere & putrido pendentes filo (sic Antipatrum notabat) inuaderet. Itaque Casander vt eum conspexit, capi: ac primùm eius filium prope adduci & trucidari iussit: ita vt cruorem sinu pater exceperit, eoq; fuerit oppletus: deinde ipsum quoq;, grauiter prius & contumelioſe ingratitudine proditioneque exprobrata, necauit. Cæterùm Antipater Polysperchontẽ ducem, Casandrum tribunum militum renuncias, vita excessit. Casander tempore & rebus præreptis, statim Nicanorẽ Menyllo successorem misit, mandans vt priusquam fama

*Demadis vita & exitus.*

mortis Antipatri vulgaretur, Munychiã occuparet. Quod vbi factũ est, & paucis pòst diebus de obitu Antipatri relatũ est, Athenienses Phocioni obtrectauere, putãtes eũ rem sibi cognitam in gratiam Nicanoris silentio texisse. Sed Phocion his calumniis spretis, Nicanorem adiit, eumq; cùm aliis in rebus benignum Athenienſibus redegit, tum vt certaminum præses liberalitate sua populo gratificaretur effecit. Interim Polysperchon, cui procuratio regis erat commissa, vt Casandrum consilio opprimeret, literas Athenas mittit, quibus affirmabat, Regem Athenienſibus populare in repub. imperium reddere, patrioque more eam administrari, ab omnibusq; teneri iussisse. Erant hæ aduersus Phocionem insidiæ: nam sibi ipsi vrbem (id quod paulo pòst patuit) adiungere cupiẽs, intelligebat nihil se nisi electo Phocione effecturum: electum autem iri exulibus reductis, rursumq; tribunali à popularis auræ captatoribus & calumniatoribus occupato. Cum Polysperchontis literis populus esset concitatus, Nicanor colloquium petens, concilio in Piræeo coacto accessit, corpus suũ Phocioni credens: Dercyllo autem, qui tum Atticæ prætor erat, comprehendere ipsum conante, præsentiens id proripuit sese: neq; obscure tulit, se pœnas de vrbe exacturum. Phocion autem, quod dimisisset eum, neq; detinuisset incusatus, respondit, Fidere se Nicanori, neq; ab eo quicquam mali expectare: sin falleret is, malle se acceptorem, quam autorem iniuriæ deprehendi. Honeste hoc & præclare dictum videri poterat, si de se ipso cogitare Phocion tum debuisset: sed profecto quod eo facto salutem patriæ in discrimen adduxit, idque dux & princeps, haud scio sanctiúsne & antiquius ius, quo ciuitati obstringebatur, violauerit. Neq; enim dici potest, Phocionem eò abstinuisse Nicanore, ne vrbem in bellum conijceret: ac deinde id factum præscriptione datæ fidei velasse, vt eius reuerentia Nicanor quiesceret, neque vim Athenienſibus intentaret. Sed plurimum omnino fidei habuisse Nicanori videtur: cùm multis eum apud se deferentibus, Piræoque occupando intentum peregrinos milites in Salaminam transmittere, & quosdam Piræei habitatores corrupisse dicentibus, credere noluerit. quinetiam cum Philomedes Lamprei F. legem tulisset, vt omnes Athenienses in armis essent, Phocioniſque ducis mandata exequerentur, cons-

*Polysperchon insidiatur Phocioni.*

eousq; neglexit, dum à Munychia cum armatis profectus Nicanor Piræeum cœpit circumuallare. Hæc ita cum agerentur, Phocion perturbatus est: cumq; educturus esset Athenienses, ab iis contemptus. Adfuit & Alexander Polysperchontis F. cum exercitu, verbo quidem vt ciuibus contra Nicanorem opem ferret, re ipsa, vt vrbem si quà posset, intestinis turbis distracto populo occuparet. quippe & exules vnà cum eo profecti, statim in vrbē peruenerant, & concursus eodem peregrinorum ignominiaque affectorum erat. Concione promiscua turbulentaque congregata, Phocioni imperium abrogatum, aliiq; duces creati sunt. Quod nisi Alexander cum Nicanore solus colloqui apud murum sæpius esset conspectus, idque suspicionem rei mouisset, actum profecto tum de Athenis fuisset. Statim Agnonides rhetor Phocionem eiusque amicos adortus proditionis accusauit. Itaq; Callimedon & Pericles metuentes sibi vrbe cesserunt: Phocion & amicorum qui manserant reliqui ad Polysperchontem profecti sunt, vnaq; cum his studio Phocionis Solon Platæensis, & Dinarchus Corinthius, quibus vti familiarissime Polysperchon putabatur. Inualetudo Dinarchi in causa fuit, vt per aliquot multos dies Elatię commorarentur. Interim Agnonidis suasu lex ab Archestrato lata est, qua mitti legati iubebantur, qui Phocionem accusarent. Vtrinque simul est ad Polysperchontem peruentum apud Phocidis vicum Pharyngem (positus is est ad Acturium montem, qui hodie Galata dicitur) cum rege deambulantem. Ibi ergo Polysperchon posito aureo tabernaculo, considentibus subter eo rege & amicis, Dinarchum accedentem in via corripi statim, excruciatumque necari iussit: Athenienses dicendi potestatem fecit. Cum tumultus exoriretur, mutuo se magna vociferatione accusantiū, progressus Agnonides: Omnes, inquit, nos in vnā caueam inclusos Athenas mittite, rationes ibi factorum edituros. Id dictum risum regi mouit: qui adstabant concilio Macedones & peregrini, ociosi tum, audire eos disceptantes cupiebant, legatisque vti dicerent innuebant. Sed inique erat comparatum certamen, cum dicenti Phocioni Polysperchon crebrò obturbaret, donec is baculo terram feriens abiit & conticuit. Hegemone autem dicente ipsum Polysperchontem sibi testem beneuolentiæ erga populum

*Phocion proditionis accusatur.*

esse, Desine, (inquit Polysperchon) me apud regem mendaciis onerare: exiluit ad hoc rex, lanceaq; Hermogenem feriisset, nisi eum Polysperchon statim esset complexus. Ita concilium solutum est. Vt autem Phocionem cum suis custodia cinctum socij procul stantes viderunt, velatis statim capitibus delapsi, fuga sibi consuluerunt. Phocionem & reliquos captiuos Clitus Athenas abduxit, verbo quidem ad cognitionem causæ, re, vt iam tum damnati, ibi necarẽtur. Tristis fuit aspectus, cum vehiculis per Ceramicum ad theatrum perferrentur: ibi enim eos detinuit Clitus, dum concio à prætoribus indiceretur: à qua sane nemo seruus, nemo peregrinus, nemo notatus ignominia excludebatur, sed omnibus theatrum & accessus ad tribunal patebat. Recitata regis epistola, qua scribebat, se quidem iudicasse proditores istos esse, libero tamen iam populo iudicium committere, introducti sunt à Clito rei. Conspecto tum Phocione, optimus quisque ciuium caput velauit, & oculos in terram deiiciens fleuit. Quidam etiam assurgens ausus est dicere, Quando liberum & legitimum iudicium à rege sit permissum populo, seruos ergo & peregrinos concione a. mouendos esse. Sed is ea multitudinis indignatione est exceptus, populi osores & paucorum in repub. dominationem cupientes feriri saxis iubentis, vt nemo præterea pro Phocione dicere quicquam sit ausus. Ipsius vox præ tumultu ægre exaudiri potuit, quærentis, Iuréne, an iniuria occidere me vultis? Respondentibus quibusdam, Iure: quomodo autem, inquit, hoc scietis, non cognita causa? Cum nihilo magis aures præberent, propius aggressus: Ego, ait, fateor me iniuste egisse, & morte dignam meam reipub. administrationem: istos verò cur occidetis, qui nihil deliquerunt? respondere multi vna voce: Quia amici sunt tui. Ita Phocion destitit, & quieuit. Agnonides scriptum decretum recitauit, debere populum suffragia ferre, an fontes ij sint: si damnauerit, morte mulctandos. Addendum quidam dixerunt, Phocionem excruciatum debere necari, iubebantque rotam ad tormenta paratam adferri, & lictores vocari. Agnonides autem qui & Clitum molestè id ferre, & rem esse barbaricam atq; obscœnã videret, Cùm Callimedontem, inquit, verberonẽ ceperimus, ô ciues, torqueamus eum: de Phocione nihil tale ego statuero. Huic eius voci

*Damnatur res capitalis.*

voci quidam vir haud malus subdidit: Recte tu quidem: si enim Phocion tormentis adhibeatur, quid te fieri dignum erit? Approbato edicto, cum sententiæ quærerentur, vniuersi consurrexere, stantesque, & plerique etiam coronati morte reos damnauerunt. Erant cum Phocione Nicocles, Thudippus, Hegemon, Pythocles: Demetrius Phalereus, Callimedon, Charicles, quidamque alij absentes capitis damnati sunt. Soluta concione, cum damnati ad carcerem ducerentur, & reliqui amicis ac necessariis circumfusis lamentarentur, admirationi fuit magnanimitas & cōstantia Phocionis, qui vultum haud alium, quam vbi imperator comitatus hominum caterua domum iret, gerebat. Inimici autem iuxtà currentes, maledicta ingerebant: quidam etiam aduersum se offerens conspuit ipsum, cum quidem fertur Phocion ad magistratus conuersus dixisse, Nemone huius impudicitiam compescet? Thudippo, cum is in carcere teri iam cicutam videns calamitatem suam deploraret, quasi cum Phocione moriendum ei inique esset, Non satis tibi est, ait, quod cum Phocione moreris. Cuidam amico interroganti velletne aliquid filio suo Phoco mandare, Mando, ait, ei serio, ne iniuriæ ab Athenien sibus acceptæ memoriam seruet. Nicocli, quem fidissimum amicorum habuerat, orāti vt se prius bibere cicutam pateretur, Est omnino, inquit, tua hæc petitio grauis & molesta: sed quando nihil tibi vnquam denegaui, concedam sane hoc quoque. Cum bibissent omnes, ac venenum deesset, & carnifex nisi acceptis duodecim drachmis (tanti enim vendebatur cicuta) aliud temperaturum se negaret, moramq; id iniiceret: quendam suorum amicorum vocauit, dicensque, Ne mori quidem Athenis nisi dato precio licere, pecuniam numerare iussit. Erat tum Munychionis mensis dies xix. Iouique pro more pompam ducentes equites partim coronas posuerūt, partim ad fores carceris lacrymantes respexerunt. omnibus autem, nisi iis quorum animi odio & ira prorsus erant perditi atq; efferati, facile patuit, scelus graue esse commissum, cum ne festo quidem die abstinere à publica cæde potuerit populus. Et vero inimici eius hac victoria non satiati, decretum fecerunt, vt cadauer Phocionis extra Atticam deportaretur, neq; vllus Athenien sium eius sepeliendi causa ignem accenderet. Conopion quidam vespillo cadauer

*Phocionis patientia.*

*Mors & sepultura.*

precio conductus vltra Eleusinem deportauit, & igne apud Megarensem quendam accenso cremauit. & Megarica (à qua ignem petierat) mulier cum ancillis adfuit, inanemq; tumulum aggessit, & parentauit: ossa in sinum suum reposuit, noctuque domum portauit, & apud focum defodit, in-
» quiēs: Apud vos, dij penetrales, has viri boni reliquias de-
» pono. vos eas patrio busto reddetis, vbi Athenienses resipue
» rint. Paulo quidem post cum re ipsa appareret, qualem præceptorem custodemque temperantiæ & iusticiæ amisisset populus, statuam Phocioni æream Athenienses posuerunt, reliquias publico sumptu sepeliuerunt, & Agnonidem dānatum capitis supplicio affecerunt. De cæteris accusatoribus Epicurum & Demophilum ex vrbe fuga elapsos filius Phocionis consecutus interfecit. Hunc quidem vitiosum plane hominem fuisse ferunt: & cum amore puellæ cuiusdā apud lenonem degentis teneretur, ac forte fortuna Theodorum, qui Atheus (quod negaret Deos) dictus est, in Lyceo ita audisset disserere: Si non est turpe soluere amicum, ne amicam quidem soluere turpe erit: si socium, ergo & sociam (nam hoc vocabulo etiam scorta Græcis dicuntur) liberare licet. hunc Phocus fertur sermonem suæ cupiditati accommodasse, tanquam probum, & puellam istam redemisse. Enimuero Phocionis cædes Socratis necem Græcis in memoriam redegit: similimus enim hic illius & error fuit, & Athenarum detrimentum.

*Filius.*

## IN PHOCIONEM ANNOTA-*tiones Interpretis.*

*PHocionē Alexandri Magni æqualē fuisse eiq; non multū temporis superuixisse constat. Hæc quoq; vita ita fuit à Lapo conuersa, vt ineptæ paraphraseos potius, quam bonæ versionis nomen mereretur.*

1 Neq; enim Sophocles.) *In Antigona: verba Ismeniæ ad Creontem.*

2 Cur Homerus.] *Sæpe est vocabulum hoc apud Homerum, vt Odyss. ε. ὄψα dicuntur* μενοείκεα, *& alibi* δῶρα, *&* χάρις μενοείκης. *& Odyss. ζ.* μενωείκε ἐδωδὴν. μένος *enim frequenter pro animo ponitur. hinc illa*

—ἱερὸν

---ἱερὸν μένος ἀλκινόοιο, & *similia. Sæpe pro audacia aut feruore animi, vt*

Θῆκε μένος καὶ θάρσος--- *atque sic in Catone Vticensi ipse Plutarchus vsurpauit* : τὸ πρόσωπον αὐτοῦ πιμπλάμενον ὀργῆς καὶ μένους κατιδὼν. *Mitto quæ de hac voce Græci grammatici tradunt.*

3 Hunc Cicero.] *Locus est epistola prima libri ad Atticum secundi: tametsi nihil ibi de petitione consulatus dicitur, ac ne dici quidem potuit, cum illa epistola scripta sit Afranio & Metello consulibus: Catone in cōsulatus petitione repulsam passo, Sulpicius & Marcellus sint designati, octo integris pòst annis. Alioqui dubium non est quin id quod hîc ex Cicerone Plutarchus affert, vel vnica fuerit causa vt consulatum non obtineret Cato.*

4 Quomodo etiam in Chio periit.] *Historia hæc est apud Diodorum Siculum lib. 16. non longe ab initio: De nauali apud Naxum pugna idem lib. 15. & paucis Xenophon lib. 5.* ἑλληνικῶν, *sub finem.*

5 Nomen boni.] χρηστοῦ. *Lapus Frugi vertit: Sed id longe aliud est, & à diuersa virtute factum cognomentum. Boni cognomen ei cum alij, tum Aemilius etiam Probus diserte tribuit.*

6 Charidemum ad tribunal.] *Apparet hunc facile turbulentissimum ciuem, & belli Macedonici facem fuisse: siquidem solus omnium eorum quos Alexander ab Atheniensibus sibi dedi poposcerat, cum esset ignotum reliquis solum exilij causa vertere iussus, ad Darium perfugit. Arrianus lib. 1. de Exped. Alexandri.*

7 Quid væsane.] *Versus est Homericus, de libro 9. Vlysseæ. Sunt aūt verba sociorum ad Vlyssem, qui Cyclopem, cuius violentiam vix dum euaserat, lacessere verbis intēdebat.*

8 Vtrum se, quam illum peius.] εἰ τούτου χείρονα νομίζουσιν αὐτόν. *Lapus*, Num minoris se existiment.

ment. qua versione elegantia loci, & comparationis Phocionis cum illo sene egeno venustas deperditur. Non enim virtutis, sed vitæ & paupertatis contentio à Phocione instituebatur. & quòd eum bona verba loqui, id est abstinere tam contumelioſa sui cum illo misero collatione iubebant legati, eò attinebat, quòd Phocionem dignissimum splendore regio putarent: quippe solum de omnibus Athenienſibus bonum virum. De misello isto, videbatur aliares esse.

9 Cio Gergitω.] Cium vrbem Mysiæ nō ignobilem, & non Geographis modò atq; historicis, sed etiam poetis cognitam, Chium Lapus (insula est Ioniæ dicta) fecit, noto & vulgato errore. Γεργίτῳ per ι, non per υ, scribendum est: vt patet ex Strabonis lib. 13. & Stephano: atque ex Latinis etiam, Plin. 5. 30. Mela & Liuio. Meminit enim libr. 38. Vrbis ad Troadis. Mylaſſa, Cariæ vrbs maritima. Elæa, haud procul Pergamo in littore sita. de Melita quod sequitur, annotauimus in Themistoclem.

10 Desultorio certamine.] ἀποβάτῳ ἀγωνισαθαι. quod genus dicendi est apud Latinos cum dicimus, Saltauit Antiopam Rutilius: & ille apud Horatium,

Pastorem saltaret vti Cyclopa rogabat.

Quid autem sit ἀποβάτης, video plerosq; ignorasse, quando ἀποβάτης & L. Cœlius lib. 21. ca. 21. ignoratione rei locum Dionysii Halicarnassei, quem mox proferam, corrupit. Quod dico, ne, quod multi stulte faciunt, vno in libro omnia inesse putemus. Lapus noster hîc morem suum seruauit: id est, equestrē ludum vertit, genus pro specie ponens, quod tantū non omittere est. Qui intelligit quid sit παραβάτης, coniicere potest sane, quid sit ἀποβάτης. nam ἱππικὸν esse ἀγώνισμα, id est equestre certamen, Varinus etiam annotauit, additq; solis in vsu fuisse Athenienſibus & Bœotis. Dionysius in libri septimi fine (Cœlius perperam ex octauo citat) quo loco certamina & sacrificia priscorum Latinorum cum Græcis comparat,

parat, hæc verba posuit. ὅταν γὰρ τέλος αἱ τῶν ἱππέων ἅμιλλαι λάβωνται, ἀποπηδῶντες ἀπὸ τῶν ἁρμάτων οἱ παρεχόμενοι τοῖς ἰδιόχοις, ὃς οἱ ποιηταὶ μὲν παραβάτας, ἀθλητὰς δὲ ἀποβάτας (deest καλοῦσιν, aut aliquid tale) τὸν σταδιαῖον ἅμιλλῶνται δρόμον αὐτοὶ πρὸς ἀλλήλους. hoc est: Equestribus enim finitis certaminibus desilientes à curribus ij, qui vna cum aurigis vehuntur (poetæ eos parabatas, Athenienses apobatas vocant) in stadio cursu inter se contendunt. Cœlius quo dixi loco, contra & veritatem & mentem Dionysii, aurigas cum parabatis & apobatis eosdem facit: quòd statim ex verbis apparet. nam quod ipse Dionysius eosdem apobatas cum parabatis facit, id de certaminibus ludicris, non de pugna intelligendum satis constat. ne quis putet hoc loco conuelli posse, quæ de significatione verbi παραβάτης ad vitam Aemilij ex optimorum autorum sententia & exemplis scripsi. Tametsi satis etiam ex Iliade Homeri & Virgiliana Aeneide liquet, eos qui de curribus pugnarent, sæpe de iis desiluisse, ac pedestri certamine dimicasse: ἀποβάτας tamen dictos legere non memini, & haud scio an vsquam legatur. In ludicris certaminibus qualia Dionysius describit, παραβάτης, is qui vna cum auriga in curru erat, quòd non pugnabatur, nihil habebat negocij, nisi vt desiliret à curru, & cursu decertaret: inde etiam ἀποβάτης, idem dici potuit. Est enim ἀποβαίνειν descendere, seu desilire, hoc quidem loco: & annotauit Eustathius, ἀποβαίνειν in hoc genere dici ἀντὶ τοῦ πεζεύειν, & καταβλῶσαι ἅρματος. Neq; ego motus sum nominis tantum etymo, vt desultorium hic verterem certamen, τὸν τοῦ ἀποβάτου ἀγῶνα: sed quia hoc vocabulum bonis Latinis autoribus viderem, aut hoc ipso aut simillimo plane modo vsurpatum. Liuius. libr. 44. « Liuij
Mos erat tum, nondum hac effusione inducta, bestiis omni- « locus
um gentium circum complendi, varia spectaculorum con- «
quirere genera: nec semel quadrigis, semel desultore missio. «

vix

vix vnius horæ tẽpus vtrunq; curriculum complebat. Quod
" enim vel Calepinus, vel eius correctores atq; auctores equũ
desultorium eum esse dicunt, qui est κέλης Græcis, cũ tamen
ab vno duos simul esse ductos affirment: faciunt nimis impe-
rite, saltẽ versus eos monuisset Odyss. ε.- -- αὐταρ ὀδυσσεὺς
ἀμφ' ἑνὶ δούρατι βαῖνε, κέλεθ' ὡς ἵππον ἐλαύνων.
Non duo ligna, ex quorum vno in alterum transiliretur, sed
vnicum equo celeti comparat. Tum ex Pindaro notũ est, &
Plinij cap. 5. lib. 34. κέλητα currui opponi: at in curribus et-
iam fuisse ἀποβάτας, iam ex Dionysio dixi. Vocari fortassis
possit ἀποβάτης etiã is, qui in certamine ab equo defatigato
in alterum integrũ transiret, cũ quidem duos secũ traheret:
quo modo Numidas pugnasse, Liuius li. 23. scribit. Suetonius
" in Iulio, cap. 39. Circensibus, inquit, quadrigas, bigasq;, &
" equos desultorios agitauerũt nobilissimi iuuenes. Sũt & hæc
" verba Ciceronis pro L. Murena diligẽtius expendenda. Ne-
" scio quo pacto mihi videtur prætorius candidatus in consula
" rem, quasi desultorius in quadrigarum curriculũ incurrere.
Qui locus à Dionysii non videtur abludere sententia. Porrò
aũt filio Phocionis Phoci, non Phocij nomen fuisse, annotan-
dũ duxi nam in hoc libro promiscue scribitur. Nos cõfirmet
Athenæus, cuius (ne quem alium allegem) hæc sunt libro 4.
eandem rem exponentis. Διογένης ὁ βαβυλώνιος ἐν τοῖς πε-
ρὶ εὐγενείας, τὸν φωκίωνος ἡ ὁν φησι φῶκον οὐκ ἦν ὃς οὐκ ἐμί-
σει ἀθηναίων, & cætera. vbi quidem cum de hac ipsa victo-
ria dicitur, est νικήσαντος δὲ ἵπποις Παναθηναίοις.

11 Pytheam.] Locus est, vt apparet, mutilus: quem si af-
firmem me satis assequi, nuger.

12 Lamiacum bellum. ] In Græco est ἑλληνικὸν πό-
λεμον, Græcum bellum: quod expressit Amiotus. Lapus cum
rem non teneret, nescio quid de inferendis Græciæ armis cõ-
mentus est: cum quidem in libertatem asserendæ Græciæ cau
sa sit susceptum, omnesq; fere exceptis solis Bœotis Græci cũ
Athenien-

*Athenienſibus ſocietatem eius coiuerint. Eſt enim id bellum, quod Leoſthene duce geſtum eſt contra Antipatrum: qui cũ ab eo victus Lamicum Theſſaliæ vrbem confugiſſet, bello Lamiaci nomen factum eſt. Deſcribitur perſpicue à Diodoro libro 18. Biblioth. & à Pauſania in Atticis, à Iuſtino libro 13. & aliis.*

13 Phalangem Græcorum Antiphilus.] *Viden' oſcitantia quid faciat? Lapus oblitus paulo ſupra Antiphilum hunc nominatũ, qui Leoſtheni ſuccederet, eum & Menonẽ Theſſalũ (cuius etiã alibi meminit Plutarchus) Macedonib. affingit: cum fuerint Græcorum duces. Id vaniſſimum, quod idem Lapus Phocioni eam victoriam adſcribit: quem non interfuiſſe ex antecedentibus patet. atq; hunc erroremtamen quidam ſecuti, idem ad Iuſtini librum 13. annotauerunt.*

14 Myſticæ ciſtæ.] *κοῖται. ſic Varinus, κοίτην Attice vocari τὴν μικρὰν κίστην. & haud ſcio, an idẽ ſint quod λίκνον. de quo annotaui in Alexandro. Lapus victimas imperite. Statim* Pallidum, *θάψινον eſt in Græco. Neq; videre poſſum, cur atrum verterit Lapus. Eſt enim vtiq; θάψινον, quod thapſi colorem habet. Thapſus quid ſit, non iudico. multis ſcio videri eſſe verbaſcũ,* wullkraut: *quæ eſt ſane pullis foliis prædita herba, flore luteo, odoris violacei. Pallidum autem intelligi τῷ θαψίνῳ, apparet ex Theocriti Pharmaceutria.* θάψινον

Καί μευ χρὼς μὲν ὅμοιος ἐγίνετο πολλάκι θαψῷ.

*Sæpe ego pallebam thapſi ſuffuſa colorem.*

*Quæ ibi Scholiaſtes habet, à nobis ſtant. Sed & Nicander in Alexipharmacis, de palleſcentib. ob epotum ranæ venenum, τῶν ἤτοι θερόεις μ̃ ἄγει χλόος, ἠΰτε θάψυ, id eſt, vt Scholiaſtes ait, οἱ φαρμακευθέντες ὠχροὶ γίνονται, ὁ δὲ θάψος ἐστὶν εἶδος βοτάνης χλωρᾶς. Καθαρὸς λιμὴν, an purus ſit, an vero Catharus ſit proprium, non facile ſuccurrit. Paulo pòſt ἐκ πεπολιωρκημένοις,* carcere incluſis *inepte vertit Lapus.*

PLVTAR-

# PLVTARCHI CATO VTICENSIS

## *Guilielmo Xylandro Augustano Interprete.*

CATONIS genus primus illustrauit Cato Maior, huius proauus, propter virtutem ad summam inter Romanos gloriam potentiamque euectus: vti in eius vita demonstrauimus. Is autem, de quo nobis in præsentia sermo est, parentibus orbus vna cum fratre Cæpione, sorore germana Porcia, & sororem vterina Seruilia apud Liuium Drusum auunculum suum, qui vir summa præditus facundia, morumque probitate, & animi magnitudine, tum in republica principatum obtinebat, educatus est. Fertur autem Cato statim à puero voce, vultu, adeoq; inter ludendum etiam ingenium rigidum atque immobile, constansq; in omni re præ se tulisse. Nam & vis perficiendi ei, quæ instituisset, maior quam pro ætate affuit: & adulatoribus difficilem se asperumque præbens, magis adhuc terrentibus obsistebat. Risus ita difficulter ei mouebatur, vt perraro ad leuem etiam risum vltum remitteret: haud facile ad iram prolabebatur, iratus placari ægre poterat. Cum se ad discendum contulisset, tardus fuit ad percipiendum: quæ autem percepisset, eafirmiter memoria retinebat. quo modo videmus, qui bono sunt ingenio præditi, eos facile reminisci: qui autem non nisi cũ magno labore discunt, eos memoriter quæ apprehenderunt tenere, eo quod singula quæ didicerunt, quasi inuruntur eorum animis. Catoni porro vt difficilius disceret, in causa fuisse videtur etiam incredulitas. Nimirum enim discere, est affectio quædam: afficiuntur autem celerius, qui credunt, quod iis euenit, qui minus resistere possunt: itaque iuueni quam seni, & sano quam ægroto facilius aliquid persuaseris: atq; omnino facilime assentiuntur, quibus dubitandi facultas minima est. Cato autem obtemperasse qui dem omnib. in rebus pædagogo dicitur, singulorum tamen causas ex eo quæsiuisse: habebat vero pædagogum Sarpedonem, verbis quam verberibus promptiorem, id quod est boni atq; ciuilis pædagogi. Puero adhuc Catone, Romanorum socij de iure ciuitatis impetrando agebant. De his vnus Popedius Silo, vir bello clarus, primæq; inter suos dignitatis, cum

*Ingenium & educatio.*

tis,cum per aliquot dies Liuij hospitio vteretur, factus pueris familiarior,petiit ab eis , vt pro se in causa Latinorum obtinenda apud auunculum intercederent. Ibi cum subridens Cæpio annuisset, & Cato nihil respondisset,verum in hospites toruo immotoq; vultu inspexisset, Popedius: Tu vero,air,adolescentule quid dicis? non tu quoq;, vt frater, pro hospitibus auunculum precaberis?nihil respondentem sed ipso silentio vultuq; ostendentem se abnuere , ad fenestram extulit,ac nisi assentiretur,deiecturum per eam minatus est: mulq; & voce vsus est asperiore , & manibus eleuatum Catonem supra fenestram sæpius concussit. Cum puer diu imperterritus impauidusque perstitisset , deposito eo Popedius submissa voce ad amicos dixit: Quam bona Italiæ fortuna accidit hunc adhuc puerum esse. nam si vir esset, haud equidem opinor vllum nos populi suffragium impetraturos.Rursus Catone cum aliis pueris ad cœnam natalicia iam cuiusdam propinqui vocato , cum in parte quadã ædium seorsim luderent promiscue maiores cum minorib. iudicia per iocum celebrantes,& inuicem accusantes,conuictosque in carcerem abducentes : quidam elegantis formæ puer damnatus,& in conclaue quoddam ab adultiore abductus inclususq; Catonem inuocauit : isq; re cognita statim ad fores accurrit , repulsisque adstantibus & aditu eum prohibentibus puerum eripuit,iratusque domum secum abduxit,sequentibus etiam aliis. Adeo autem nobilis tum erat,vt cum Sylla Troiam,ludum sacrum & equestrem spectaculorum causa institueret,ad eumq; conductis patriciis pueris duos duces designaret , filium Metellæ priuignũ suum, & Sextum fratre Pompeij natum : illum quidem in honorem matris pueri probauerint , Sextum autem repudiauerint:& interrogante Sylla,quem ergo vellent, omnes Catonem vocauerint: atque ei ipse Sextus, vt præstantiori, honore vltro cesserit. Erat autem paternus Catonis amicus Sylla , & aliquando eum ( id quod perpaucis ob fastum & potentiæ suæ magnitudinem tribuebat) ad se vocabat,cumque eo colloquebatur. Id plurimum ad honorem & salutem pueri conducere ratus Sarpedon,crebro salutatum duxit Catonem ad Syllam : cuius tum domus ob multitudinem eorum qui eò ad cruciatus adducebantur, nihil plane adspectu à carnificina differebat. Annum tunc agebat Ca-

Constãtia.

to decimumquartum. Videns autem capita illustrium virorum efferri, ingemiscentibus occulte qui adstabant, percontatus est pædagogum quî fieret, quod nemo Syllam necaret: cumq; is responderet, Quia, mi puer, metuunt omnes magis eum quam oderunt: Cur ergo, inquit Cato, non mihi gladium dedisti, vt interfecto eo seruitute patriam liberarem? Sarpedon hoc audito, simulq; vultum eius iracundiæ plenum conspiciens, in grauem peruenit metũ, atq; in posterum summo studio curauit ne quid Cato audacius conaretur. Puer adhuc admodum quem maxime diligeret interroganti, fratrem respondit: idemq; iterum ac tertio, ac toties omnino retulit, dum alter interrogando fatigaretur.

*Odium tyranni.*

*Amor fratris.*

Quem suum erga fratrem amorem magis etiam adulta ætate confirmauit. Annos enim natus viginti, nũquam sine Cæpione cœnauit, nunquam peregrinatus est, nunquam in forum prodiit: vnguentum tamen, illo vtente, respuit, quemadmodum tota etiam Catonis victus ratio accurata fuit & seuera. Cæpio quidem temperantię mediocritatisque causa cum laudaretur, fassus est se talem esse si cum aliis conferretur: sed si vitam suam cum Catonis compararet, nihil se sibi Sippio meliorem videri. Erat autem is Sippius ob luxum & molliciem infamis. Cato flamen Appollinis creatus, diuisa paterna hæreditate portionem centum ac viginti talentorum accepit, & à fratre migrauit. Exinde victus ratione ad maiorem etiam pristina frugalitatem conuersa, Antipatrum Tyrium à Stoica secta philosophum socium sibi adsciuit, moralib. præsertim & ciuilibus placitis intentus. Cum autem ad omne virtutum genus quasi numine afflatus ferretur: eam tamen honesti partem, quæ in iustitia conspicitur nullo æquitatis aut gratiæ respectu inflexa, præ reliquis sectatus est. Instrumentum quoque orationis, quo ad populum vti posset, exercitatione sibi parabat: vt in ciuili sapientia tanquam magna vrbe, quiddam etiam iuxtà aleretur, quod esset ad certamina vtile. neque tamen apud alios declamauit, aliisve dicentibus auscultauit. quin & sociorum cuidam dicenti, Reprehendunt ô Cato tuum homines silentium: Modo ne vitam, respondit. incipiam autem dicere, cum potero loqui, quæ non præstiterit tacuisse. Porciam basilicam Cato maior in censura dedicauerat. Ibi cum solerent tribuni plebis ius dicere, & videretur columna

*Flaminiũ & frugalitas.*

lumna quædã sellis ipsorũ obstare, statuerunt auferre eam, vel amouere aliò. Hæc primũ res Catonẽ inuitum in forum produxit. Impugnauit enim tribunorũ propositum, admirationemq; oratione sua & magnanimitate excitauit. Erat enim in oratione nihil noui, nihil ad elegantiã cõpositi, sed recta omnia, & plena, atq; aspera: gratia quoq; animos auditorũ concilians breuitati aderat, voluptatemq; aliquã & risum ciuilẽ admixta ingenij eius indicia, & per orationem sparsa mouebãt. Vox aũt ea erat, quæ satis exaudiri ab vniuerso populo posset: eius intẽtio erat, visq; inexhausta, ita vt sæpe numero totũ diẽ peroraus non defatigaretur. enimuero rẽ tunc obtinuit, rursusq; seipsum filẽtio & exercitationi dedit. Corpus quoque exercitationibus validis adsuefaciebat ad perferendum æstum, & niuem nudo capite, iterque pedibus omni tempore anni faciendum, absque vehiculo, cum equis vna irent amici peregrinationis socij: quibus ille inter eundum sæpe singulatim sese applicuit, estq; collocutus. Aegroti etiam admirabilis fuit cum continentia, tum patientia. Febricitans enim solus seorsim egit, neque ad se quenquam admisit nisi pulso morbo, & sanitate recepta. In cænis cum sorte partes diuiderentur, & ipsi sors non fauisset, amicis nihilominus ei optionem deferentibus respondit, Non conuenire hoc, inuita Venere. Et initio quidem semel tãtum in cœna bibebat. Postea temporis magis indulsit potui, ita vt sæpe vsque ad auroram traheret potationem. Causam hanc afferunt amici eius, quod interdiu publicis negociis occupatus, & à philosophia exclusus, per noctem saltem & inter pocula voluerit cum philosophis commentari. Itaque Memmio aliquando in concione dicente, Catonem totas noctes ebrietati vacare: Cicero interpellans, Hoc autem, ait, non dicis, quod totos etiam dies talis ludit. Omnino autem vitæ & studiorum rationem diuersam sibi ab ea, quæ vulgo tum vsurpata, praua ipsi & magnæ indiga mutationis videbatur, tenendam ratus, cum purpuram videret saturatam rubore & rutilantem cæteris probari, nigra ipse vsus est: sæpe etiam nudis pedibus & sine tunica post prandium in publicum prodiit, non gloriæ venandæ studio, sed adsuefaciens se, ne cuius ipsum rei nisi turpis puderet, reliquas infamias contemneret. A Catone sobrino hæreditatem oblatam centũ talentorũ, in pecuniã

*Oratio.*

*Corporis exercitatio.*

*Potatio.*

redegit, eamq; amicis indigẽtib. absq; fœnore locauit. Quidam etiam agros & seruos ipso dante & contractum confirmante ærario publico oppignorarunt. Vt tempus vxorẽ ducendi veniſſe iudicauit, cum prius nullius mulieris habuiſſet noticiam, Lepidam duxit, quę ante Scipioni Metello pacta fuerat, ſed reſciſſa ab eo pactione tũ innupta erat. Verum priuſquam nuptiæ fierent, Scipio mutato facto nihil ſibi reliqui fecit dum Lepidam ſibi matrimonio iungeret. Grauiter eo fãcto irritatus Cato, cum iudicio diſceptare ſtatuiſſet, prohibitus ab amicis, iuuenili animi feruore ad ſcribendos iambos ſe contulit, Archilochique acerbitatem mutuatus, impudentia eius & nugis omiſſis, Scipionem cõuiciis proſcidit. duxit autem Atiliam Soranifiliam, cumque ea prima, non tamen vnica, congreſſus eſt: infelicior hac in parte Lælio Scipionis amico, qui cum diu vixerit, vnam modo, eam quam primo duxit vxorem, cognouiſſet mulierem. Commiſſo ſeruili bello, quod & Spartacium dicitur, Gellio duci ſocium ſe Cato adiunxit vltro, propter fratrem Cæpionem, qui tribunus erat militum. Ac tametſi eo in bello, quod id male gereretur, non potuit alacritate ſua virtuteq; quantum vellet efficere: inter magnã tamen millitum molliciem atq; luxuriam, modeſtiam ſuam, & fortitudinem (qua maxime tum opus erat) audaciamq; prudẽtiæ coniunctam oſtendendo ita ſe geſſit, vt nihil concedere priſco Catoni videretur. Gellio autem honores ei præmia-
" que decernente, accipere detrectauit, quod nihil ſe iis dignum egiſſe diceret. Id primum eius factum inuſitatum
4 viſum eſt. Deinde cum lex eſſet lata, ne iis qui magiſtratum ambirent nomenclatores adeſſent, tribunatum militum petens ſolus eam legem violauit, monitorisque vſus miniſterio ciues nominatim ſalutauit atq; compellauit. Et vero iis etiam, qui ipſum laudabant, moleſtus nonnihil fu-
" it: quo magis enim honeſtatem eius inſtitutorum intelligebant, eo iniquius ferebant ſe ea imitando æquare nequire. Tribunus militum factus, miſſus eſt in Macedoniam ad Rubrium prætorem. Memoriæ traditum eſt, cum Atilia vxor fleret, maritiq; diſceſſum deploraret, Munatium eivnum de Catonis familiarib. dixiſſe, Bono ſis animo Atilia mea: ego tibi Catonem tuum cuſtodiam, tum Catonem: Vtiq; ergo me cuſtodies. cumque diei iter vnius progreſſi eſſent,

*Matrimonium.*

*Res militiæ geſtæ.*

essent, Agedum Munati, dixisse, vt promissa Atiliæ perficias, neq; interdiu, neq; noctu iam tibi à me discedendum erit, exindeq; iussisse duos lectos in suo cubiculo poni, & Munatium ita semper iuxta Catonem dormiuisse, custoditum ab eo ioci causa. Comitabantur autem Catonem quindecim serui, duo liberti, & amici quatuor: quibus equitantibus ipse semper pedes incedens singulis sese applicabat, interque ambulandum colloquebatur. Postquam in castra peruenit, vni legioni de multis præfectus, suam vnius virtutem demonstrare non regij neque magni operis esse ratus, in id maxime incubuit vt sui similes subditos efficeret. Itaque non metum suæ potestatis eis ademit, sed oratione qua eos singulis de rebus vel doceret, vel persuaderet, simul etiam præmiis supplicioque adhibitis, difficile dictu est pacisne an belli artium scientiores, & acrioresne an iustiores redegerit: adeo & terribiles hostibus, & sociis mansueti, ad peccandum timidi, ad laude dignos conatus suscipiendos prompti alacresque fuere. Interim gloria, gratia, obseruantia, amorque militum summus Catonem sequebatur, quæ ille minime instituto suo quærebat. Atenim cum vltro in his, quæ aliis imperasset, ipse elaboraret, habituque, victu, & incessu militum quam ducum esset similior, moribus vero, animi magnitudine, & facundia omnes qui imperatorum aut ducum nomen gerebant anteiret, magnam sibi occulte beneuolentiam exercitus conciliauit. Nam comparatum est ita, vt virtutem non suspiciamus, neq; eius imitandæ studio corripiamur, nisi eum, in quo ea conspicitur, summo amore atq; honore prosequamur. qui vero bonum aliquem laudant, cum non ament, non virtutem ij eius admirantur, neque imitari cupiunt, sed gloriam reuerentur. Cum inaudiuisset de Athenodoro, cui Cordylioni cognomentum fuit, virum eum Stoica disciplina præclare exercitatum, qui regum ac principum familiaritates summo studio subterfugisset, senem iam apud Pergamum degere: existimans se scribendo ad eum aut mittendis nunciis nihil profecturum, cum lex ei duorum mensium profectionem concederet, ad eum in Asiam nauigauit, suis fretus dotib. vt eum speraret vinci à se, & in consuetudinem pertrahi posse. Congressus cum homine, peruicit, deiectumque de priori sententia in castra secum perduxit,

*Cato Athenodorum philosophum adsciscit.*

magna elatus lætitia, seque maiori & præstantiori præda, quam Lucullus Pompeiusq; arma circumferendo, gentesque subigendo parassent, potitum sentiens. Cum esset adhuc tribunus militum, frater eius in Asiam proficiscens, Aeni (Thraciæ est vrbs) in morbum incidit. Qua de re Cato cum esset statim certior per litteras factus, & mare vehementi iactaretur tempestate, neq; iustæ molis nauis esset in prõptu, cum duobus amicis & tribus seruis onerariam ingressus, Thessalonica soluit: & grauissimo submersionis periculo mirabili quadam fortuna ereptus, iam mortuo Cæpioni superuenit. Grauius, quam philosopho conueniret, tulisse eum casum fertur, nõ fletum modo & cadaueris amplexus, luctusq; magnitudinem considerantibus, sed & sumptum sepulturæ, & odoramentorum vestiumq; preciosarum vna crematarum impendia, & monumenti magnificentiam, quod ex Thasio lapide octo talentorum precio confectum in foro Aenensium constituit. Hæc enim nonnulli cum Catonis moribus alioquin ab omni fastu alienis conferentes calumniabantur, nõ perspicientes quantum mãsuetudinis & amoris ineesset viro rigido, & qui se nulla voluptate, nullo metu, nullis inhonestis precibus percelli sineret. Ad eam rẽ ciuitates quoq; ei & principes ampla pro honore defuncti munera miserunt, de quibus ipse pecuniam quidem omnino repudiauit, odoramenta tantum & ornamenta persoluto precio accepit. Cum vero ad ipsum & Cæpionis filiolam hæreditas deuenisset, in diuisione eius nihil pro sumptibus sepulturæ popposcit. Quæ cum ille egisset, agereteq;, inuctus est tamen qui scriberet, Cineres eum mortui cribrasse, aurum combustum quærentem: tantam nimirum non gladiis modo, sed stylo etiam iste tribuit impunitatem. Defunctus tribunatu militũ Cato, deductus à suis est, non votis tãtum (est enim id vsitatum) neq; laudationibus, sed lacrymis & insatiabilibus amplexibus eum prosequentibus, vestimentaq; sua quà iret subiicientibus, & manus deosculantibus. quod eo tempore vix paucis imperatoribus à Romanis datum est. Porro cum statuisset ante quam ad remp. accederet, Asiam peruagari, regionum, morum, institutorum, & quæ in singulis essent prouinciis copiarum contemplandarum gratia, simul etiam gratificaturus Deiotaro Galatæ, qui ipsum amicitiæ hospitiiq; paterni nomine ad se vti veniret

*Vt fratrẽ desideraret.*

*Peregrinatio eius.*

niret rogauerat: ita peregrinationem instituit. Prima luce pistorem coquumq; eo, vbi esset pernoctaturus, præmittebat. Hi composite admodum & tranquille vrbem ingressi, si nullum paternum hospitem Catonis aut notum ibi offendissent, diuersorium ei apud cauponem parabant, nemini molesti: quod si ne caupona quidem esset, ibi tum magistratum adibant, & diuersorium petebant, datumq; boni consulebant. Sæpe etiam à magistratibus fides eis non est habita, contemptique quod nullo tumultu, nullis minis hæc agerent, re adhuc infecta. Catone eis superueniente: isq; ipse apud clitellas tacitus sedens, maiori despicatui materiam præbebat, pro abiecto & obnoxij animi homine habitus. Veruntamen vocato ad se magistratu solebat dicere: Corrigite ô praui homines peruersam hanc hospitum excipiendorum rationem, & comitate vestra eorum qui venient (neque enim semper Catones ad vos venient) potentiam frangite, occasionem captantium vt vi vobis eripiant, quæ vltro dare nolueritis. Ridiculum est, quod ei in Syria vsu venisse dicitur. Cum ad Antiochiam accessisset, ante portas vrbis magnam hominum multitudinem ab vtroque viæ latere effusam offendit: erant autem adolescentes seorsim chlamydibus induti, & pueri honeste ornati seorsim stabant, tum sacerdotes deûm, vel magistratus puris in vestibus coronati. Nihil aliud itaq; ratus, quam sui excipiendi gratia hunc honorem à ciuitate paratum, suis, quos præmiserat, succensuit, qui non prohibuissent: iussitque amicos ab equis descendere, peditesque secum incedere. Vt proxime accesserunt, pompæ istius magister atque instructor, homo iam prouectæ ætatis, manu baculum & coronã tenens Catoni ante alios occurrit: & vbi Demetrium reliquissent, ac quando is esset venturus, interrogauit. Erat is Demetrius Pompeij libertus, & apud eum largiter poterat: itaq; omnibus tunc fere hominibus in Pompeium oculos coniicientibus, vltra quam dignum homine esset colebatur. Amicis itaque Catonis tantus est obortus risus, vt inhibere eum incedentes per turbam non possent. Cato autem tunc vehementer conturbatus, nihil aliud dixit, quam, Proh infelicem vbem: postea temporis ipse quoque recordans aut recitans id factum, ridere est solitus. Enimuero ipse Pompeius eos qui per ignorationem ita Catonem

*Demetrius Pompeij libertus.*

*Pompeius Catonem honorat.*

neglexerant, suo exemplo erudiit. Cum enim Cato ipsius, vt senioris, & gloria amplissimi, maximarumque tum copiarum ducis salutandi causa Ephesum venisset: conspicatus eum Pompeius accedere, sedere non sustinuit, sed tanquam ad præstantiorem exiliens de solio accurrit, dextramque iniecit, multisque inter complexus ipsos & salutationem, pluribus etiam digressi virtutem prædicauit: ita vt conuersi omnes intentique iam Catoni, quem prius spreuissent, eius tum mansuetudinem animique magnitudinem cum admiratione considerarent. Neque enim obscurum erat Pompeij erga ipsum studium, demerentis magis quam amantis: intelligebaturq; eum Catonem præsentem admirari, discessu eius lætari. nam reliquos iuuenes qui ad sevenissent Pompeius magna cupiditate secum detinebat, à Catone nihil tale petebat: sed quasi eo præsente sua libere vti potestate nequiret, ita libenter dimittebat: soli fere ei omnium qui Romam nauigarent liberos suos vxoremque commendans, alioquin etiam genere ipsi coniunctos. Certatim exinde ciuitates Catoni operam dare, eum inuitare, & conuiuia præbere. Qua in re Cato à sociis se obseruari iussit, Ecquid imprudens dictum Curionis ipse confirmaret. Etenim Curio amicus & familiaris Catonis, austeritatem eius iniquius ferens, percontatus fuerat, haberet-ne in animo exacta militia Asiam perlustrare: cumque id affirmasset, Bene tu, respondérat: iucundior enim inde & tractabilior redibis. hæc enim fere eius fuerunt verba. Cæterum Deiotarus Galata ætate iam prouectior, Catonem acciuerat, vt ei liberos suos familiamque committeret: venientique cum varia munera offerret, vtque ea acciperet omnibus modis solicitaret, ita hominem irritauit, vt cum sub vesperam venisset, ibique pernoctasset, postridie tertia hora discederet.

*Deiotari dona spreta.*

Verum vnius diei progressus iter, Pessinunte plura prioribus dona ipsum expectantia offendit, cum literis Deiotari, precantis vt acciperet: sin secus videretur, at amicis eorum accipiendorum potestatem faceret: dignis vtiq; quib. propter ipsum aliquid boni contingeret, cum quidē de suo ditare eos ipse non posset. Sed ne tū quidem Cato concessit, quanquā videret nonnullos amicorum delinitos, ipsumq; ta cite incusare: verum inquiens, Omni munerum acceptio ni prætextum aliquē inueniri posse, se cum amicis ea quæ honeste

honeste possideret communicaturum, dona ista ad Deiotarum remisit. Traiecturo Brundusium amici suadebant, vt reliquias Cæpionis in aliud nauigium imponeret: quibus ille respondens, Animum se potius quam istas relicturum, transfretauit, periculosissimè quidem fortuna (vt aiūt) quadam, cum reliqui satis commode nauigassent. Romam reuersus aut Athenodoro, aut in foro amicis operam dedit. Quæsturam autem, cuius petendæ tempus appetierat, non antè ambiit, quàm leges quæstorias legisset, singula ex peritis esset percontatus, & eius magistratus ius animo quasi informasset. Itaq; simul atq; quæstor est constitutus, ærarij statim administrorum & scribarum aliam instituit rationē. Hi enim cum hactenus publicas literas & leges suis in manibus habuissent, iuuenibus subinde quæstoribus creatis, ac quibus ob imperitiam & ignorationem opus esset præceptoribus aliis atq; magistris: potestatem illis nequaquam concesserant, sed ipsi magistratum gesserant. Primus Cato nouo modo non titulum tantum & honorem, sed & animum rationemq; eo magistratu dignam attulit, scribisque (id quod erant) pro famulis vsus est, partim eorum maleficia arguens, partim ignorantia peccantes erudiens. Cum verò se proterue gererent, alioſque adulando demererentur, ipsi aduersarentur: primum eorum fraudis in hæreditate commissæ compertum ab officio remouit: alteri cuidam falsi dicam scripsit. Hunc defendere aggressus est Lutatius Catulus censor, maximæ ob virtutem existimationis, quod iustitia & temperantia omnes antecellere Romanos crederetur, laudator etiam Catonis, eiusq; ob vitæ institutum familiaris. Huic, cum se causa inferiorem cernens palam condonari sibi reum peteret, idq; Catone prohibente magis instaret, Turpe est, inquit Cato, te Catule cum sis censor, & de nostris factis iudicare debeas, ob nostros famulos officio tuo exturbari. Hæc locutum Catonem intuitus est quidem Catulus tanquam responsurus, dixit tamen nihil: sed siue ira, siue verecundia cōturbato animo tacitus abiit. Non tamen damnatus est reus. Nam vt vno calculo plures damnantium quam absoluentium lati sunt, Catulus ad M. Lollium (qui collegarum Catonis vnus, tum ob valetudinem à iudicio aberat) emisit, orans vt opitularetur reo: isque peracto iam iudicio lectica allatus, suo eum suffragio

8 *Quæstura Catonis.*

9

absoluit. Attamen eum Cato neq; pro scriba habuit, neque ei mercedem persoluit, neq; omnino calculum Lollij in reliquorum numero duxit. Hoc modo repressis & cicuratis scribis, ipse literis suo vtens arbitrio, breui tempore effecit, vt maior esset quæstorij quam Curiæ dignitas, vtq; omnes ita sentirent atq; dicerent, Catonem quæsturæ consularem maiestatem conciliasse. Primum enim cum inuenisset multos antiquitus ærario debere, vicissimque ex ærario deberi multis, eadem opera rempub. & à ferenda, & ab inferenda iniuria liberauit, debitum seuere & acriter exigens, nominibusque celeriter & prompte satisfaciens: quæ res verecundiam populo mouit, cum & persoluere eos quos nihil reddituros putabant, & satisfieri iis qui desperauerant videret. Deinde cum multi tabulas ad ærarium contra quàm fieri deberet adferrent, antiqua consuetudine precibus & gratia consequi studentes vt falsa decreta reciperentur: nihil horum Catonem fefellit. & quidem de vno aliquando dubitans genuinúmne esset, multis testantibus fidem non habuit, neq; prius inter cætera retulit, quam consules accessissent, & iuramento id confirmassent. Porrò cùm multi essent, quibus Sylla in secũda proscriptione viritim quadragena octona sestertia ob cæsos proscriptos dederat, iiq; omnibus inuisi & pro sceleros pollutisque haberentur, vlciscitamen eos auderet nemo: singulos eos Cato postulauit pecuniæ publicæ iniustè possessæ, eamq; exegit, iracunda interim oratione impias eis cædes exprobrans. Hi verò statim homicidij rei, & præiudicio iam damnati, in ius rapiebantur atque pœnas dabant, gaudentibus omnibus, existimantibusq; vnà demum Syllanam tyrannidem excindi, ipsumq; se Syllam videre supplicio affici putantibus. Animos autem multitudinis adsiduitas quoq; eius, & indefatigata accuratio allexit. Nemo enim collegarum prior Catone ad ærariũ accessit, aut posterior discessit. Idem omnibus conciliis, omni senatui interfuit, veritus & obseruans eos, qui per gratiam debita aut vectigalia quibusuis condonare intendebant. Ita ærario sycophantis exclusis, eoq; pecunia repleto, docuit licere ciuitati etiam absq; iniuria diuiti esse. Collegarum quoque nonnullorum, quibus inuisus initio fuerat, animos eò sibi conciliauit, quod largitionum aut iniquorum iudiciorum detrectatorum omnem

*Syllani ad ministri multantur.*

inui-

inuidiam in se solus recipiebat, eamq; sui excusandi aduersus instantes & vrgentes occasionem illis præbebat, quod dicerent se ipsis gratificari inuito Catone nullo modo posse. Postremo quæsturæ die cum esset ab vniuersis prope ciuibus domum deductus, inaudiuit Marcellum concursu amicorum atque potentum & precibus victum largitionem quandã, veluti debitam, perscripsisse: (erat autem is Marcellus à puero Catoni amicitia iunctus, cumq; eo magistratũ optime gerebat: priuatim autem facile vt precibus annueret pudore abducebatur, & erat ad quamuis gratiam ineũdam ingenio procliui.) itaque statim reuersus eò Cato, vt comperit vi adactum Marcellum scripsisse eam donationẽ, tabulas popposcit, eamq; deleuit, tacito adstante Marcello: atq; hunc ab ærario secum domum abduxit, neq; tum, neq; postmodo eo de facto querentem, sed ad extremum vsq; in familiaritate pristina perseuerantem. Iam ne defunctus quidem quæstura ærarium præsidio vacuum reliquit: sed aderant quotidie serui ipsius qui quæ agerentur conscriberent, & ipse libros in quibus descriptio publicę dispensationis à Sylla ad sua vsq; tempora continebatur, quinque emptos talentis adsiduo versabat. Primus in senatum veniebat, discedebat vltimus: sæpe reliquis tardius conuenientibus, libro togam prętendens legebat: nunquam peregre abfuit, cum haberetur senatus. Postea etiam temporis, cum Pompeiani eum iniustis suis conatibus constantissime aduersari, neque ab eo proposito detrahi vlla ratione posse viderent, ideoque eum patrociniis amicorum, arbitriis, aliisque negociis occupare ne in senatum veniret, molirentur: insidiis deprehensis, omnia posthabuit, totumque se in id dedit, vt conuocato senatu ne quid aliud ageret. Non enim gloriæ studio, non opum, neque fortuito casu, vt quidam alij, ad tractandas res publicas delatus, sed consilio, quod hoc boni viri esse officium putaret, intentiorem se reipublicæ, quam apem melli esse debere censuit: itaque ergo operam etiam dedit, vt ab amicis & hospitibus suis quos passim habebat, prouinciarum administrationes, decreta, iudicia, & præcipua facta ad se perscriberẽtur. Quodã tempore Clodio tribuno pleb. resistens, qui grauia nouarum rerum semina spargens, sacerdotibus vtriusque sexus, in quibus etiam Fabia Terentia erat, vxoris Ciceronis soror,

*Institutũ eius.*

soror, apud populum calumniãdo periculum crearet: eum ignominia circumfusum vrbe excedere coegit. Ciceronem autem gratias sibi agentem, ciuitati acceptum hoc referre iussit: huius enim causa se omnia agere. Proinde in magna erat existimatione: adeo vt orator quidam vnico teste in iudicio allato iudicibus diceret, Vni testi, ne si Cato quidem is esset, credendum esse: & vulgo iam de rebus incredibilibus veluti prouerbium iactaretur, Ne Catone quidem affirmante hoc probabile est. Cum in senatu quidam prauis moribus ac luxuriosus verba de frugalitate & temperantia faceret, insurgens Amnæus, Quis, inquit, te ferat? qui cum Crassum cœnando, ædificando Lucullum æques, nobis vt Cato concionare. alios quoq; homines vitiosos & luxui deditos, verbis tamen grauitatem & austeritatem præferentes, subsannandi causa Catones vocabant. Porrò autem multis hortãtibus vt tribunatum plebis peteret, Cato vim magnę potestatis istius veluti vehementis medicamenti nõ ratus negociis leuibus insumendam, solutus à repub. acceptis libris & philosophis in Lucaniam profectus est: ibi enim prædia ocio haud illiberali idonea possidebat. In itinere autem multis iumentis, vasis, atq; calonibus occurrens, cùm intellexisset Metellum Nepotem tribunatus plebis petendi causa Romam reuerti, tacitus constitit, paululumq; cunctatus, retro suos abire iussit. Mirantibus hoc amicis, An ignoratis, dicebat, Metellum vel per se ob stoliditatem suam ciuitati metuendum esse? is nunc de sententia Pompeij aduenies in rempub. incidet fulminis in morem, atq; omnia perturbabit. non igitur ocij mihi aut peregrinationis tempus, sed aut inhibendus iste homo, aut præclaro certamine pro libertate oppetendum est. Tamen amicorum adhortationibus concedens prius in prædia sua venit: ibiq; haud diu moratus, Romam rediit. Vesperi cum venisset, statim mane in forum descendit, tribunatum plebis petens, vt resistendi Metello facultatem haberet. (etenim eius magistratus maior est in impediendo vis, quam in agendo: & reliquis omnibus, vno excepto, quicquam decernentibus, vnius illius præualet sententia.) Principio pauci cum Catone amici fuerunt: verùm vbi institutum ipsius innotuit, breui tempore omnes boni notique ciues ad eum confluxerunt, hortabanturque & confirmabant, non petere eum, sed

*Autoritas.*

sed dare beneficium patriæ optimisque ciuibus maximum, asserentes: qui cum sæpe quiete eo magistratu defungi potuisset, nunc maluerit non sine suo periculo certaminis pro libertate & repub. suscipiendi causa eum ambire. Fertur multis ad ipsum studij fauorisq; gratia certatim concurrentibus, pressus in turba haud sine discrimine difficulter admodum in forum euasisse. Creatus tribunus plebis cum aliis & Metello, vt vidit comitia consularia venalia esse, increpauit ea de re populum acri oratione: cuius in fine iurauit se eum, quicunque pecuniam dedisset populo, in ius tracturum: vnicum Silanum ob necessitudinem excipiens, cuius vxor erat soror Catonis Seruilia. Itaque hunc etiam omisit, L. Murenam ambitus postulans, qui largitione confecisset, vt cum Silano consul designaretur. Lex erat, vt reus accusatori custodem daret, ne ipsum laterent quæ is accusationis causa colligeret aut pararet. Is ergo, quem Murena Catoni adiunxerat, cum eum comitans passim & obseruãs animaduerteret nihil insidiose, nihil inique moliri, sed ingenue & humaniter simplicem iustamq; actionis formam componere: adeo admiratus est viri magnanimitatem & bonitatem, vt in foro aut domi ad eum accedens quæsierit tantum, essétne hodie aliquid eorum quæ ad accusationem pertinerent acturus: ac si negaret, fidem verbis eius habens discesserit. Cum causa ageretur, Cicero tum consul Murenæ patrocinatus est, multaq; in Stoicos propter Catonem, & illorum paradoxa ista quæ vocantur (hoc est admirabilia & omnium opinioni contraria) iocatus, risum iudicibus mouit: feruntque ipsum Catonem leniter subridentem dixisse iis qui adstabant, Quam ridiculum habemus consulem? Absolutus autem Murena nõ vt peruersorum est mos, stolidorumque hominum se erga Catonem gessit: sed in consulatu suo eum de maximis rebus consuluit, ac pro tribunali in honore & existimatione perpetuo habuit. Cuius rei causa in ipso fuit Catone, qui iuris defendendi causa in foro & curia cum se terribilem & durum præberet, alias humanum se omnibus & beneuolum exhibebat. Priusquã tribunatum plebis iniret, Ciceronis consulatum cum multis aliis certaminibus firmauit, tum eo in primis, quod Catilinariæ eius actioni amplissimæ & pulcerrimæ finem imposuit. Nam Catilina cum pestiferam totius Romanæ

*Ambitus postulat Murenã.*

reipub.

reipub. mutationem moliretur, bellaque simul & seditiones turbaret, deprehensus conuictusque à Cicerone, vrbe exciderat: Lentulus verò, & Cethegus, cumq; his alij complures coniurationis socij Catilinæ timiditatem & conatuum humilitatem incusantes, ipsi vrbem incendio delere, & defectionibus populorum bellisque exteris imperium euertere statuerant. Quorum cum innotuisset apparatus (sicuti in vita Ciceronis scriptum est) & in senatu Cicero quid de eis statuendum esset sententias quæreret, primus omnium Silanus extremo supplicio afficiendos pronunciauit, eiq; deinceps vsque ad Cæsarem omnes assenserunt. Cæsar, vt erat disertus, ac qui omnem in vrbe mutationem motumque (quippe materiam eorum quæ iam tum animo agitabat) augeri quam extingui mallet, multa gratiosa & humanitatis speciem habentia locutus, indemnatos eos necari non debere censuit, in carcere tamen adseruandos. Ita verò, senatu populum metuente, reliquorum sententias mutauit, vt Silanus quoque non morte se eos damnasse, sed carcere (hoc enim vltimum esse ciui Romano supplicium) affirmaret. Hac mutatione facta, & omnibus in leniorem atque humaniorem partem inclinantibus, Cato illi sententiæ contradicturus, initio statim iram suam animique commotionem non dissimulauit, Silani inconstantiam reprehendens, Cæsaremq; dictis incessens, qui prætextu populari, clementique in speciem oratione rempublicam subrueret, perterreretq; senatum, ea in causa, in qua sibi ipse metuere debuisset, & arbitrari præclare secum agi, qui suspicionem & supplicium eorum quæ acta essent euaderet. cum quidem ita palam & proterue publicos hostes eripere intenderet, seque tantæ tamque illustris patriæ sortem, cui præsens impenderet exitium, fateretur non miserari: sed eos, quos ne natos quidem oportuisset, deploraret, quod ij sua morte ciuitatem magnis cædibus atque periculis essent liberaturi. Hanc vnam de omnibus Catonis orationibus extare ferunt: per omnia curię loca sparsim à Cicerone dispositis ad eam excipiendam scribendi celeritate præstantibus ministris, quos ante docuerat certas notas, quæ breuibus & exiguis figuris multarum literarum vim in se haberent. nondum enim enim exercebant, neque habebant eos, quos notarios appellamus: sed tunc primum vestigium

gium eius rei deprehensum ferunt. Enimuero obtinuit Cato; & reliquos in suam sententiam traduxit, ita vt morte illi damnarentur. Traditum est (nam quia imaginem veluti quandam animi Catonis depingimus, ne minima quidem nobis prætermittēda videntur) cum acriter aduersus Catonē tum Cæsar cōtenderet, in eosq; intenti senatores essent, paruam tabellam Cæsari extrinsecus allatam. quam rem cum in suspicionem traheret Cato, & in sinistram partē interpretaretur, non defuisse, qui postularent recitari quod scriptum in ea esset. Tum Cæsarem Catoni prope adstanti tabellam porrexisse: fuisse autem Seruiliæ, sororis Catonis epistolam impudicam ad Cæsarem, cuius amore erat corrupta. Catonem lectam eam Cæsari rursum obiecisse, ac dixisse, Accipe temulente: & sic reliquum orationis persecutum. Omnino autem apparet gynæceum Catoni infortunatum fuisse. Quippe ex duabus Seruiliis sororibus eius hęc (vti retulimus) ob Cæsarem erat infamis, alterius maior ēt turpitudo: quæ Lucullo primū inter Romanos gloriæ gradum obtinenti nupta, cum eum prolis vnius patrem reddidisset, ob impudicitiam domo est ejecta. Et, quod erat summum, ipsa etiam Atilia Catonis vxor eius criminis pura nō fuit, ita vt eam, quamuis binos ex ea sustulisset liberos, coactus sit ob vitæ inhonestatem repudiare. Duxit deinde Marciam Philippi filiam egregiam mulierem, de qua multi sunt variiq; sermones: hæcq; pars fabulæ vitæ Catonis omnium maxime ambigua est, difficilesq; habet explicatus. Thraseas tem ita, vt sequitur, actam scribit, autorem huius historiæ Munatium Catonis amicum & conuictorē nominans. Inter multos amatores admiratoresq; Catonis, quorum alij studium suum aliis apertius præ se ferebant, Q. etiā Hortensius fuit, vir magna existimatione, probatisq; moribus. Hic non contentus se socium esse Catonis & familiarem, necessitate insuper aliqua & communitate totam familiam suam cum Catoniana permiscere animum induxit. Itaque conatus est persuadere Catoni, vt is sibi filiam Porciam, quę Bibulo nupta erat, bisq; iam eum patrem fecerat, traderet, vti ex ipsa, tanquam bonæ frugis fertili, liberos susciperet. hominum quidem opinione absurdum hoc videri: reipsa præclarum esse & ciuile, vt mulier integra ætate florens neque neglecta virtutem sobolis dandæ perdat, neque plu-

*Sorores Catonis impudica.*

*Secunda nuptia.*

res

res quam requirantur liberos pariẽdo grauet, atq; ad pauperiem redigat maritum nihil porro prolis indigentem: sed communem aliis etiam prole dignis liberûm suscipiendorũ facultatem præbeat, virtutemq; in multa genera diffundens ab inuidia vindicet: quibus necessitatibus ipsa deinde inter se ciuitas quasi commisceatur. quod si omnino vxor Bibulo cordi sit, se eam ipsi simul atque ex se peperisset redditurum, arctius hac liberûm communitate Bibulo ipsi & Catoni coniunctum. Cum ad hæc responderet Cato, ꝓbari quidem sibi Hortensium affinem, sed de filiæ iam tradita alteri nuptiis abs re sermonem fieri: mutata oratione Hortensius haud dubitauit animo suo detecto ipsam Catonis vxorem petere, ætate adhuc ad pariendum habilem, cũ satis iam liberorum esset Catoni. neque verò id prætendere potuit, eam à marito negligi: nã grauida tum quoq; fertur fuisse. Cato animaduerso Hortensij studio, non aduersatus est, Marciæ tantum patris Philippi consensum requiri dixit, atque is compellatus facilem se præbuit, neque aliter, quam ipso Catone præsente & vnà despondente Marciam Hortensio collocauit. Hæc mihi cum in mulierum mentionem incidissem, hoc loco visa sunt commemoranda, etsi posteriora essent tempore. Cæterùm Lentulo cum sociis necato, cum Cæsar apud senatum accusatus ad populum confugisset, ciuitatisq; vitiosas & corruptas partes conturbaret, sibiq; adsciscere: Cato reipublicæ timens, Senatui autor fuit frumentaria largitione egenam turbam placandi: cuius quidem annuæ impensæ fuerunt trecenties sestertiûm. atq; hoc beneficio periculum præsens perspicue est auersum. Exinde Metellus tribunatum plebis adeptus conciones habuit tumultuosas, legemq; promulgauit, vt Pompeius Magnus quam primum cum exercitu in Italiam veniret, vrbemque à Catilina in periculum coniectam seruaret. Erat hic prætextus speciosus: id autem agebatur vt principatus ac respublica in manus Pompeio traderentur. Habito eius rei causa senatu, cum non, vt aliâs, aspere Metello aduersaretur Cato, sed moderate eum de multis rebus ac placide moneret, & ad extremum preces quoque adderet, Metellique familiam, quod semper optimatum partes fouisset, collaudaret: eo magis elatus animo Metellus, Catonemque veluti trepidantem & concedentem aspernatus, multa

*Marcia Hortensio tradita.*

*Cõtra Metellum Nepotẽ actiones Catonis.*

multa superbè minari, dictisque ferocire instituit, tanquam omnia inuito etiã senatu confecturus. Ibi Cato vultu, voce & oratione mutata, in fine disertis verbis testatus est, se viuo Pompeio nunquã cum armis vrbẽ intraturum. Subiitque tum senatui cogitare, neque Metellum neque Catonem mentis suæ compotem esse, aut sanis vti consiliis. sed Metelli institutum, insaniam esse, qua præ nimia malicia ad exitium publicum rueret: Catonis autem virtutem, diuinam esse quandam animi commotionem, pro honestate & iure propugnantem. Cùm esset suffragia laturus ea de lege populus, Metello arma, hospites, gladiatores, seruique per forum dispositi adfuerunt, magnaque pars populi, ob spes in Pompeio collocatas mutationem rerum expetentes: Cæsar quoque tum prætor, multum virium suppeditauit. Sed cum Catone primus quisque ciuium dolorem magis & iniuriam, quàm certamen commune sufferebat: magna domum eius mœsticia, magnus timor tenebat, adeò vt nonnulli amicorum incœnati vnà peruigilarent, grauiter pro ipso soliciti, mulieresque & sorores quiritarentur atque plorarent. Ipse intrepide & confidenti animo compellans singulos atque consolans, cœnatus somno noctem exegit: expergefactusq; (dormiebat enim altiùs) à Minucio Thermo collega, in forum descendit, paucis sanè comitantibus, multis verò occurrentibus, vtque sibi caueret monentibus. Postquam forum ingressus ædem Castoris circumdatam armatis vidit, gradusque à gladiatoribus custodiri, ipsum suprà Metellũ cum Cæsare assidentem, conuersus ad amicos, Proh ferocem, inquit, iuxta, & timidum hominem, qui aduersus vnum, eumq; nudum hominem tantum exercitum coegerit. Simul rectà cum Thermo ad eos perrexit, eisque graduum custodes cesserunt: neque tamen quenquam alium admiserunt, ipsumq; Munatium manu iniecta ægrè attraxit Cato: ita progressus, medium sese inter Metellum & Cæsarem collocauit, eorúmque colloquium dissipauit. His hæsitantibus, magno spectatores perfusi gaudio, miratique vultum audaciamq; Catonis, propiùs accesserunt, & alta voce ipsum vt pergeret ita, se autem mutuò vti manerẽt, néve libertatem & defensorem eius proderent, cohortati sunt. Cùm apparitor legis tabulã promeret, Cato legere eum non est passus: Me-

tello etiam eam sumenti & recitare incipienti, de manibus eripuit: eidem verbis suis legem referre absque tabula conanti manibus ori iniectis vocem intercluſit Thermus. Proinde videns Metellus istorũ peruicacia populum quoque vinci, quid ex vsu sibi foret intelligens, domo sua euocatos armatos magno cum clamore in forũ irruere, & aduersariis terrorem incutere iussit. Quo facto cum dissipati essent omnes, Catonem solum subsistentem, ac desuper saxis & lignis impetitũ haud neglexit Murena, is qui pridem ab eo in ius fuerat tractus: sed togam ei suam prætendens, ió vociferandoque iacientes vt cessarent monens, vix tandem monitis suis concedentem Catonẽ veste sua inuoluit, inq; ædem Castoris abduxit. Metellus cum solitudinem apud roſtra, fugam aduersæ partis è foro cerneret, pro certo habens se vicisse, discedere armatos iussit: ipseque progressus placidè, legem perferre intendit. Interim aduersæ factionis homines à fuga iterum cõgregati in forum magno & horribili cum clamore irruperunt: quo Metelli sectatores perterriti, qui eos arma alicubi nactos irruere putarent, vniuersi à tribunali fuga dilapsi sunt. His ita disiectis Cato progressus populum partim collaudando, partim confirmando effecit, vt & multitudo se ad euertendum quoquo modo Metellum pararet, & senatus magistratibus negocium daret, vti Catoni suppetias ferrent: legemq;, qua seditio & ciuile bellum Romæ induceretur, impugnarent. Ergo Metellus, tametsi ipse adhuc ferox & imperterritus, vt suos vidit Catonem summopere formidare, eumq; pro insuperabili habere, subitò in forum se proripuit: conuocatoq; populo multa ad faciendam Catoni inuidiam locutus, ad extremum fugere se Catonis tyrannidem & coniurationem aduersus Pompeium dicens, ac breui fore vt Romam eius pœniteret, quæ tantũ virum ignominia afficeret, in Asiam abiit, quasi de his rebus apud Pompeiũ questurus. Magnæ id Catoni gloriæ fuit, qui tanto onere tribuniciæ licentiæ vrbem leuasset, & Pompeii potentiam quodãmodo in Metello fregisset. Maiorem laudem reperit, cùm Senatum dedecore afficere Metellum, eiq; magistratũ abrogare volentem inhibuit. nam & vulgus humanitati hoc & animi moderationi imputabat, quòd insultare inimico deiecto noluisset: & cordatis videbatur prudenter & vtiliter abinitan-

do

do Pompeio abstinuisse. Secundum hæc Lucullus à bello reuersus, cuius ei finem & gloriam præripuisse Pompeius censebatur, de triumpho etiam in discrimẽ venit, C. Memmio factiones apud populum contra eum excitante ac crimina intentãte, magis id in Pompeii gratiã, quàm priuatis ducto odiis. At Cato, cuius soror Seruilia Luculli esset vxor, alioquin etiam rei indignitate motus, Memmio se opposuit: qua in re cũ multas calumnias pertulisset, tandémque magistratu veluti tyranni de esset amotus, tantum tamen effecit, vt Memmius vltrò accusationes Luculli omittere opus haberet. Itaque Lucullus acto triumpho arctius exinde amicitiæ Catonis inhæsit, validũ eam aduersus potentiam Pompeii præsidium habens. Pompeius verò rebus militiæ gestis clarus domum reuertens, aduentusque sui gratia & splendore ita fretus, vt nihil se frustra petiturum à ciuibus putaret, præmisit qui à senatu peterent, vti comitia consularia differrentur tantisper, dum ipse pręsens ea in gratiam Pisonis (is enim ambiebat consulatum) obire posset. Hic plerisque concedentibus, Cato non in dilatione comitiorum tantum esse situm, quàm in conatu Pompeii & spe frustranda existimans, reclamauit, vtq; Senatus hoc denegaret obtinuit. Haud leuiter eo facto perturbatus Pompeius, cùm animaduerteret se, nisi Catonem sibi amicitia cõiunxisset, maximis in rebus offensurum, accito ad se Munatio Catonis socio, de duabus Catonis ex fratre aut sororeneptibus iam nuptiis maturis alterã sibi, filio minorem in matrimonium postulauit: quidam non neptes, sed ipsius Catonis filias ab eo petitas fuisse ferũt. Cùm hac de re Munatius Catonem, vxoremq; eius, & sorores docuisset, istæq; affinitatem magnoperè acceptam haberent ob potentiam & dignitatem Pompeii: Cato nulla mora aut deliberatione interposita, perculsus statim respondit: Vade Munati, vade & dic Pompeio, Catonem per mulieres capi non posse: sed tamen beneuolentiam eius gratam habere, eiq; iustè agenti amicitiam omni firmiorem necessitudine cum ipso futuram: obsides autem Pompeii gloriæ aduersus patriã ipsum nunquam daturum. Molestè hoc mulieres tulerunt: & verò amici quoque Catonis id responsum vt inurbanum & superbum reprehenderunt. Paulò pòst Pompeius cuidam amicorum cõsulatum ambiens pecuniam in tribus diuisit,

*Memmio resistit Catoni.*

*Pompeij postulatũ infringit.*

*Eius affinitatem respuit.*

uisit, in hortis suis eam numerans: qua largitione diuulgata, Cato mulieribus dixit, Necesse fuisse huiusmodi quoq; infamiæ actionum societatem inire, si affinitatẽ cum Pompeio contraxissent. itaq; ipsæ etiam fassæ sunt, rectiùs ipsum statuisse, eum repudiando. Enimuerò si iudicandum ex euentis est, apparet Catonem grauissimè errasse, qui Pompeii coniunctionem respuens, passus est eum ad Cæsarem ire, & nuptias eiusmodi coire, quæ Pompeii & Cæsaris in vnum confusa potentia, propè euerterunt imperium Romanum, rempublicam quidem perdiderunt: quorum nihil fortasse euenisset, nisi Cato metuens vilia Pompeii peccata, concessisset ei facultatem parandæ summorum perpetrandorum potestatis. Verùm hæc inferiorum sunt temporum. Lucullo autem & Pompeio de Ponticis constitutionibus inter se certantibus, (vterque enim à se constituta confirmari volebat) & Catone Lucullum haud obscurè iniuria affectum adiuuante, victus in senatu Pompeius, vt animos multitudinis sibi deuinciret, militibus spem agri diuidendi fecit: hîc quoque Catone resistente, & legem istam abolente, ita demum ad Clodium se contulit, eorum qui tunc temporis popularem fauorem sectabantur audacissimum, & ipsum Cæsarem, præbente quodammodo ansam ipso Catone, sibi adiunxit. Cæsar enim à bello Hispanico rediens, simul & consulatum petere & triumphare cupiebat. & cùm lex esset, vt petitio per præsentes fieret, qui autẽ esset triumphum ducturus, is tantisper extra pomœrium maneret: petebat à senatu, vt sibi aliorum opera ambire consulatũ liceret. Id cùm multi concederent, Cato repugnauit, sentiensque Cæsari plerosque cupere, diem totum dicendo exegit, atque ita senatus consultum impediit.

*Cæsaris cõsulatus, & cũ Põpeio affinitas.*

Quare Cæsar omisso triumpho, statim in vrbem venit, Pompeiúmque amplexus, consulatum petiit, eóque impetrato, huic Iuliam filiã suam nuptum dedit, factáq; aduersus rempublicam conspiratione, Cæsar leges de diuidendo egenis agro tulit, Pompeius eas defendit. Lucullus autem & Cicero collegæ eius Bibulo se coniungentes, repugnabant: atque in primis Cato, iam tum suspicans Cæsaris & Pompeii societatem nullum ob iustum finem coaluisse, di" censq; non se diuisionem agri metuere, sed præmiũ quod ij essent pro ea à populo, quem hoc inescarent & demere-

rentur

rentur munere, exacturi. Hæc illi dicenti cùm senatus adstipulabatur, tum aliorum quoque haud pauci se adiungebant Cæsaris peruersitati infensi: nam quæ tribb. plebis ferocissimus quisque & vilissimus in gratiam multitudinis ageret, hæc ille turpiter & abiectè in fauorem se populi insinuans consulari potestate moliebatur. Ergo Cæsar, & qui ab eius erant factione, metuentes suo proposito, ad vim confugerunt. Primùm Bibulo ipsi in forum degredienti corbis stercore plenus superfusus est: deinde in lictores eius factus impetus, eorumque confracti fasces: denique telis coniectis, multisque consauciatis è foro diffugere cursu reliqui. Cato vltimus pedetentim discessit, subinde ad ciues conuersus, inque capita eorum execratus. Ita non solum perlata est lex agraria, sed insuper scitum, vt senatores singuli iuramento promitterent, se eam legem ratam habituros, & contra aduersantes ei auxilium laturos: graui denunciata iis qui non iurassent pœna. Iurauere autem omnes, victi necessitate, Metelliique prisci casum memoria recolentes, quem iurare in similem legem recusantem Italia extorrem agi passus fuerat populus. Quapropter Catonem multis lacrymis, multis precibus domi mulieres obtestatæ sunt, vti flecteret animum, & iuraret; multis etiam amici hoc cum eo egerunt: qui verò præcipuè persuasit homini, & ad iurandum pertraxit, Cicero fuit, monens eum, docensque, Fortassis ne iustum quidem esse, vnum ipsum illis quæ essent communi consensu decreta reluctari: in apertum verò se coniicere periculum eius rei causa, quæ rescindi nullo modo iã possit, id verò vecordis planè esse & insanientis. iam id omnium malorũ grauissimum, si ciuitate cuius gratia agat omnia, destituta & quasi prodita insidiatoribus excidat ipse, quasi gaudens se certaminibus pro ea susceptis liberatum. etenim si non Roma Catoni, at Romæ Catone opus esse, eodemque amicos indigere, ac se præ reliquis, insidiis Clodii tribunatum affectantis palàm iam impetitum. His similibusq; sermonibus ferunt emollitum domi atq; in foro Catonem, tandemq; victum, postremum omnium, excepto familiari suo Fauonio, ad iurandum accessisse. Elatus eo successu Cæsar, aliam legem promulgauit, qua tota prope Campania pauperibus distribuebatur. Huic præter Catonem nemo contradixit: quem

*Cato in carcerẽ dũ ci iussus.*

à tribunali Cæsar ad carcerem abduci iussit, nihilo seciùs
sua vtentem dicendi libertate, sed inter eundum ea de lege
differẽtem, ciuesq; hortantem, vti huiusmodi leges feren-
di finem facerent: sequebatur eum senatus mœstus, & de
populo optimus quisq; tacitè indignans. Neq; fefellit Cæ-
sarem, iniquè id suum factum à ciuibus ferri: pergebat ta-
men peruicaci contẽtionis studio, fore sperans vt Cato de-
precaretur, aut auxilium inuocaret. Sed vbi satis apparuit,
nihil eum tale facturum, victus pudore & infamia rei Cæ-
sar ipse tribunum quendã plebis subornauit, qui Catonem
liberaret. Sanè his legibus & muneribus cicurato & subiu-
gato populo, Cæsari Illyricum & vniuersa Gallia cum qua-
tuor legionibus ad quinquennium est decreta, prædicente
Catone, populum suis ipsius suffragiis tyrannum in arce
collocare. P. quoque Clodium contra leges de patriciis in
plebeios traductũ tribunum plebis constituerunt, ea mer-
cede vt Cicero in exiliũ pelleretur, omnia in gratiam ipso-
rum agentem. Consules creauerunt Pisonem Calpurnium,
socerum Cæsaris, & A. Gabinium hominem ex sinu Pom-
peii natum, vt affirmant ij quibus mores eius & vita est co-
gnita. At enim tametsi tam validè essent rerum potiti Cæ-
sariani, ciuitatemq; partim fauore partim metu sibi subie-
cissent: Catonem tamen adhuc timebant: molestum enim
ipsis erat, & difficile, se ea quæ obtinuissent, nõ potuisse ta-
men nisi magno cum labore, neq; citra turpitudinem ab eo
coargutos vi consequi. Et verò Clodius desperans se Cato-
ne præsente Ciceronem opprimere posse, simul atque tri-
bunatum plebis occepit, id agens vt illum ab vrbe dimoue-
ret, ad se vocauit, atq; ita compellauit: Se eum omniũ Ro-
manorum integerrimũ iudicare, idq; nunc re ipsa testatum
reddere statuisse. multis enim administrationẽ Cypri am-
bientibus, se ipsum ea dignissimum arbitrari, ideoq; liben-
ter eam ipsi facere gratiam Exclamante Catone, non hanc
gratiam, sed insidias esse & iniuriam: superbè admodũ Clo-
dius, Ergo, inquit, quando gratum tibi hoc non est, inuitus
eò nauigabis: statimq; ad populũ progressus, legẽ de ea re
pertulit. Proficiscenti Catoni neq; nauim, neq; milites, neq;
famulos dedit, præter duos scribas, quorum alter fur erat,
alter Clodii cliens. Porrò tanquam in Cypro constituenda
& Ptolemæi negocio parum laboris esset futurum, iniun-

*Clodij tribunatus plebis.*

*Cato in Cyprũ amandatus.*

xit

xit ei præterea vt Byzantiorum exules reduceret: id agens, vt se tribunatum plebis gerente, quàm diutissimè ab Vrbe abesset Cato. Hac constrictus Cato necessitate, Ciceroni iam tum à Clodio impetito consilium dedit, ne factionibus aut armis cædibusque vrbem propter se agitari vellet, sed tempori concedens abiret, atque ita patriæ denuò salutem afferret: ipse vno suorum amicorum Canidio in Cyprum præmisso, Ptolemæum monuit, vti citra pugnam cederet, victurus vitam neque opum neque honorum indigã: nam ei populum sacerdotium Veneris Paphiæ concessurum. interim Rhodi ad negocium tractandum se comparans, responsa expectabat. Venit eò tum temporis Ptolemæus Ægypti rex, qui ciuium ira & dissensione compulsus Alexandria abiuerat, Romamq; nauigabat impetratum, vt à Cæsare & Pompeio armata manu restitueretur. Is cum Cato- *Cum Ptolemæo rege colloquitur.*
ne colloqui cupiens, ad eum misit, sperans eum ad se venturum. Cato qui tum fortè ventrem medicamento purgaret, Ptolemæum, si quid vellet, ad se venire iussit: venientique neq; est progressus obuiam, neque intranti assurrexit, sed tanquam quemuis alium salutauit ac sedere iussit. Id primùm perturbauit Ptolemæum, hominis tam vili habitu popularique vtentis fastum admirantem: orsus deinde de suis rebus colloqui sermonem sapientem liberumq; Catonis audiit, increpantis ipsum, & ostendentis quanta relicta beatitate seipsum tantos in labores coniecisset, cui demerenda nunc, muneribusque concilianda esset Romanorum principum auaricia, quam vix tota in pecuniam redacta Ægyptus explere posset: monentis porrò, vt retrò ad suos nauigaret, cúmque iis gratiam reconciliaret, ad eámque rem suum comitatum & operam pollicentis. ibi tum rex, quasi ex insania aut delirio ad animum reuersus intellecta veritate, & sapienti Catonis consilio, statuit quidem ei obtemperare: sed rursum ab amicis retractus à proposito, vt primùm Romam venit, & ad fores vnius principum acceßit, deplorauit suam imprudentiam, qui non egregii viri sermonem, sed Dei oraculum spreuisset. At Ptolemæus Cyprius bona quadam Catonis fortuna veneno sese necauit. Cuius morte cùm magnæ relictæ ferrentur diuitiæ, Cato ipse Byzantium nauigare statuens, Brutum sororis filium in Cyprũ præmisit, non satis fidens Canidio: reductis

exulibus & redintegrata Byzantiis concordia, in Cyprum nauigauit. Cùm verò esset amplissima supellex regia poculorum, mensarum, lapidum, purpurarum, eaq; omnia vendendo in pecuniam essent commutanda: cupiens omnia ad summũ preciũ adducere, ipseq; omnibus interesse, & exacte de singulis subducere rationes, neq; consuetudini fori satis credidit, & suspectos habens omnes famulos, præcones, venditores, ad extremum singula ipse emptorib. proferendo & preciũ constituendo, pleraſq; ita merces diuendidit. Quæ res cum alios eius amicos, quòd parũ iis habere fidei videretur, offendit, tum Munatium omnium familiarissimum ira propè implacabili accendit: ita quidem, vt in Anticatone Cæsar huic loco acerbissimè exagitando immoratus sit. Verùm ipse Munatius non Catonis sinistro de se iudicio, sed neglectione sui, & aduersus Canidium æmulatione sua iram eam extitisse narrat. edidit enim librum de Catone, quem Thraseas præcipuè secutus est. Ita autem refert. Se posteriorem in Cyprum appulisse, ibiq; hospitium ei ab aliis spretum & neglectum obtigisse: cùm verò ad Catonis fores venisset, non fuisse admissum, eo intus aliquid arcani cum Canidio tractante. Quo nomine cùm incusasset modestè Catonem, asperiùs iusto sibi ab eo fuisse respon-sum. Equidem apparet, ô Munati, id quod est à Theophrasto dictũ, nimiũ amando aliquando effici, vt eum quẽ amamus, odisse incipiamus: quando tu etiam vehementissimè nos amans, eò indignaris, quòd minori te quàm conueniat in honore esse putas. ego autem Canidio cum ob peritiam vtor præ reliquis, tum ob fidem, quòd & initio venit, & integrè se gessit. hæc ait Catonem cum ipso remotis arbitris locutum, deinde ad Canidium extulisse. Itaq; se re cõperta neq; ad cœnam porro ventitasse, neq; si ad consilium vocaretur, paruisse: cumque minaretur Cato se eum pignore (ita enim solet agi cum cõtumacibus) coacturum, nihil ista curasse, sed è Cypro soluisse, diuq; in ira ea pmansisse. Postea temporis Marcia (nam adhuc cum Catone viuebat) cum marito ea de re collocuta, fortè vtrunque à Barca fuisse ad cœnam vocatum: Catonemq; cùm reliqui omnes iam accubuissent ingressum, quæsiuisse vbi accumberet, & Barca optionem ei dãte, dixisse, iuxta Munatium velle se accumbere, sibique adsedisse: neq; tamen ea in cœna amicè quicquam

*Munatij & Catonis discordia.*

quam præterea secum egisse. Rursum Marcia deprecante, Catonem epistola se vocasse ad colloquium: se prima luce ad domum eius venisse, detentumque à Marcia, donec cæteri omnes discessissent: ibi demum Catonem ingressum complexum sibi tulisse, ac cõsalutasse. Hęc est Munatij narratio: quam fusiùs retuli, existimans huiusmodi historias ad mores & ingenia hominũ demonstranda non minus, quàm magna & publica facinora, perspicuitatis adferre. Coegit autem Cato argenti talenta propè septies mille. Porrò longam nauigationem metuens, vasa multa parauit, quorum singula duorum talentorum & quingentarũ drachmarum essent capacia, horum vnicuique longum funem appendit, cuius capiti suber magnum esset annexum: vt fracta naui indicia essent, vbi locorum demersa pecunia iaceret Et pecuniæ quidem paucis demptis omnes saluæ Romam allatæ sunt. Rationes verò suæ administrationis accuratè duobus in libris conscripserat, quorum vterq; intercidit. nam cùm alterum libertus eius Philargyrus ferret, is à Cenchreis soluens, euersa naui vnà cum sarcinis perijt: alterum cùm ipse ad Corcyram vsque pertulisset, ipso in foro sub tabernaculo dormiente, nautæ propter frigus magnos ignes noctu fecerunt, ita vt corriperentur flammis tentoria, cumque his vnà liber periret. Aderant quidem ei administri regij, quorum opera inimicis & calumniatoribus facilè ora obthuraret: mordebat tamẽ ea librorum iactura Catonem, quòd eos non tam pro suarum rationum confirmatione, quàm vt essent reliquis diligentiæ exemplum adferre studuerat, nisi huic eius conatui inuidia fortunæ obstitisset. Cum Tiberi ad vrbem subueheretur, non latuit eius aduentus ciues: sed omnes magistratus, omnes sacerdotes, vniuersus senatus, ac magna populi pars obuij vtranque ripam multitudine sua texerunt, ita vt conspectus nauigationis istius & comitantium studium triumpho nihil concederet. Tametsi nouum illud quibusdam videbatur & superbum, quòd consulibus & prætoribus præsentibus, neque egressus naui ad illos est, neque nauigationem inhibuit: sed regia naui quæ sex ordinibus remorum agebatur littus citato cursu legens non antè cessauit, quàm in nauali classem constituit. Pecunijs per forum translatis, & populus earum admiratus est multitudinem, & senatus frequens præter cæteras meritas

*Iactura librorũ rationum.*

16 laudes Catoni præturam extraordinariam decreuit, vtq; ludos veste purpura prætexta spectaret. Verùm Cato his repudiatis senatui persuasit, vt Niciam regium dispensatorem libertate donaret, diligentiæ ei ac fidei testimonium præbens. Erat tum consul Philippus Marciæ pater, & eius magistratus autoritas atq; potentia ad Catonem redibat: cum non maiorem Philippus ob affinitatem, quàm eius collega ob virtutē Catoni honorem tribueret. Cùm Cicero ab exilio reuocatus, recuperata potentia sua tribunicias tabulas à Clodio (is Ciceronem patria expulerat) in Capitolio positas absente Clodio vi deijceret: deinde eius rei causa congregato senatu, & accusante factum Clodio, diceret præter leges Clodio tribunatum plebis datum, itaq; rescindi & irrita haberi debere ea quę sub eo acta aut scripta essent: Cato eam orationem interpellauit, & ad extremum surgens ita verba fecit. Sibi quidem neq; rectum, neq; vtile Clodij capessendæ reip. institutum videri. si tamen rescindi oporteat ea quæ in tribunatu eius acta sint, omnem quoq; suam Cypriam actionē rescissum iri, neq; iustam fuisse suam amandationem, cuius autor is fuisset, qui contra leges magistratum gereret. Enimuero nequaquā contra leges Clodio tribunatū plebis commissum: quòd lex patricium adoptari à plebeio, & sic transire ad plebem permittat. quod si verò iniustè magistratum (vt & alij) administrarit, ipsum eo nomine in ius rapi debere: neque deberi vnà etiam magistratus, cui iniuria sit ab ipso facta, autoritatem euerti. Ob hæc Cicero Catoni iratus, aliquandiu eius amicitia vti omisit: redintegrata est tamen posteà inter eos gratia. Secundum hæc Pompeius & Crassus cum Cęsare Alpes transgresso congressi rem ita composuerunt, vt ipsi consulatum secundum peterent, eumq́ue adepti, Cæsari imperium in aliud quinquennium prorogarent: sibi prouincias amplissimas, pecuniam, exercitusq́ue decernerent. Erat hoc de diuidendo imperio, & euertenda republ. coniuratio. Erant multi tum ac præclari viri, qui petere consulatum intendissent: sed eos Pompeius ac Crassus inter competitores conspecti statim deterruerunt. soli L. Domitio Porciæ sororis suæ marito persuasit Cato, ne cederet, neve certamen dimitteret, quo non de eo honore, sed libertate P.R. dimicaretur. Nam & rumor per optimos quosque ciuium editus erat, non esse conce-

*Honor Catoni habitus.*

*Clodij tribunatum defendit.*

concedendum vt Pompeij ac Crassi potentia in vnum compactis consularis magistratus nimia vis atq; potentia redigeretur, sed eum alterutri præripiendum: coniungebantque se Domitio multi, adhortantes eum & confirmantes, ac multos esse promittentes qui nunc metus causa tacentes suffragijs suis ipsum essent electuri. Id metuens Pompeius Domitio manè prælucentibus facibus in campum descendenti insidias collocauit: ac primus qui facem ante ipsum Domitiũ gestabat ictus cecidit, expirauitq;: deinde reliquis etiam consauciatis, diffugere omnes præter Catonem, ac Domitium, quem Cato, tametsi ipse quoq; brachium vulneratus, retinebat, hortabaturq; vt secũ maneret, neq; dum spirarent, certamine absisterent pro libertate patriæ aduersus tyrannos suscepto: qui vt essent vsuri magistratu, iam nunc satis ostenderent, tantis sibi flagitijs aditũ ad eum parantes. Domitio tamen periculum subterfugiente, & se domum subducente, Pompeius & Crassus consules sunt creati. Ne sic quidem defatigatus Cato, præturam statim petijt, cupiens ex hac quasi arce aduersus illos pugnare, neq; prius ipse cũ magistratibus decertare. At consules designati hoc quoque metuentes, ne prætura ob Catonem consulari potestati fieret, primũ subitò, & plerisq; ignorantibus senatũ cõuocarunt, ac decreuerũt vt qui prætores essent electi, ij statim magistratum inirent, non interposito solito tempore, ne cui fraudi ambitus esset, eiusq; causa dies ei posset dici. Simulq; ipsi amicos suos & administros ad petendum præturam subornarunt, ipsi pecuniam eis quã largirentur dantes, ipsique suffragijs ferendis adsistentes. Hoc quoque consilium virtus & gloria Catonis irritum fecit, turpe pleriſque & indignum existimantibus, suffragijs Catonem vendi, qui emendus ciuitati prætor esset: itaq, & prima tribuum ad suffragium vocata, Catonẽ nominauit. Tum Pompeius subitò mentitus se tonitru audisse, turpissimè comitia soluit: erat enim in consuetudine positum, vt si de cœlo esset seruatum, nihil perageretur. Iterũ multa vsus largitione, optimisque campo expulsis vi obtinuerunt, vt pro Catone Vatinius prætor crearetur. Cũ quidem ferunt eos qui ita iniustè & iniquè suffragia dedissent, statim se à pontibus quasi fuga proripuisse: reliquos contionẽ fecisse graui indignatione concitos, dataq; ijs statim à quodam tribuno plebis concione,

*Domitio consulatũ petente vim fit.*

*Catorepulsam patitur præturã petens.*

cione, Catonem ita verba feciſſe, vt quaſi diuino quodam afflatus furore quæ futura eſſent ciuitati vaticinaretur, ciuesque aduerſus Pompeium & Craſſum inſtigaret: qui ſcilicet huiuſmodi ſibi conſiliorum eſſent conſcij, easque res tentarent, vt metuerent Catonem, ne is prætor factus ipſos vinceret. denique domum abeuntem tanta multitudo proſecuta eſt, vt ne vniuerſis quidem tum deſignatis prætoribus tantus fuerit comitatus. Præterea cùm C. Treboniuslegem de conſularibus prouincijs tuliſſet, vt alter Hiſpaniam & Africam obtineret, alter Ægyptum & Syriam, & copijs terreſtribus naualibusque oppugnarent ac ſubigerent quos vellent: reliqui deſperato ſe quicquam poſſe reluctando efficere, etiam contradicendo ſuperſederunt. Cato autem antequam ſuffragia populus iniret conſcenſo tribunali cum verba facere cuperet, vix impetrauit, vt ſibi per duas horas dicere liceret: quas vt multa commemorans, docens prædicensque exegit, non ampliùs dicendi ei copia eſt conceſſa, ſed manente in tribunali apparitor aggreſſus detraxit. cum inferiori loco ſtans clamaret adhuc, neque deeſſent qui ei autes præberent, & vim ei factam iniquè ferrent, rurſus eum apparitor arreptum foro eduxit. dimiſſus, illicò ad tribunal iterum contendit, vociferando ciuium auxilium implorás: quod cùm aliquoties exturbatus foro feciſſet, tandem Trebonius graui dolore commotus abduci eum in carcerem iuſſit. ſequebatur autem multitudo, auſcultabatque eo interim dum abduceretur clamitante: ita vt Treboniusin metum veniret, eumque dimitti iuberet. Sic illa dies à Catone eſt extracta. Quæ inſecutæ deinceps ſunt, ijs partim perterrito populo, partim beneficijs & largitionibus deuincto, Aquilio etiam tribuno plebis armis aditu è curia in ſorum intercluſo, ipſoque Catone, cùm tonuiſſe vociferaretur, foro exturbato, compluribus ſauciatis, quibuſdam etiam cæſis, vi demum legem pertulerunt: qua re indignatione multi concitata coitionem fecerunt & ſtatuas Pompeij deijcere cœperunt: ſed eos Cato inhibuit. Cùm deinde alia lege Cæſari prouinciæ & exercitus decernerentur, Cato non, vt antè, ad populum, ſed ad ipſum iam conuerſus Pompeium, teſtatus eſt prædixitque, Eum Cæſarem iam vltrò in ſuas ceruices imponere imprudentem: fore autem, vt cùm grauari eo onere, & premi inciperet, neque deponere valeret,

*Legẽ Trebonij oppugnat.*

*Pompeio vaticinatur.*

ret, tunc vnà cum eo in ciuitatem concideret: atque tum eum Catonis monita recordaturum, intellecturumq; non minùs ea ad Pompeij vtilitatem, quàm ad honestatem fuisse & iusticiam accommodata. Hęc sæpius audiens Pompeius, planè cõtempsit, quòd sua fretus felicitate & potentia mutatum iri Cæsaris animum nullo modo crederet. In annum insequentem prætor factus Cato, non tantum præclare ase gesto magistratui maiestatis addidit, quantum videretur de eius dignitate detraxisse, qui sæpe absque tunica & calceis ad tribunal veniret, ac de capitalibus causis illustrium virorum ita cognosceret. Quidam eum etiam à prandio potum ius dixisse, sed falso tamen ij affirmãt. In ea prætura cernens populum ambitiosorum hominum planè corruptum largitionibus eumque iam esse multorum veluti certum quæstum: vt illum ciuitatis morbum penitus excinderet, senatui persuasit vti S. C. faceret, quo designati magistratus si à nemine ambitus postularentur, cogerentur ipsi iurato in iudicio comparere, suæque petitionis rationes edere. Offendit & candidatos ea res, & magis adhuc turbam addicere precio suffragium solitam: itaque prima luce ad tribunal descendente Catone conferto agmine irruerunt vociferantes, maledicentes, iacientes: adeò vt plerique diffugerent à tribunali, & ipse turba hominum pressus atque contrusus vix rostra apprehenderit. Inde assurgens, tumultum ipsa statim vultus grauitate & ferocia compescuit, clamoremq; sedauit: locutusque de re quæ essent consentanea, auditusque quietè, omnem motum composuit. Laudatus ob hoc à senatu: At ego, inquit, vos nequaquam laudo, qui in periculo constitutum prætorem destitueritis. In magna autem difficultate vnus quilibet eorum qui magistratum peterent, erat constitutus: nam & largitione suffragia mercari ipse non audebat, & metuebat, ne si hoc aliquis competitorum fecisset, sibi magistratus præriperetur. Itaque inter eos sic est conuentum, vt singuli quingena sestertia deponerent, ac proinde legitimè magistratum ambirent: qui verò secùs fecisset, aut muneribus suffragia captasset, is pecuniam depositam amitteret. Hoc pacti, Catonem custodem, testem, iudicemque delegerunt, pactique literas apud eum deposuerunt, sponsores loco pecuniæ accipientem. Vt venit dies comitiorum, adstans Cato tribuno plebis qui comitijs

*Prætura Catonis.*

*Contra ambitum acta.*

mitijs præerat, & ſuffragiorum lationem obſeruans, vnum ex ijs mala fide agere deprehendit, iuſſitque eum pecuniam competitoribus numerare: ſed illi Catonis iuſtitiam admirati, mulctam damnato remiſerunt, ſatis iam tum hac damnatione ſupplicij dediſſe cenſentes. Inuiſus autem eam ob rem Cato reliquis fuit, quaſi ſenatus & iudicij & magiſtratuum poteſtatem ſibi vindicans. Nullius enim virtutis gloria & autoritas magis obnoxia eſt inuidiæ, quàm iuſticiæ: eò, quòd ſumma etiam eius potentia, ſumma fides eſt apud multitudinem. Non enim honorant tantùm iuſtos vulgo, vt fortes, neque admirantur modò, vt prudentes: ſed & diligunt, & in ijs fiduciam collocant, cùm illos partim metuant, partim ijs diffidant. ad hoc iſtos putant natura magis quàm voluntate præſtare, prudentiam pro celeritate quadam mentis, fortitudinem pro animi robore habentes: iuſticiam autem à ſola voluntate arbitrantur proficiſci, eò quòd turpitudo iniuſticiæ, vt certi atque apertivitij, fugiatur. Quæ cauſa fuit vt Catoni omnes proceres, veluti ab eo reprehenſi, aduerſarentur. Et verò Pompeius ſuam potentiam ipſius ſubrui gloria iudicans, ſemper aliquos ſubmiſit, qui conuicia in eum iacerent: inter quos & Clodius fuit, ille, qui ſe rurſus ad Pompeium cùm contuliſſet, Catonem multa de pecunia Cypria interuertiſſe, & Pompeium, quòd is filiam eius ducere abnuiſſet, inſectari vociferabatur. Aduerſum hæc Cato dicebat: Se nullo neque eo quo neque militeuſum, pecuniæ tamen tantum in ærarium intuliſſe, quantum toto terrarum orbe exagitato Pompeius tot bellis triumphisque non aduexiſſet. Pompeij autem ſe affinitatem nunquam probaſſe, non quòd eum indignum iudicaret, ſed quòd diſſimilitudinem inſtituę in rep. rationis cerneret. Se enim datam ſibi ex prætura prouinciam omiſiſſe: illum alias arripere ſibi, alias alijs largiri, nuper etiam ſex millia militum Cæſari in Galliam vtenda miſiſſe, quæ neque Cæſar à populo petijſſet, neque Pompeius de populi ſententia ei conceſſiſſet: ſed huiuſmodi exercitus, arma, equosque munera eſſe, quæ priuati inuicem darent. Eundē Pompeium imperatoris & ducis nomine inſignem, alijs exercitus & prouincias tradidiſſe, ipſum ad vrbem deſidere prēmia factionū comitijs diſtribuentem, tumultusq; concitantem, idque haud obſcurè molientem vt magiſtra-

*Iuſticiæ inuidetur.*

*Cato de ſe & Pōpeio.*

tibus

tibus abolitis summam rerum occupet. Hoc modo Pompeium vltus est Cato. Erat quidam M. Fauonius Catonis amicus & æmulus (quemadmodum Apollodorus fertur Phalereus Socratis prisci fuisse imitator) homo animi vehemen- *Fauonij ædilitas.*
tis, & qui non lentos aut placidos eius motus, sed intemperatos atq; insaniæ & furori similes haberet. Is in petitione ædilitatis repulsam ferebat: Cato autem, qui tum vnà aderat, tabellas animaduertit vna omnes manu cõscriptas: eaq; fraude detecta, tribunis plebis appellatis comitia dissoluit. Pòst ædilitatem consecuto Fauonio, diligenter eum in eo officio adiuuit, inq; theatro spectaculo adornauit, scenicisque operis coronas distribuit non aureas, sed vt Olympiæ fiebat, ex oleastro: dona quoque pro sumptuosis istis dedit, Græcis quidem betas, lactucas, radiculas, pira: Romanis verò testas vini, carnes suillas, ficus, cucumeres, fasciculos lignorum. Horum quidam donorum vilitatem ridebant, alijs iucundum erat videre austeritatem morositatemque Catonis sensim ad hilaritatem se inclinantem. Tandem Fauonius turbæ se immiscens, interque spectatores assidens, plausum Catoni dedit, iussitque eum præmia victoribus tribuere, spectatoresque vt applauderent Catoni, cui ipse eam potestatem concessisset, hortabatur. Altero in theatro Fauonij collega Curio magnificos ludos edebat: sed homines eo relicto in Fauonij theatrum transibant, cum eoque ludebant personam priuati, Catone ædilis agente. Id autem Cato faciebat, vt irrideret consuetudinem istam, ac ostenderet res ludicras per iocum tractandas, magisque iucunditate simplici celebrandas, quam magnos sumptus atque apparatus & curam operamque in res nullius momenti conferenda. Scipione, Hypsæo, & Milone consulatum petentibus, ac non vsitatis modò istis & consuetis facinoribus largiendo & suffragia corrumpendo, sed palam armis cædibusque grassando bellum ciuile conturbantibus: non defuerunt, qui Pompeium præfici comitijs iuberent. Reclamabat initiò Cato, non legibus à Pompeio, sed huic à legibus securitatem præstandam dicens. Verùm vt aliquanto iam tempore sine constitutis magistratibus tracto, ac tribus quotidie exercitibus forum circumstantibus, patrũ ab extrema pernicie res abfuit, statuit priusquam vltima vrgeret necessitas gratuito senatus beneficio summam rerum *Cato consulatũ Pompeio absq; collega defert.*

rerum ad Pompeium deuoluere, & quàm maximè tolerabili legum violatione ad sanandam rempubl. vti, potiusq; vni omnem potestatem concedere, quàm eundem tandem seditionum finem præstolari. Dixit in senatu tum Bibulus familiaris Catonis sententiam, Pompeium absq; collega esse creandũ consulem: aut enim ab eo remp. cõstitutum iri, aut præstantissimo saltem seruituram vrbem. Hanc sententiam Cato, id quod insperantibus omnibus cecidit, approbauit, docuitque cùm quemuis magistratum nullo potiorem esse, tum se sperare Pompeium optimè res administraturum, ciuitatemq; fidei suæ creditam conseruaturum. Ita consul factus Pompeius, Catonem vt ad se veniret in suburbium rogauit: venientemq; amicè & comiter complexus gratijs actis orauit, vt sibi consiliarius eo in magistratu ac assessor esse vellet. Respondit Cato, se neque priora odio Pompeij, neque ista studio eius dixisse, sed in commodum omnia ciuitatis: itaq; se ei priuatim vocanti libenter consilium daturum, publicè etiam iniussu eius sententiam suam pronunciaturum: atq; ita planè egit. Primò Pompeium nouas grauesque pœnas aduersum eos qui largitionibus populum corrumperent constituere intendentem, missa facere præterita iussit, & futuris consulere. nam neq; finem inquirendi in antè peccata constiturum, & si noua eorum decernantur supplicia, de iniquitate quærendi occasionem habituros, qui alia lege punirentur quàm ea quam violassent. Deinde cùm multi nobiles viri, nonnulli etiam amici Pompeij atque domestici rei agerentur, videns ipsum sæpe inflecti ad gratiam, & à iusticia declinare, grauiter reprehensum correxit. Porrò lege lata Pompeius laudationes seu commendationes cùm sustulisset, atque ipse tamen Munatio Planco

22 vnam scripsisset, inq; iudicio dedisset: Cato tunc inter iudices assidens manibus aures texit, recitarique eam vetuit: & quamuis eum Plancus ex iudicũ numero reijceret post oratam causam, nihilominus tamẽ est damnatus. Omnino autem maximas difficultates Cato reis exhibebat, quòd eum neq; iudicem esse vellent, neq; reijcere auderẽt. multi enim eò damnabantur, quòd Catonem recusantes iudicem malè sibi conscij viderentur: & multis id tanquam graue opprobrium obijciebatur quòd hunc ferre non potuissent. Cùm Cæsar in Gallia apud exercitus commoraretur, muneribus autem,

*T. Planci iudicium.*

autem, amicorumq; opera suam Romæ potentiam confirmaret: iam Catonis prædictiones Pompeium nonnihil excitabãt, post longam incredulitatem veluti per insomnium animo periculum imaginantem. Quem cùm videret Cato trepidationis & cunctationis plenum, obstare Cæsari & eum reprimere segniter conaturum: statuit ipse consulatum petere, quo impetrato aut statim adimeret arma Cæsari, aut reluctantis insidias detegeret. Vterque competitorum eius gratiosus erat: Sulpicius autem, qui amplissimos Catonis autoritatis & potentię fructus in ciuitate tulisset, videbatur iniustè agere, malamque benefactori gratiam referre: neque tamen id ei vitio dabat Cato: Nõ esse mirum inquiens, si quod quis omnium bonorum maximum esse putaret, id alteri non concederet. Cæterùm Catonis suasu senatus decreuit, vt qui magistratum ambirent, ij citra aliorum operam ipsi prehensarent. Hoc populi animos magis etiam exasperauit, cùm non modò mercedem accipere, sed ne gratificari quidem iam quibus vellent ipsis liceret, simulq; & damnum & ignominia ipsis inferretur. Sed & Cato ipse minimè gratiosus in compellandis ciuibus, vt qui moribus suis partam autoritatem conseruare, quam augere eam magistratus dignitate mallet, ipse ciues prehensans, neque amicos ea agere sinens, quibus demereri animos hominum solent, in petitione repulsam tulit. Eam qui paterentur, solebant per aliquot dies pudore & mœrore teneri: neque ipsi modò, sed amici etiam ac domestici. sed Cato ita contempsit, vt vnctus in campo pila luderet, & à prandio sine tunica & calceis in foro pro more suo deambularet cum amicis. Culpat eum Cicero, quòd rebus tum maximè talem consulem desiderantibus, non ad eum magistratum consequendum studio & comi hominum compellatione incubuisset, sed in posterum quoque veluti defatigatus desperasset: tametsi præturam denuò ambiuit. Hæc ita excusat Cato, Præturam sibi non volente populo, sed vel coacto vel corrupto denegatam: in consulatus petitione quia citra fraudem essent suffragia lata, expertum se quòd esset etiam multitudini inuisus, ob mores nimirum suos, quos neque mutare ob captandam aliorum gratiam, neq; eos obtinentem rursus eandem subire fortunam dignum homine cordato existimaret. Cũ Cæsar facta in bellicosas nationes

*Consulatũ petit primo Cato.*

impressione victoriam audacia sua parasset, & Germanos inducíarum adortus tempore trecenta millia occidisse diceretur, reliquis ob tam lætum nuncium iubentibus populum sacrificare, Cato dedendũ ijs, quibus esset iniuria præter fœdus facta, Cæsarem affirmabat, neque ei piaculo ciues vrbemque obstringendam: Et tamen, inquiebat, par est nos Dijs immolare, gratias agentes, quod insaniam ducis non militum pernicie puniuerunt, sed ciuitati pepercere. Secundum hæc literæ Cæsaris ad senatum allatæ sunt, multis in Catonem criminationibus, multis conuicijs refertæ. Quibus recitatis Cato non ira aut contentionis studio, sed ratione consilioq; impulsus ita verba in senatu fecit, vt reprehensiones Cæsaris iurgij & dicteriorum, pueriliumq; nugarum & scurrilium facetiarum similes esse demonstraret: orsus deinde omnia ipsius facta & conatus à capite recensere, omnes eius cogitationes & consilia non vt inimicus, sed tanquam coniuratus & particeps detegens ostendit Romanis, si saperent, non Britannos aut Celtas, sed ipsum esse timendum Cæsarem: atq; ita animos senatorum circumegit & iritauit, vt recitatam epistolam Cæsaris amicos pœniteret, quòd eo facto Catoni iustæ orationis, verorumque obijciendorum criminum occasionem præbuissent. Nullum tum factum est S. C. id modo dictum fuit, debere successorem Cæsari mitti. Eius verò amicis postulantibus, vt Pompeius quoq; itidem arma & prouincias traderet, aut ne Cæsari quidem ea adimerentur, Iam nunc ea instare Cato vociferabatur, quæ esset vaticinatus: venire iam Cæsarem, & vim intentare, palamque abuti sua potentia, quam decipiendo vrbem ac fallacijs circumueniendo occupasset. Hæc ille dictans apud populũ nihil efficiebat, qui semper Cæsarem ad summũ euehere studebat: senatui quidem persuasit, vtque à populo sibi timeret effecit. Arimino occupato cùm nunciaretur Cæsarem exercitum Romam versus ducere: ibi omnes in Catonem intueri, atq; ipse adeò Pompeius: hunc solum ab initio præsensisse Cæsaris consilia, hunc primum manifestè prædixisse ferentes. ad ea Cato, Si vos consilijs meis atque prædictionibus obtemperassetis, non iam & vnum hominem metueretis, & in vno omnem spem repositam haberetis. Pompeio etiam dicente Catonem rectiùs de futuris prædixisse, se amiciùs egisse, Cato senatui autor fuit

*Cæsaris consilia detegit.*

fuit summam rerum Pompeio permittendi, Eiusdem esse dicens magna mala inferre & depellere. Et Pompeius quidem cum neq; in promtu esset exercitus, neq; satis animi ijs qui scribebantur, Romam reliquit. Cato comitem se fugæ præbere cùm statuisset, maiore filio secũ accepto, minorem in Brutios ad Munatium misit: domo autem & filiabus procuratoris indigentibus, Marciam iterum ad se recepit, viduã tum, & valdè pecuniosam. Etenim Hortensius moriens eam hęredem instituerat. Id quod maximè ei exprobrat Cæsar, auariciam exagitans, & coniugij commercio quæstum paratum: quid enim (inquit) attinebat vxorem concedere alteri, qua ipse opus habebat? quidve eam recipere, cũ non esset vsui, si non inescandi causa Hortensio Marcia tradita est iuuenis, vt ditata reciperetur? Ad hæc commodè Euripideum illud responderi potest, vt arbitror:

*Marcia iterum recipit.*

*Primùm refellam infanda: nam metum Herculi*
*Animumq; mollem, crimen infandum, obijcis.*

Est enim perinde ac si Herculi timiditatem exprobres, Catoni turpis lucri cupiditatem tribuere. Id quidem videndum, ne aliàs istæ nuptiæ habeant, quod culpari possit: ducta enim denuò Marcia, eiq; tradita familia & filiabus, ipse Pompeium secutus est. Ab illa fertur die neq; capillum tondisse, neq; barbam, vnumq; lugẽtis & ob patriæ calamitates graui mœsticia affecti siue secundis siue aduersis rebus vultum retinuisse. Sorte tum nactus Siciliam prouinciam, Syracusas venit: ibi cũ accepisset Asinium Pollionem cum exercitu missum ab hoste Messanã appulisse, misit, qui eum sibi rationem iuberent aditæ prouinciæ reddere. Sed contrà ab eo iussus rerum commutatarum causas edere, simulque Pompeium audiens Italia prorsus excessisse, & Dyrrhachij castra habere: Magnam esse dixit rerum diuinarum incõstantiam atq; obscuritatem, quando Pompeium, qui malas & iniustas res agens semper obtinuisset, nunc pro salute & libertate patriæ propugnantem fortuna destituisset. itaq; etsi videbatur sibi posse Asinium insula depellere, tamen quòd ei maiores aliæ copiæ submittebantur, nolens belli calamitatib. insulã affligere, Syracusanis monitis vt victori se adiungerent, suæque saluti consulerent, ad Pompeium se contulit. Vnam autem hanc sententiam perpetuò tuebatur, habendum esse bellum: sperans extituram pacificationem,

*Catonis facta bello ciuili.*

neque volens vt commisso prœlio ciuitas Romana sese extremis cladibus conficeret. Multa quoque huius sententiæ germana decernendi autor Pompeio eiusque consiliarijs fuit: verbi causa, Ne qua vrbs Romanis subdita diriperetur, ne quis Romanus extra aciem cæderetur. quibus reb. Pompeio gloriam fauoremq; parauit, vt multi æquitatem eius & humanitatē amplecterentur, seq; ei adiungerent. Missus deinde in Asiam, vt eos qui naues ibi & milites conducebāt adiuuaret, Seruiliam sororem suam, & puerū quem Lucullo pepererat, secum abduxit. nam ea tum vidua fratrem sequebatur, & multa impudicitiæ crimina eo diluebat, quòd vltrò cum Catone vagari, eiusq; custodiam & victus rationem perferre sustinuisset. Quanquam Cæsar sororis quoq; eius nomine obtrectare Catoni non pepercit. Videtur autem Pompeianis ducibus nihil opus fuisse Catonis præsentia: itaque Rhodijs persuadendo in suam partem pertractis, ibi Seruilia cum puero deposita, ad Pompeium redijt, qui iam & pedestres & nauales copias amplas parauerat. Quo quidē tempore Pompeius quid in animo haberet, videtur haud obscurè prodidisse. Cum enim statuisset Catoni nauales tradere copias (erant autem naues ad pugnam factæ haud pauciores quingentis: tū Liburnæ, speculatoria & alia non recta nauigia amplissimo numero) iamq; ea de re esset cum ipso locutus: mox vel ipse sentiens, vel ab amicis monitus, hoc vnum esse Catoni propositum, protinus omni dominatione patriam liberare, & si tāto cum imperio sit futurus quo die Cæsarem vicissent, eo Pompeium quoque vt arma deponeret & legibus pareret coacturum: mutata sententia Bibulum classi præfecit. Neque tamen id factum Catonis studium languidius reddidit. Quin & hoc memoriæ traditum est, Pompeium ad pugnam apud Dyrrhachium suos cohortatum, & reliquos etiam duces vt verba ad milites facerent iussisse: milites tacitos & animo minimè alacri audiuisse. cùm autem postremo loco Cato ea quæ tempestiuè ibi recitari possent de philosophia depromens, de libertate, virtute, morte, & gloria orationem habuisset vehementi cum animi commotione, in eaque extrema Deos, vt præsentes & susceptī pro patria certaminis inspectores compellasset: tantum extitisse clamorem, atque ita excitatos militum animos, vt bonæ spei pleni omnes duci se in

hostem

hostem postularent. Fortuna Cæsaris eo die victoriæ partæ summam Pompeio ademit, cautione ad hoc eius & timiditate abusa: vt in vita Pompeij scripsimus. Gaudentibus autem omnibus Pompeianis, & rem præclarè gestam prædicantibus, Cato videns multos ac bonos ciues à se mutuò cęsos, patriæ calamitatem, pestiferamq; hominũ & infelicem ambitionem deplorauit. Pompeius verò Cæsarem in Thessaliam persequens, multis apud Dyrrhachium armis, multis suorum relictis hominum, vniuersis ducem custodemque præfecit Catonem cum quindecim cohortibus militum: quòd eum virum & metueret, neque satis fideret ei. censebat enim eum sibi victo omnium fidissimum fore, victorem autem vti rebus eo quo constituisset modo nequaquam passurum. multi etiam alij illustres viri vnà cum Catone tum ibi apud Dyrrhachium à Pompeio abiecti atque relicti sunt. Accepta deinde apud Pharsalũ clade, ita secum statuit Cato, Si quidem perijsset Pompeius, suos in Italiam transmittere, ipse autẽ in exilio quã longissimè à tyrannide vitam exigere: sin is supersset, omnino ei quas habebat copias seruare. Eo animo Corcyram ad classem traiecit, & Ciceroni imperium, vt prætorius consulari, concessit. Detrectante eo & in Italiam tendente, cernens Pompeium filium intempestiuo quodam fastu ac peruicacia impulsum punire abeuntes intendisse, ac primo omnium Ciceroni manus illaturum: priuatim compellatum mitigauit, atque saniori consilio instruxit: eaque re haud dubiè Ciceronem neci eripuit, reliquisque abeundi tutam facultatem confecit. Conijciens porrò Pompeium Magnum in Ægyptum aut Africam aufugisse, ad eumque contendens, cum vniuerso exercitu soluit: neque tamen prius perrexit, quàm ijs qui grauatim sequerentur retrò abeundi vel ibi manendi largitus est potestatem. Oram Africæ legens in Sex. Pompeium incidit, Magni F. natu minorem: is ei patrem in Ægypto necatum refert. Grauissimo omnibus dolore perculsis, nemo tamen post Pompeium nominari alium ducem quàm Catonem sustinuit: itaque & Cato ipse motus verecundia, miseratusque viros egregios & qui iam fidei suæ documentum dedissent, ne ij in peregrina regione rerum omnium ducisque orbi desererentur, imperium accepit. Profectus Cyrenen, receptus eò est, cùm paucis antè

diebus Labienus inde esset exclusus. Hic cũ inaudisset Scipionem Pompeij socerum à Iuba rege susceptum, & vnà esse Attium Varum cum copijs quem Pompeius Africæ præ-
24 fecerat: hyeme durante ad eos terrestri itinere contendit, conductis multis qui aquam portarent asinis, multamque secũ prædam, multos currus agens, ac Psyllos etiam: hi morsos à bestijs sanant, ore venenum exugentes, ipsasq; bestias incantationibus demulcent. Septem continentibus diebus iter factum est, cùm ipse agmen pedes duceret, neq; vnquam equo aut iumento vteretur. Cœnabat etiam sedens: nã post Pharsalicam calamitatẽ priori id luctui addiderat, vt nunquam nisi dormiendi causa accumberet. Ita per Africam hyberno tempore suos traduxit, haud multo pauciores decem millibus. Erant autem res Scipionis & Vari pessimo statu, cùm ipsi inter se dissidẽtes Iubam adularentur, ob diuitias & potentiam fastu intolerabili tumentem: quando & primum cum Catone collocuturus iste, suam sellam in medio Catonis & Scipionis collocauit. Sed Cato hoc vidẽs, ipse suam sellam in alteram partem transtulit, mediumque assumpsit Scipionem, quamuis inimicum, & qui edito libro Catonem esset calumniatus. & tamen inuenias, qui hoc Catonis factum pro nihilo ducant, eique interim vitio vertant, quòd in honorem philosophiæ Philostratum inter deambulandum in medium receperit. Tum quidem Cato Varum cum Scipione in gratiam reduxit, & insolentiam Iubæ repressit, qui eos tantum non satraparum loco habuerat. Porrò vniuersis ipsi imperium deferentibus, idque primis omnium Varo & Scipione vltrò concedentibus: nunquam se leges, contra quarum euersorem belligeraret, violaturum, neque se proprætorem præsenti proconsuli præpositurum respondit. nam Scipio erat proconsul: & pleriq; nomine eius in spem victorię erigebantur, Scipione in Africa duce. Sed postquam Scipio munere ducis in se recepto statim in gratiam Iubæ Vticenses à maximo ad minimum omnes interficere, & vrbem, vt Cæsaris partibus fauentem diruere intendit: Cato indignitatem rei non ferens, Deos hominesque obtestando in senatu ægrè tandem crudelitati eorum Vticenses eripuit: & partim ipsis orantibus, partim Scipione postulante, custodiendam vrbem, vt neque volens neque coacta ad Cæsarem desciscere, in se recepit.

*In Africa quæ egerit.*

*Scipioni imperium cõcessum.*

Erat

Erat vrbs eo situ, vt plurimum ijs qui eam obtinerent vtilitatis ad quaſcunque res præberet: munitiorem tamen Cato redegit. Nam & ingentem frumenti vim importauit, & muros erectis turribus, foſſis ductis, vallisque actis roborauit: de Vticenſibus qui eſſent militari ætate, eos ſibi traditis armis in vallo iuſſit habitare: reliquos in vrbe continuit, ſedulo curans ne qua afficerentur à Romanis iniuria: multa autem arma, pecunias, commeatum ſuis ab vrbe in caſtra mittebat, atque omnino ea vrbe pro penore belli vtebatur. Quod verò antè Pompeio, idem tum Scipioni conſulebat, Ne pugnam cum homine acri & bellicoſo committeret, ſed tempus traheret, quo omnis vigor tyrannidis ſoleret elangueſcere. Hæc Scipio ſuperbia cæcatus contemnebat: & aliquando ſcribens ad Catonem, timiditatem ei exprobrauit, qui non contentus eo, quòd ipſe intra muros deſideret, ne reliquos quidem patiatur oblata occaſione fortibus vti conſilijs. Ad hæc Cato reſcripſit, paratum ſe eſſe ſuos pedites equitesq;, quos in Africam ſecum adduxiſſet, aſſumere, cumque his in Italiam traijcere, Cæſaremque ab ipſis eò contra ſe auertere. Cùm hoc quoque irrideret Scipio, haud obſcurè Cato tulit ſibi dolere, quòd imperium ei conceſſiſſet, quem neque bellum rectè adminiſtraturum videret, neque victoria (ſi quidem eam præter opinionem tamen ſuam & rationem obtinuiſſet) moderatè erga ciues vſurum. Itaque in hanc venit ſententiam, quam & apud familiares extulit: de euentu belli ſe nihil boni ſperare, imperitia & temeritate ducum conſiderata: quod ſi tamen bona quadam fortuna eueniret, vt Cæſar opprimeretur, ſe quidem Romæ nõ manſurum, ſed fuga ſe Scipionis ſubtracturum ſæuiciæ, qui iam nunc ſuperbè multis & atrociter minaretur. Citiùs verò opinione eius id quod metuebat accidit. Nam tenebris iam noctis obortis, quidam ad ipſum peruenit tertia quã à caſtris diſceſſerat die, annuncians magno apud Thapſum conſerto prœlio euerſas eſſe res ſociorum, potitum caſtris Cæſarem, Scipionem & Iubam cum paucis effugiſſe, reliquum exercitũ perijſſe. Hunc nuncium cùm & noctis & belli terror augeret, tanta per totam vrbem excepit conſternatio, vt quaſi de poteſtate mentis exijſſent homines, vix ſeſe muris cõtinuerint. Tum Cato progreſſus, vt occurriſſet ſingulis diſcurrentibus & vociferantibus,

*Catonis fortitudo rebus aduerſis.*

tibus, inhibere eos, consolari, rem inflatiùs quàm gesta esset nunciatam dicere, nimium terrorem & trepidationem eximere, denique tumultum sedare. Prima luce trecentis (erant hi Romani, per Africam negociantes & fœnerantes, eosq; pro Senatu Cato legerat) in fanum Iouis conuenire iussis, tum quotquot aderant senatorij viri, & eorum vnà liberis: interimq; dum ij conuenirent, constanti & sedato vultu ad eos progressus, tanquam si nihil noui accidisset, librum in quo instrumentorum bellicorum, armorum, frumenti, arcuum, militum recensio erat descripta, manibus tenens legit. Congregatis omnibus, initium dicendi de trecentis istis senatoribus fecit, quorum magnopere collaudata voluntate ac fide, quam summam ostendissent, pecuniam, corpora, & cõsilia ad publicam maximam vtilitatem suppeditando, cohortatus est. deinde, ne abiecta omnis pe à se inuicem dissipari, aut vnusquisque pro se priuatim diffugere intenderent. si enim vnà mansissent, fore vt & bellantes minùs a Cæsare contemnerentur, & veniam orantes faciliùs impetrarent. Proinde se nihil impedire, quin suo vterentur quisq; iudicio. nam se & necessitati inscripturum, si fortunæ succubuissent: ac si sufferre res aduersas, & certamen pro libertate sustinere maluissent, non laudaturũ modò, sed admiraturũ etiam virtutem ipsorum, seq; eis ducem commilitonemq; præbiturum, donec vltimam patriæ fortunam experirentur. quæ quidem patria non Vtica sit, aut Adrumentum, sed Roma, quæ sæpe ex grauioribus periculis sua se magnitudine emersisset. Iam ne subterfugiendum quidẽ præsens periculum esse, cũ sint tam multę salutis spes propositæ & securitatis: quarum hęc maxima, quòd bellum contra eum sit virum, qui varijs occupationibus distinea-tur, cùm & Hispaniæ ad Pompeij filium defecerint, & Roma ob rei insolentiam nondum planè frænum acceperit, sed indignè dominum ferens ad quascunque res nouas vnà excitetur. Caperent ab ipso hoste exemplum, qui propositis maximis flagitijs se in aperta vitæ discrimina mitteret: minimè id propositum habens, quod ipsi tenerent, vt vel beatissimam vitę conditionem victoria, vel pulcerrimam mortem aduersa fortuna consequantur. Verùm hæc ipsi deliberarent, Deos vnà comprecãtes, vt ij dignos ipsis pristina virtute studioque in patriam successus eorum quæ statuissent

largian-

largiantur. Hac oratione Catonis redditus est nonnullis animus: sed plerique metus vacuitatem, animi magnitudinem & humanitatem eius reputantes, eóque penè præsentium obliti periculorum, ipsum, vt qui solus omnium dum inuictus, omnique esset superior fortuna, orauerunt, vt corporibus ipsorum, opibus, armisque suo vteretur arbitratu. præstare enim sibi, parendo huic duci occumbere, quàm prodita tam insigni eius virtute superesse. Cùm quidam censuissent, seruis libertatem esse decernendam, & adstipularentur pleriq;: Cato id se facturũ negauit, quòd neque legitimum, neq; iustum foret: eos quidẽ accepturum se, quos ætate ad militiam cõmoda ipsi domini manu misissent. Multis ibi multa promittentibus, annotari quæ quis promisisset iussit, & ex consilio abiit. Paulo pòst literæ ipsi à Iuba & Scipione allatæ sunt. Iuba in monte occultatus, quid agere Cato statuisset percontabatur: se enim vel expectaturum eum, si Vtica excedere vellet: vel si ibi obsideretur, cum exercitu opitulaturum. Scipio in promontorio quodam haud procul ab Vtica cum classe stationem habebat, eundemq; in finem præstolabatur. Visum est itaq; Catoni ex re esse, tabellarios tantisper detinere, dum trecenti ea repræsentarent, quæ erãt polliciti. Nam qui senatorii erant ordinis, promptè satisfaciebant, seruosq; statim suos libertate donabant, & armabant. Ac trecentis illis, quippe nauigando & fœnerãdo assuetis hominibus, & quibus magna suarũ facultatum pars in mancipiis esset, mox Catonis oratio ex animis effluxit. quemadmodum quædam corpora facilè quidem incalescunt, sed simul atque ignis abiit, statim refrigerantur: ita illos Cato quidem conspectus exuscitabat atque calefaciebat: sed secum ipsis rem putantibus, metus Cæsaris verecundiam honestatis & Catonis excutiebat. Nos (dicebant) qui sumus? aut cuius tandem imperia detrectamus? Nónne Cæsaris, ad quem vnum omnis Romanorum deuoluta est potentia? Nostrũm verò nemo Scipio est, aut Pompeius, aut Cato: & tamen quo tempore omnes alii homines ob metum abiectiore quàm deceat animo esse solent, nos pro Romanorum propugnantes libertate ex Vtica bellum ei facimus, cui Cato cum Pompeio fugiens totam Italiam concessit: libertate donamusque seruos nostros contra eum, in cuius manu nostra ipsorum

*Cato à suis destitutus.*

est libertas. ô stolidos nos. vel tandem cognoscamus nostras vires, & missis ad victorem deprecatoribus, veniam imploremus. Hæc erat modestissimorũ de trecẽtis oratio. Nam plerisque senatoriis insidiabantur, iis captis sperantes se Cæsaris iram placaturos. Cato tametsi animaduerteret animos eorum mutatos, dissimulauit tamẽ: Iubę & Scipioni rescribens, vt ob infidelitatem trecentorum Vtica se abstinerent, tabellarios ablegauit. Cæterùm equitum cladi elapsorum haud contemnẽdus numerus ad Vticam venit, præmissiq; sunt ab iis ad Catonem tres viri, non eandem omnium sententiam denunciantes: quidam enim ad Iubam discedere, quidam Catoni se coniungere cupiebãt: nonnullis etiã periculosum videbatur Vticam intrare. His cognitis Cato M. Rubrio iussit, vt trecentos obseruaret, & paulatim ab iis nomina belli causa manumissorum acciperet, neque tamen quenquam cogeret. Ipse cum senatoriis extra vrbem ad equitum ductores progressus, orauit ne destituere tot Romaos senatores, néve Iubã pro Catone vellent deligere, sed salutem dare simul atq; accipere, intrando in eam vrbem, quæ neq; vi expugnari posset, & in multos annos alimentis omniq; apparatu esset instructa. Hæc eadem senatoribus etiam orantibus, lacrymasque effundentibus, magistri equitũ ea de re cõmunicauere cum equitibus. Catone cum suis in aggere quodã sedente, & responsum operiente. Interim Rubrius ad eũ iratus venit, tumultuari trecentos, & deficere, vrbemq; perturbare, conquerens. Quo audito cęteri omnes desperata sua salute ad lacrymas & lamentationes conuersi sunt: Cato autem & hos consolari aggressus est, & ad trecentos misit, qui eos expectare iuberet. Responsum autem equitũ ei nequaquam moderatum est allatum. Neque Iubæ se pro mercede militaturos dicebant, neq; metuere Cæsarem, Catone duce: vnà autẽ cum Vticensibus, hominibus Punicis, & leuibus includi, id sibi periculosum oppido videri. nam vt uuncij quiescãt, at Cæsaris sub aduentum insidiaturos ipsis, & prodituros. ergo qui præsentia ipsorum auxilioq; indigeret, is eiectis prius aut occisis Vticẽsibus, ita in vrbem barbaris hostibusq; vacuam ipsos vocaret. Hæc Cato, tametsi immania planè & barbarica iudicabat, placidè tamen respondit, se ea de recũ trecentis deliberaturum. Hos in vrbem reuersus offendit

*Equitum postulata.*

non

non iam prętextus aut circuitiones quærentes, verecundia ipsius, sed palàm indignantes, quòd bellũ contra Cæsarem gerere cogerentur, ad quod & voluntas ipsis & vires deessent: quidam obitet de senatoriis mussabant, eos in vrbe detinendos Cæsare aduentante. Verùm hoc Cato, veluti non exaudiisset, trãsmisit: erat enim nonnihil surdaster. Sed vbi quidam accessit, & ei indicauit, discedere iam equites: metuens ne trecenti omnino crudelius aliquid in senatorios statuerẽt, surrexit cũ amicis, illosq; est secutus: cúmq; videret progressos iã aliquantũ, equo sumpto insecutus est. Illi lætis animis videre ad se accurrentem, hortatiq; sunt, vt vnà saluti suæ consulens abiret. Lacrymasse tum Catonem ferunt pro senatoriis deprecantem, manusque protendisse: nõnullorum etiam equos retrò egisse, & arma corripuisse, dum exoraret, vt istum saltem diem apud Vticam commorantes, tutam senatoriis fugã præstarent. Vt equites secum Vticam reduxit, & aliis portas, aliis arcem custodiendam tradidit: metuentes sibi trecenti, ne defectionis pœnã soluere cogerentur, miserunt ad Catonem, summopere orantes vt ad se veniret. At verò senatorii circumfusi id prohibere, neq; se suum seruatorem hominibus infidis & proditoribus credituros dicere. Euidentissima enim tunc omnibus Vticæ degentib. Catonis virtus, eiusq; desideriũ & admiratio extitit, in cuius factis atque consiliis nihil omnino fucatum, nihil falsum inesset. nam cùm iampridẽ decreuisset sibi mortem consciscere, incredibilibus tamẽ curis se & laboribus defatigabat, dum suis omnibus in tuto collocatis, ipse vita abiret. ita enim latebat eius moriẽdi cupiditas, ac si nihil tale cogitaret. Morem itaq; tum trecentorũ petitioni gessit, confirmatis senatorũ animis, & solus ad eos venit. Tum illi gratiam ei agere, & orare, vt omni ipsorum opera vteretur, neq; de fide sua dubitaret: quòd aũt Catones non essent, neq; tanta in ipsos competeret animi magnitudo, huic eorum imbecillitati ignosceret. Statuisse se ad Cęsarem mittere, veniam petitum, & quidem maximè pro ipso Catone: cui si non impetrassent, ne sibi quidem data vsuros, sed pro ipso ad extremum vsque anhelitum propugnaturos. Ad hæc Cato collaudato ipsorũ studio, suæ ipsorum salutis causa vt quàm primùm deprecatorem mitterent, monuit: pro se autem intercedi prohibuit. victi enim esse

*Fides Catonis in suos.*

*Magnanimitas.*

esse veniæ petitionem, & deprecationem ei, qui iniuriam intulerit, conuenire: se non inuictum modò vniuerso vitæ tempore fuisse, sed & iusticia ac honestate (quibus rebus certauerit) superiorem Cæsare esse: illum conuictum esse, atque superatum: quæ enim contra patriam moliens iampridem inficiando texerit, ea nunc aperta esse & deprehensa. His dictis, trecentos reliquit. Audiens verò Cæsarē cum omnibus copiis iam contra se in itinere esse, Papæ, inquit: vt ille aduersus nos, tanquam viros? Conuersus inde ad senatorios, properare, & dum adhuc adessent equites, saluti suæ prospicere iussit: ac reliquis portis clausis, per vnam eam quæ ad mare est eos eduxit, naues inter eos distribuit, & ita ordinauit; vt citra tumultum, vim, ac trepidationem abirent, dato etiam indigentibus viatico. Cùm autem M. Octauius duas ducens legiones prope Vticam castra fecisset, missisque ad Catonem nunciis postulasset, vt de finibus prouinciæ secū cōstitueret: Cato eum respon-

*In ambitionem suorum.*

so non dignatus, amicis dixit, Miremur verò quomodo res nostræ perierint, cùm videamus imperandi cupiditatē præsente iā exitio in nobis manere. Interim audito equites iam abire, & res Vticensium hostiliter diripere, celeriter accurrit, primisq; obuiam factus, prædā eripuit: cæteri abiicientes vltrò, omnes verecundia moti dejectis in terram oculis taciti abierunt. Conuocatis deinde in vrbē Vticensibus, petiit pro trecentis, vt ne contra illos Cæsarem iritarent, sed communem vtriq; salutem quærerent. Regressus deinde ad mare, videbat quomodo sui cōscenderēt naues: & amicos hospitesq;, quibus vt vnà abirent persuaserat, salutauit atque deduxit. Filio vt nauim intraret persuadere non potuit: neque eum putauit à colendo patre depellendum esse. Erat quidam ibi Statilius, iuuenili adhuc ætate, sed qui cōstantiæ animi studeret, & immobilitatem Catonis imitaretur. Hunc, quòd odii in Cæsarem manifestus esset, nauigare cum reliquis iubebat: cumq; repugnaret, in Apollonidē Stoicum, & Demetrium Peripateticum intuens, Vestrum, inquit, est, tumētem hunc animo mitigare, & ad commodi sui rationes habendas perducere. Ipse reliquos deducens, & iis qui opus haberent cōsilia dans, noctē eam, & maximam diei quæ insecuta est partem ita exegit. Tum L. Cæsar, qui victoris Cæsaris domesticus, pro trecentis ad eum erat le-

gatus

gatus iturus, Catonem accessit, postulauitque vt se in oratione ad persuadendũ apposita, qua pro iis vteretur, componenda adiuuaret: nam propter ipsum libenter se & manus Cæsaris tacturum, & ad pedes eius se abiecturum. Tu verò, inquit Cato, nequaquam id feceris: mihi enim, si salutẽ requirerem à Cæsare, ipsi ad eum accedendum erat. ego verò gratiam habere tyranno nolo eam ob rem, quam contra leges facit: id enim facta vi legibus habet, vt seruare possit tanquam dominus eos, quibus nullo iure dominatur quomodo autem eum trecentis istis places, id, si lubet, communi consilio videamus. Atq; ea de re cum L. Cæsare commentatus, abeunti filium & socios commendauit: amiceq; eum comitatus, postquam domum rediit, conuocatis ad se filio & amicis, multa disseruit: interq; cætera filium hortatus est, ne ad rempublicã accederet: neq; statum iam hunc esse, vt in ea versari posset sicut Catonem decere, neq; absq; turpitudine aliter eum posse dicens. Vesperi ad balneum se contulit: interque lauandum Statilii recordatus, magna voce ad Apollonidem: Emisisti, ait, Statilium, animi eius altitudine nonnihil depressa? isque nobis insalutatis abiit? Minimè verò, inquit ille: nam se longo nostro colloquio plane immobilem præbuit, mansurumque, & idem, quod tu, facturũ confirmauit. Ad hoc subrisisse nonnihil Catonem ferunt, & dixisse, id quidem mox verúmne sit appariturum. Lotus cum multis cœnauit, sedens more suo, vt suprà demonstratum est. Aderant ea in cœna omnes socii, & Vticensium principes. Post cœnam cõpotatio pergelegans atque erudita fuit, vno post alterum philosophicas quæstiones ordine proponentibus, donec ad Stoicorum admirabilia illa, quæ paradoxa vocantur, disputatio est deuoluta: quale est, Solum bonum virum esse libertate præditum, malos omnes esse seruos Hic cum more suo Peripateticus repugnarer, acriter & aspera voce ingressus orationem Cato perprolixè disputauit, magna vtens & miranda contentione: vt nemo non animaduertere posset, statuisse eum vitam finire, atque sic præsenti conditione defungi. Itaq; finito eius sermone cũ mœsti omnes obticuissent, recreandi causa & suspicionem abolendi alias de præsentibus rebus quæstiones mouit, solicitudinesq; suas exposuit de nauigantium sociorum periculis, deq; iis qui terrestri

*Vltima Catonis cœna.*

restri itinere solitudinem siccam & barbaram peragrarent. Soluto cõuiuio, factis aliquot deambulando spaciis, vt solebat, cum amicis, postquam vigilum præfectis mandata dedisset, domum se recepit. Ibi filium & amicorum singulos familiariùs quã pro more suo allocutus, rursus suspicionem sui instituti præbuit. Ingressus deinde in cubiculum consedit, ac Platonis Phædonẽ in manus sumpsit: magnáq; eius parte perlecta, sursum supra caput respiciens, vt abesse gladium vidit (nam filius eum cœnãte adhuc patre subtraxerat) vocato seruo sciscitatus est, ecquis sustulisset. tacente illo, rursus legere perrexit: paruáq; interposita mora, tãquam nõ seriò vrgeret, sed fortuitò gladiũ requireret, ferri eum sibi iussit. Cunctantibus omnibus, & respondente nemine, cum perlegisset librum, rursus singulatim seruos vocauit, atque contentiori voce gladium popposcit: vnius etiam os pugno feriens, manum cruentauit, sæuiens iam, & alta voce clamans, nudum se hostibus à filio & seruis tradi. Tandem plorans filius vnà cum amicis intrò accurrit, patremque amplexus eiulauit, & deprecatus est. Cato au-

*Phædo Platonis.*

» tem assurgens, toruoque intuitus in eos vultu, Ecquid, » inquit, imprudẽs atq; non sentiens de potestate animi ego » exii? quando nemo docet me saniora, neq; ea, quæ malè de- » creui refellit: sed vi impedior, ne ea quæ statui exequar, & » dearmor. Quin tu præclare fili non vinculis etiam constrin- » gis patrem, & manus eius in tergum retorques, donec Cæ- » sar veniens me defendendi spoliatum facultate inueniat? » Nam mihi contra me gladio nihil est opus, cùm liceat vel » spiritu aliquantisper retento, vel capite semel in parietem » impacto mori. Hæc illo dicente, filius, omnesq; alii flentes foràs egressi sunt, solis Apollonide & Demetrio intus ma- » nentib. Quos placidiùs iam alloquens, Num vos quoq;, in- » quit, decreuistis virum eò ætatis prouectum vi in vita deti- » nere, atq; hîc taciti adsidentes eum obseruare? An verò ar- » gumenta adfertis, quib. ostendatis turpe indignumq; non » esse, Catonẽ nulla alia salutis ratione extante, eam ab hoste » expectare? Quin ergo profertis ea, nobisq; persuadetis, & » pristinam nos illam in qua ætatem triuimus philosophiam » dedocetis? vt factus propter Cæsarem sapientior, tanto ma- » iores ei gratias agam. Et quidem nihil dum statui: quod au- » tem statuero, id vt exequar, integrum mihi esse debet. De-

liberabo

liberabo autem etiam vobiscum, si prius rationes habuero cum iis libris & doctrinis, quibus etiam vos, cùm philoso-
phamini, vti soletis. Bono itaque animo abite, & filio meo iubete, vt quæ persuadere patri non possit, ad ea ipsum ne cogat. Nihil ad hæc respondentes ii, lacrymis effusis exiuerunt. Tum gladium paruulus puer Catoni intrò adfert. quem ille acceptū strinxit, & explorauit, videnscq; mucronem firmum atq; integrum. Nunc (inquiens) mei sum iuris, gladio depositò librum resumpsit: bisq; totum perlegisse fertur. Deinde altissimè cùm dormiuisset, ita vt etiam qui extra cubiculum erant stertentē exaudirent, circa mediam noctem de libertis suis Cleanthem medicum, & Butan vocauit, cuius opera in negociis ciuilibus maximè vsus fuerat. Atq; hunc misit ad mare, vt videret, essentne omnes auecti, idq; sibi renunciaret. Medico autem manum, quæ ex ictu seruo illato intumuerat, ligandam dedit: idque omnes consolatum est, existimantes eum de vita cogitare. Paulo pòst Butas venit, nuncians omnes auectos esse præter Crassum, qui negocio quodam impeditus iamiam esset & ipse soluturus: magna autem tempestate & vento valido mare agitari. Hoc audiens Cato miseratione nauigantium ingemuit, rursusque Butan misit speculatum, si quis fortè ad littus relatus cuiusquam rei indigeret. Iam auiculæ cantare incipiebant, cùm Cato rursus leniter obdormiit. Tū reuerso Buta, & omnia apud portus esse tranquillā indicāti mandauit vt ostium occluderet, seq; in lectulū dimisit, tāquam reliquum noctis somno daturus. Egresso autem Buta, gladium strinxit, eóq; se infra pectus feriit: quòd autem ictus fuerat ob manū tumore debilitatam imbecillior, nō statim est mortuus, sed vita cū morte luctāte lecto sese deuoluit, & abacum quendā geometricum iuxtà positum euertit: ita vt strepitu audito famuli statim clamorem sustulerint, filiusque & amici intrò accurrerint. Qui cùm cernerent eum sanguine respersum, & intestina pleraq; prolapsa, ipsum tamen adhuc viuere & videre, grauiter sunt omnes perturbati. At medicus propiùs accedēs, intestina, quia sauciata non erant, reponere, & vulnus consuere, aggressus est. Sed Cato vt paulisper ad se rediit, idque sensit, medico repulso, manibus intestina discerpsit, vulnusque lacerando patefaciens, mortem obiit. Nondum de obitu eius per totā familiam

*Cato sedium strinxit, eóq; se infra pectus feriit: quòd autem ictus ipsum infuerat ob manū tumore debilitatam imbecillior, nō statim terfecit.*

liam cognoſci potuiſſe aliquis putaſſet, cum trecenti iſti ad fores adſtiterunt, ſtatimque etiam populus Vticenſis, vna voce benefactorem ſuum, & ſeruatorem, vnúmque hominem inuictum & liberum inuocantes: idque agebant, cum Cæſarem iam appropinquare vrbi nunciaretur. ſed neque metus eos, neque ſtudium adulandi victorem, neque mutuæ diſſenſiones ſegniores ad tribuendum Catoni honorem redegerunt. Itaque ſplendidè ornatum eius corpus, inſigni ducto funere, apud mare ſepeliuerunt, vbi nunc ſtatua eius gladium tenens conſpicitur: atque ita demum ad ſalutem ſibi vrbíque parandam conuerſi ſunt. Cæſar cùm de iis qui Vtica ad ſe veniebant percepiſſet, Catonem reliquos à ſe dimittere, ipſum Vticæ manere, neq; de fuga cogitare, ſed ipſum, ſocios, ac filiũ ſecuros ibi agere: difficulter poſſe deprehendi conſilium eius viri cenſuit, quem tamen maximè ſuam in poteſtatem redigere cuperet. Audita verò eius morte, tantùm fertur dixiſſe: Inuideo tibi ó Cato mortẽ tuam, nam & tu tuam mihi ſalutẽ inuidiſti. Etenim ita res habet, Catonem ſi à Cæſare donari ſalute ſuſtinuiſſet, non tam ſuam dedecoraturum fuiſſe gloriam, quàm illius ornaturum: & quamuis quid acturus hic cum eo fuiſſet, non liquet, tamen coniectura eſt humaniter eo fuiſſe vſurum. Mortuus eſt Cato annos natus duodequinquaginta. Filius eius nihil mali eſt à Cæſare paſſus: fertur autem ingenio ſocordi, & mulieroſus fuiſſe. Et in Cappadocia hoſpitio Marphadatis cuiuſdam regii familiaris vtens, cui formoſa vxor eſſet, ac diutius quàm cõueniret apud eos commorans, huiuſmodi ſcriptis vexabatur: Cras Cato abit, ſcilicet poſt triginta dies &: Porcius ac Marphadates duo ſunt amici, habẽt vnam animam. nam vxor Marphadatis nominabatur Pſyche, id eſt anima. item: Generoſus eſt & præclarus Cato, animam (Pſychen) regiam habet. Verùm omnem hanc ille infamiam aboleuit glorioſa morte. Nam apud Philippos aduerſus Octauianum Cæſarem & Antonium pro libertate dimicans, inclinata acie neque fugere neque latere ſuſtinens, hoſtes prouocauit, quis eſſet declarans. vnaque cum his qui ipſi aderant impetu dato, cùm admiranda ſuam virtutem hoſtibus oſtendiſſet, occubuit. Nobilior quidẽ filia Catonis eſt. quæ & pudicitia, & fortitudine patrem retulit, vxor Bruti eius, qui Cæſarẽ necauit: nam & conſpi-

*Filij Catonis vita & mors.*

*Porciæ & Statilij exitus.*

conspirationis conscia fuit, & vitam generi ac virtuti suæ conuenienter proiecit: vt in Bruti vita scripsimus. Statilius verò, qui se factum Catonis imitaturum dixerat, cùm sibi manus afferre tum vellet, est à philosophis prohibitus. Post hæc autem cùm se Bruto fidelissimum commodissimúmq; præbuisset, apud Philippos periit.

## IN CATONEM VTICENSEM, Interpretis Annotationes.

HIc Cato, vt à Maiori, seu Censorio distingueretur, modò Minor seu inferior, modò Vticensis à loco in quo mortem oppetijt, dicitur. Plutarch. in Pompeio, & fine Catonis maioris, Philosophi cognomẽto eum dignatur. Genealogiam eius ibidem attingit. sed & locus iste mancus est, & apud Gellium lib. 13. cap. 18. explicatur perspicuè gentilitas hæc: itaque eam succinctè huc transscripsi.

M. Porcius Cato Censorius.

M. Cato, qui viuo patre obijt, prætor designatus.

M. Cato Salonianus, ex Salonij filia.

M. Cato, M. F. M. N. consul perijt in Africa, Anno DCXXXVI.

L. Cato.

M. Cato, mortuus in petitione præturæ.

Cato qui post præturam in Gallia Narbonensi decessit.

M Porcius Cato Vticensis.

*In loco Plutarchi, quē dixi, verba sunt confusa: ita quidē vt nisi suo loco reponantur, non modò non pronepotē (quod & in confesso est, & hic disertè testatur autor) Vticensis habuisse videatur Censorium, sed ne à Salonio quidem ortus fuisse. Illum itaque locum emendabis, manentibus ijsdem, ac tantum alio ordine collocatis verbis, sic:* ὁ δὲ Κάτων. α. γ. —τελευτήσαντος ἡ οὗ. Καὶ Σαλώνιος μὲν ἐτελεύτησε στρατηγῶν. ἦν δὲ πάππος οὗτος. *Hæc aūt,* ὁ δὲ ἐξ αὐτοῦ γενόμενος μάρκος ὑπάτευσεν, *parenthesi includi debent, & quidem pro* αὐτοῦ, ἑτέρου *mallem, aut* ἐκείνου. *vt intelligatur non ad Salonium, seu (vt Gellius vocat) Salonianum referri, sed ad eum qui Tertiam Aemilij Pauli filiam in matrimonio habuit. Porrò autem Cato Vticensis per Porciā sororem, quam vxorē fuisse Plutarchus ait L. Domitij, eius qui Cæsari successor destinatus bello ciuili perijt, etiam ex vitrico Seruilio fratrem habuit Cæpionem nomine, & sorores Seruilias, quarum vna M. Bruti, eius qui Cæsarem necauit, mater fuit, altera L. Luculli vxor, & item tertia Iunij Silani vxor. Non autem Capionem, sed Cæpionem esse legendum, vel ex eo patet, quòd notissimum gentis Seruiliæ cognomen est Cæpio.*

1 Auunculum suum.] *Liuium Drusum auunculum fuisse Catonis huius, satis constat cùm aliunde, tum ex Miloniana Ciceronis, ne quis mendum Græci codicis sequatur, vbi legitur,* θείῳ μὲν ὄντι τῆς μητρὸς, *matris auunculo: cùm sit legendum non* τῆς, *sed* πρὸς μητρὸς.

2 Popēdius Silo.] *Sic esse legendum, in Mario ostendi. Refert hanc historiam ijsdem propè verbis Valerius Maximus lib. 3. cap. 1.*

3 Inuita Venere.] *qui est fortunatissimus talorum iactus. Solebant autem in conuiuijs archiposiam, id est magisterium bibendi talis sortiri. Cuius rei mentio cùm apud alios fit crebra, tum apud Horatium, vt ad Sestium:*

Nec

*Nec regna vini sortiere talis.* *Et ad Pompeium:*

*——Quem Venus arbitrum*

*Dicet bibendi? Hoc modò etiam partes ciborum fuisse sorte ductas, hinc apparet. Reliqua Lapus non rectè.*

54 Nomenclatores adessent.] ὀνεματολόγοι. *Annotatum erat hoc ad marginem à correctore, cùm quidem Lapus rectissimè, ita vt nos vertisset. Erat autem nomenclator seruus, qui candidatum sequebatur, eumq; ciuium nomina docebat, quos ille compellaret, atque vt sibi fauerent oraret.* Nomenclator.

*Idem monitor dicebatur: quod ex Mureniana Tullij oratione apparet. Festus etiam fartorem fuisse dictũ scribit, quòd clàm veluti infarciret in aures candidati nomina salutandorum ciuium. De quo accipio etiam Horatij versus ad Numicium, de petitione magistratus ita scribentis:*

*Si fortunatum species & gratia præstant,*

*Mercemur seruum, qui dictet nomina—. & quæ sequuntur. Quod autem est in Græco,* ἐπέθετο τῷ νόμῳ, καὶ δι' αὐτοῦ: *Lapus vertit, eum seruasse illam legem, eiq; obtemperasse. Atque hoc opinor imposuit doctissimo cuidam viro, vt hoc ipsum etiam in commẽtario Murenianæ orationis scriberet, negari à Plutarcho id quod Cicero obijcit Catoni, nempe eum opera nomenclatoris vsum. Ego verò hoc ex Cicerone accepisse Plutarchum suspicor, & ab eo nequaquam dissensisse. Certè Græca verba idem habent cum Latinis Tullianis, nisi quòd* αὐτοῦ *scribendum est, non* αὐτοῦ. *Nam verbum* ἐπιτίθεσθαι *cum datiuo, obsequi, aut obtemperare nequaquam significat: adoriri autem, impugnare, resistere, & similia, frequenter apud optimos scriptores, id quod exemplis collectis post Budæum docere, non est operæ.*

305 Non metum ademit.] οὐ τὸν φόβον ἀφεῖλεν. *Lapus,* Non timore iniecto: *nescio quid secutus. Nostram quidem lectionem probo. Indicat enim, Catonem non pro imperio tantùm militibus mandasse aliquid, sed &*

causas simul exposuisse, vt non tam metu potestatis suæ eos cogeret, quàm explicandis factorum rationibus ad officium faciendum duceret. Id quod fuit cõsentaneum ingenio Catonis, qui & ipse præceptori suo ita paruisset, vt causas singulorum mandatorũ sibi reddi postularet. Quæ autem paucis interiectis versibus sequuntur, Omnes qui imperatorum nomen, &c. cùm sint perspicua in Græco, & Catonem tum cum militibus, tum cum imperatoribus componãt, idem Lapus admodum insulsè corrupit. Non enim fuit Catonis, militem adulari, aut Imperatoris nomine dignari. Sed refutare apertum errorem, non est operæ.

6 Tantam nimirum.] Omissa hæc sunt à Lapo. Cæsarem autem (ni fallor) notat, eiusq; Anticatonem: qui non agendi modò, sed & scribendi, quæ vellet, impunem licentiam armis rerum potitus sibi vendicaret.

7 Apud clitellas.] ἐπὶ τῶν φορτίων, impedimenta, sarcinas. Lapus, ob magnitudinem curarũ: quasi ἐφορτίδων legisset.

8 Quæsturam non antè ambiit.] μετῆλθεν. id autem non est inire, sed petere magistratum, quod satis notum puto. Sensum totum huius loci Lapus leui momento peruertit.

9 Falsi dicam.] ῥαδιουργίας. Ego ita propriè exponi puto: alij suppositionem testamenti. qua de specie mihi hîc non non satis constat. Lapus negligenter, negligentiam extulit. Sanè in Actis Apostolor. cap. 18. ἀδίκημα & ῥαδιούργημα cõiunguntur. Apud Xenophontem lib. 2. de dictis & factis Socratis, sicut & apud alios ῥαδιουργία opponitur virtutis & laboris honestæ actioni. quod Eustathius in δ. Homericæ Vlyssææ exponit ἐυκολίαν.

10 Amnæus.] ἀμναῖος, sic est in Græco. apud Lapum, Amicus. nobiscum legit etiam Gallicus interpres: tametsi hoc nomen non satis est notum. Sanè etiam in Lucullo hoc dictum

*dictum retulit, ita vt à quibusdam id Catoni ipsi attributum diceret.*

11 De duabus Catonis neptibus.] ἀδελφιδᾶς est in Græco. Sed id ambiguum est. nam & fratris filia, & sororis filia intelligi hoc vocabulo potest. Et haud scio an Cæpionis filiam intelligi hoc loco par sit, quam vnicam ab eo relictam suprà dixit Plutarchus. de altera nihil mihi constat. Suprà quidem Seruiliarum, & mox iterum sororum Catonis fit mentio. vt videri possit, sororis aut vtramque, aut alteram harum filiam esse. Sed hæc peritiores explicent.

12 Cuidam amicorum.] L. Afranio. Plutarch. Pompeio, & alijs.

13 Metelli Prisci.] Numidici illius magni. Historia est cùm alibi, tum in vita Marij.

14 Canidia in Cyprum.] Ita hic semper. infrà in Bruto, Caninius.

15 Se eum pignore, &c. coacturum.] ἐνέχυρα λήψεσθαι. Qui intelligere vult, quid hæc sibi verba velint, (est autem operæprecium) legat primam Cicer. Philippicam, & Præf. lib. de Oratore tertij.

16 Præturam extraordinariam.] ἐξαίρετον στρατηγίαν, sic interpretor. Dio lib. 39. ita explicat, vt præturam ei decretam dicat, quæ legibus ei nondum cõcederetur. Natus tum fuit Cato annos triginta octo. Siquidẽ anno V. C. DCCVIII. seipsum interfecit Vticæ, annos natus (vt Plut. ait) duodequinquaginta. & verò quadragesimus annus præturæ gerendæ legibus erat definitus, vt alibi ostenditur. Ergo locũ habere Dionis sententia videtur. nam Valerius Max. libro 4. cap. 1. videtur paulo aliter sentire. Senatus, inquit, relationem interponi iubebat, vt prætorijs comitijs extra ordinem ratio eius haberetur. quod ita videtur intelligendum esse, vt non suffragijs (quod erat moris) sed autoritate senatus nouo exemplo prætor crearetur. Nam subdit Valerius,

Valerij locus illustratur.

rius, Catonem id repudiasse, quòd campestrem experiri temeritatem, quàm curiæ beneficio vti satius duceret. Mihi tamen (vt dicam quod sentio) magis placet Dionis mei sententia, quæ petitionem ei ante tempus legitimum concederet, cætera prætorijs comitijs permitteret: quibus vsurum fuisse secundis, & impetraturum prætura non erat dubium, populo tanto ipsius munere delinito ac mirifico eius fauore repleto neque enim arbitror Senatum, illo in Catonis honorem facto decreto suum, populo ius totum adimere voluisse. Atque haud scio an commodè etiam Valerij verba in eandem sententiam exponi possint, vt intelligatur Catonem maluisse suo legitimo tempore totam prætura petitionem populi suffragijs permittere suoq; iure adipisci: quàm tum eam Senatus allato ad populum recenti beneficio deiunctum præiudicio quasi per gratiam consequi.

17 Statim magistratum inirent.] In Græco locus est depravatus, mutilatusq; : ἐν ᾧ τοῖς δεκάζασι τὸν δῆμον ἢ σαρ. hîc aliquid etiam deest: & quæ sequuntur, cõfusa sunt. Sensum aperire conabor. Mos erat Romæ, vt qui vel consules vel prætores etiam essent designati, nõ statim magistratum inirent, sed tempus aliquantum consules vel prætores designati manerent. Id verò tempus vt intercederet inter designationẽ & acceptionẽ magistratus, eò præsertim erat institutũ, vt inquiri posset, qui designati essent, iusténe aut largitione & emercando suffragia honorẽ consecuti essent. hoc enim qui cõmisissent, re cõperta legibus ambitus interrogabantur, & pœnas dabant, magistratu arcebantur. Hoc modo animaduersum est in P. Antonium & P. Syllam coss. designatos: quæ historia describitur à Dione lib. 36. à Sallustio in Catilina, à Suetonio in Iulio. Pompeius itaque & Crassus cùm à Prætura excludendi Catonis causa statuissent suos clientes summa largitione & suffragiorum corruptela ad prætura euehere, ac intelligerẽt fore vt vel Cato

vel

*vel alius aliquis ambitus eos reos perageret, voluerunt eos inquisitionis & iudicij periculo liberare. itaque statim, vt inirent præturam, illudq; tempus inter eorum designationem & magistratum non interueniret, senatusconsulto statuerunt. Hanc puto esse genuinam loci sententiam: verba sine codice restituere non ausim.*

18 Singuli quingena sestertia.] δεκαδύο ἥμιαν μυριάδας δραχμῶν. *Lapus peruertit, vt solent in hoc genere. Efficiunt autem drachmarum 125. millia (hoc est 12½. per decem millia multiplicata) 500. millia sestertiorum nummorum, seu (quod idem est) quingenta sestertia. Quod annotare visum est, vt intelligatur hac de re eadem loqui Ciceronem libro ad Atticum 4. epistola de Eutychide. Tribunicij (inquit) candidati iurarunt se arbitrio Catonis petituros, apud eum H S. quingena deposuerunt, vt qui à Catone damnatus esset, id perderet, & competitoribus tribueretur. Rei huius etiam meminit obiter in præfatione Naturalis historiæ Plinius.*

19 Et quòd turpitudo.] *Locus hic deprauatus est haud dubiè: itaque ita diuinaui, vt libenter sim meliora & certiora afferenti cessurus.*

20 Apollodorus.] *Meminit huius cùm alibi, tum vt qui insanus diceretur, Plato initio Symposij.*

21 Collega Curio.] Δουρίων *malè est in Græco. Lapus nomen omisit. Amiotus Curionem habet, quod probo, & Κουρίων repono.*

22 Munatio Planco.] μουνατίῳ φλάκκῳ, *moxq; iterum* φλάκκος *est in Græco: & retinuit Lapus, retinuit Amiotus. Ego tamen minimè dubito, quin Plancus sit legendum. Intelligitur enim T. Munatius Plancus, qui tribunus plebis cum Clodiano cadauere curiã incenderat: quo scelere eum damnatum fuisse Dio libro 40. satis disertè demonstrat, & Cicero ipse Philippica XIII. Sequuntur, inquit,*

*alij tribunitij, T. Plancus in primis: qui si senatum dilexisset, nunquam Curiam incendisset: quo scelere damnatus, in eam vrbem redijt armis, ex qua excesserat legibus, &c. cuius quidem rei mentio, sed obscurior, extat etiam in sexta Philippica. Est autem Plancus Munatiorum cognomen, non Flaccus. Cæterùm de reiectione iudicum reo permissa, quia sæpè Cicero & alij meminerunt, estq́; res non obscura, explicare supersedeo.*

23 Primùm refellam infanda.] *Si quis Bellerophonti libidinem, aut Lucretiæ impudicitiam, aut Vlyßi stoliditatem obijciat, cùm constet eos virtutibus horum vitiorum contrarijs præstantißimos fuisse, impudenter ac sceleratè mendax videatur meritò, eaq́; dicere quæ nefas sit loqui adeò cum veritate pugnantia. Idem Amphitruo Lyco respondet, cùm is notißimæ fortitudinis heroem Herculem non erubuisset timidum & meticulosum appellare. Locus est in Hercule furente, apud Euripidem. Legendum autem est,* τ' ἄῤῥητ', *non* τὰ ῥητὰ: *quod sensus, & exemplaria Euripidis satis docent.*

24 Attium Varum.] ἄππιον *mendosè, pro* ἄττιον. *patet ex Dione.*

25 Ac si nihil tale cogitaret.] καίπερ οὐ πάσχοντος. *verba videntur mutila, nisi fortè exponere libeat:* quanquam id ipse nõ pateretur. *Sed ego minimè hoc, quod statuerat, præ se tulisse Catonem iudico.*

26 Deliberabo autem.] *Et hîc meas coniecturas ac Amioti versionem secutus sum, Græcis non satis (vt suspicor) integris.*

## *PLVTARCHI DIO, GVILIELMO XYlandro, Augustano, interprete.*

1 QVOD Simonides ait, Sossi Senecio, Troianos, Corinthiis qui ad Iliũ cum Achiuis profecti sunt non succensere, quia ipsis quoque Glaucus Corintho

rintho oriundus in ferendo auxilio præstò fuerit: id nos hoc loco iure dicere posse videmur, neque Romanos neq; Græcos Academiam incusare debere, cùm hoc libro, quo Dionis & Bruti vitam perscripsimus, æqualem vtrique laudem referant, quorum ille ipsius auditor Platonis, hic in Platonica enutritus philosophia, veluti ex eadem palæstra ad pulcerrima certamina progressi sunt. Iam quòd vterque, cùm multa alterius factis germana egisset, testimonium virtutis suæ præceptori præbuerunt, qui ad prudẽtiam & iusticiam debere potentiam & fortunam adiungi, vt ciuiles actiones pulcritudinem & magnitudinem adipiscantur, docuit: id mirum nõ est. Nam quemadmodum Hippomachus alipta dicebat se eos qui apud ipsum exercitati essent, agnoscere, etiam si carnem à foro ferentes eminus conspiceret: ita consentaneum est eorum qui disciplina eadem exculti sunt rationem eodem modo in rebus agẽdis progredi, & certa eas accuratione, concinnitatéq; & decoro tractare. Porrò vitas horum virorum inter se similes efficiunt etiam vtriusque casus, quos fortuna magis quàm consilium eosdem vtriq; attulit. Nam vterque priùs est interfectus, quàm finem actionum suarum eum, quem multis & præclaris certaminibus petebat, consequeretur. &, quod maximè mirum est, vtriq; etiam diuinitus obiecto spectro sinistro mors sua est prædicta. Sanè qui spectra ista impugnant, hac vtuntur ratione, nemini vnquam cordato imaginem genij alicuius aut spectrum offerri: pueros, mulierculas, & ob inualetudinẽ mente parum constantes homines, animi quodã errore vel corporis intemperie affectos, inania sibi & horribilia quædam imaginari, inq; ijs genium esse superstitiosè credere. Quòd si ergo Brutus ac Dio, philosophi, animíque magno robore præditi, neque ad vllam animi perturbationem procliues ita sunt spectris commoti, vt etiam alijs ea exponerent: periculum profectò est ne antiquorum absurdissimam approbare cogamur opinionem: qui ita censuerint, malos, & inuidos genios æmulari infensosq; esse præclaris viris, ac ideò actiones eorum impedire, terroribúsque & metu obiectis virtutem concutere ac labefactare, ne in honesto proposito ij persistẽtes absque lapsu, post mortem, meliori sint, quàm ipsi, conditione. Verùm de his alio loco dicere præstat. Nũc in hoc duodecimo vitarum iuxta se conferendi causa exposi-

*Platonica philosophia.*

*De spectris.*

*Dionysii nuptiæ, & Dionis affinitas.*

sitarum libro, Dionis, vt quę tempore præcesserit, priore loco exponamus. Dionysius senior vt primùm est rerum potitus, statim Hermocratis Syracusani duxit filiam: hanc nondum satis confirmata tyrannide deficientes Syracusani arripuerunt, corpus eius scelerata & fœda libidine ita violarunt, vt vltrò ipsa propterea mortem sibi arcesserit. Recuperata tyrannide & stabilita Dionysius, duas simul vxores duxit, vnam Locrensem, nomine Dorida, alteram indigenam Aristomacham Hippatini filiam, viri inter Syracusanos primarij, & qui Dionysij collega, cùm is primùm imperator ad bellum esset creatus, fuisset. Fertur vtriusque nuptias eadem die fecisse, neque deprehendisse quenquam vtri priùs concubuerit: in posterum quidem æqualiter vsus vtraque est, vt cœnarent ambæ vna, & alternis noctibus vna cubarent. Volebat quidem populus Syracusanus ciuem priori loco haberi: sed Doris edito in lucem filio, qui inter liberos Dionysij maximus natu fuit, facilè principatum eius opera obtinebat. Aristomacha autem diu cum Dionysio sterilis vixit, quanquam maritus cuperet ex ea prolem suscipere: qui etiam matrem Doridis, quòd veneficio eam Aristomachæ spem fœtus ademisse diceret, necauit. Huius Aristomachæ frater Dio, ab initio sororis causa in honore, mox cùm suæ prudentiæ documenta dedisset, propter se charus tyranno fuit: præterq; cætera in honorem eius facta mandatum fuit quæstoribus, vt quidquid petijsset Dio, id darent, sibique eadem die id indicarent.

*Plato in Sicilia cum Dione & tyranno.*

Cæterùm Dioni, cùm indole esset generosa, magnóq; & forti præditus animo, maximum ad virtutem incrementum attulit Platonis præsentia. Nam Plato nullo humano consilio, sed diuina fortuna, Deo scilicet Syracusanis occasionem libertatis eminus obijciente, & tyrannidis euertionem moliente, ex Italia Syracusas venit, ibique discipulum nactus est Dionem, iuuenem tum planè, sed omnium qui Platonis consuetudine essent vsi ingenio ad discendum aptissimo, & ad virtutis præcepta accipiéda celerrimo. quod & Plato de eo scriptum reliquit, & res testatur. Educatus enim apud tyrannum abiectis moribus, adsuefactúsque ad vitam incertam & obnoxiam metui, tum cultui nouis ex diuitijs instituto, luxui inepto, vitæque in voluptatibus & cupiditatibus felicitatem quærenti: vt primùm orationem, philosophiámque ad virtutem

tem ducentem gustauit, celeriter animo flammas concepit: atque ex suo ingenio, quòd facilimè honesti rationibus duceretur atque obsequeretur, iuuenili omnino ingenuáque simplicitate coniecturam faciens, Dionysium eodem modo affectum iri, magno studio effecit, vt is cum Platone per ocium colloqueretur. Quo in congressu cùm caput disputationis de virtute esset, ac plurima de fortitudine disserentur, Plato autem quemuis potiùs quam tyrannum fortem esse affirmaret, ac sermone ad iustitiam cõuerso doceret, beatam iustorum, miseram iniustorum esse vitam: neque verba eius, quibus sua redargui vitia putabat, æquo animo tyrannus tulit, & ijs qui aderant succensuit, mirificè Platonis sermonem approbantibus, eóque delinitis, tandem exasperatus, commoto animo quæsiuit, cuiusnam rei causa in Siciliam venisset: cúmque is responderet, se bonum virum quærere, Per Deos, inquit, videris mihi talem qualé quæris nusquam inuenisse. Intra hunc finem iram Dionysij constituram Dio existimans, Platonem vrgentem ea triremi quæ Pollidem Lacedæmonium imperatorem in Græciam reuehebat, emisit. At Dionysius occultè à Pollide precibus contendit, vt inter nauigandum Platoni mortem afferret: sin id nollet, at saltem venderet. nihil enim id illi obfuturum, sed quamuis venditum in seruitutem, iustitiæ causa felicem futurum. Et fertur Pollis Æginam aduectus, ibi Platonem vendidisse: cùm bellum Æginetis esset aduersus Athenienses, & lege sancitum, vt quicunque Athenienſium Æginam venisset, is venderetur. Verùm hæc res nihil de honore & autoritate Dionis apud tyrannum detraxit: sed & maximas obiuit legationes missus ad Carthaginenses, & in summa fuit admiratione, eiúsque ferè vnius libertatem Dionysius tulit, palam dicentis quod in buccam veniebat. Cuius generis fuit, cùm eum Geloni obloquentem increpuit. Cùm enim Gelonis imperium, vt sæpe alias, subsannaretur, ac Dionysius in voce ludens (est enim gelos risus) Gelonem risum Siciliæ fuisse diceret: reliquis cauillum id admirari se simulantibus, At verò, ait Dio, tibi propter Gelonem fides habita est, atque ita tyrannidem obtinuisti: propter te autem omnib. alijs fides denegabitur. Reuera enim videtur Gelo vrbem vnius imperio gubernatã, rem spectatu pulcerrimam, Dionysius turpissimam demonstrasse. Erant

*Dionis in dicendo libertas.*

rant Dionysio trini ex Locrensi vxore liberi, ex Aristomacha filij duo: totidémq; filiæ, Sophrosyne, & Arete: quarum illam Dionysio filio suo vxorem locauit, hanc fratri Thriaridæ nuptum dedit: atque hoc mortuo, Dio eam auunculus duxit. Cùm autem Dionysius ita decumberet, vt de vita eius desperaretur, statuit Dio cũ eo de Aristomachæ liberis colloqui: sed medici futuro successori gratificantes, eum non admiserunt. Addit Timæus, eos regi medicamentum somniferum poscenti tale porrexisse, quod sensus obstupefaceret, & somno mortem adderet. Primo in amicorum concilio, cùm ij ad Dionysium iuniorem essent conuocati, eam de præsenti rerum statu atque rationibus orationem Dio habuit, vt prudentia sua reliquos omnes infantes, libertate sua mancipia tyrannidis esse, turpiterque & timidè pletisq; suis consilijs adolescentem adulari demonstraret. maximè autem eos stupefecit, cùm periculum, quod à Carthaginensibus imperio imminebat, metuentibus promisit, se Dionysio pacem expetenti eam quam æquissimam confecturum, eóque nomine in Africam nauigaturum: sin bellum gerere mallet, se ei quinquaginta instructas triremes suis sumptib. alere, & auxilio dare velle. Dionysius magnoperè cùm magnanimitatẽ eius est admiratus, tum studium gratũ habuit. At qui splendore Dionis se obscurari, & potentia deprimi censebant, hoc arrepto principio nihil non locuti apud tyrannum adolescentem sunt, quo animum ipsius in Dionem exasperarent. hunc mari tyrannidem affectare, ac classe in sororis suę filios imperium traducere conari. Euidentissimę autem & maximæ, quibus odium Dionysij aduersus eum excitari posset, causæ erant, victus diuersa & ab alijs semota ratio. Nam cæteri iam inde ab initio adolescentis, & malè educati tyranni in consuetudinem voluptatum illecebris & adulationibus se ingerentes, semper amores quosdam, & occupationes inutiles parabant, comporationibus hominem, mulierculis, alijsq; inhonestis oblectationibus detinentes. quibus tyrannis ferri instar emollita, subditis quidem benigna videbatur, sæuitia remissa nonnihil: neq; hoc humanitate tyranni magis, quàm socordia. Sed hæc adolescentis inertia hoc fonte deriuata sensim latiùs sese diffundens, adamantina ista vincula, quibus tyrannidem vinctam se filio relinquere Dionysius senior affirmauerat, colliquauit &

*Dionysii prioris mors.*

*Dionysii iuuenis mollities.*

uit & pessundedit. Nam, vt perhibent, cùm semel incœpisset potare, nonaginta totos dies continenter potauit: totóque illo tempore honesti viri, serijque sermones aula arcebantur, cùm eam interim crapulę, iocationes, citharę, saltationes, & scurrilia ludicra possiderēt. Apparet sanè inuisum eo fuisse Dionem, quòd nulli se iucunditati aut iuuenili ludo socium adiungeret: vnde & affinia virtutibus eius vitiorum nomina imponentes calumniabātur, grauitatem fastui, libertatem superbiæ, admonitiones criminationibus, fugam communis culpæ contemptui aliorum inscribentes. Sed & natura erat aliquanto tumidior, difficiliorémque se in congressibus præbebat. Non enim à iuuenis, cuius assentando essent aures corruptæ, consuetudine tantùm abhorrebat, minúsque in ea gratiæ consequebatur: sed & multi eorum, qui familiarissimè ipso vterentur, simplicitatémq; morum eius & ingenuitatem amplecterentur, reprehendebant hominem, quòd inurbaniorem, & quàm ciuilia officia poscerent difficiliorem se ijs qui desiderarent operam ipsius præberet. qua de re postea temporis Plato quasi vaticinans ad eum scripsit, consulens vti arrogantiam solitudinis contubernalem vitaret. Verùm enimuerò tametsi tunc quantiuis precij esse videretur, & qui vel vnus, vel omnium maximè nutantem tyrannidem stabiliret atque conseruaret: tamen non fauore Dionysij, sed quòd is ita rebus exigentibus cogeretur facere, primum se dignitate atque potentia haberi animaduertebat. Cuius rei causam cùm existimaret esse tyranni imperitiam, in id incubuit, vt eum ad liberalia studia pertraheret, gustúmq; ei orationum & disciplinarum quib. mores informantur pręberet: vt & virtutem timere cessaret, & assuesceret bonis viris gaudere. Etenim Dionysius natura nequaquam pessimus tyrannorum fuit: sed pater veritus ne sapere inciperet prudentium vtens consuetudine: atque exinde sibi insidias faceret, & imperium eriperet, domi inclusum in custodia habuerat, penuria hominū qui vnà conuersarentur, & rerum (vt aiunt) ignoratione, plostella, candelabra, sellas ligneas, mensasq; fabricantem. Ita enim suspectos omnes homines habuit, ita sibi ab omnibus cauit Dionysius senior, neminem nō metuens, vt ne capillos quidem cultris tonsorijs præsecaret: sed eos quidam figulus ad eum introiens carbone ambureret. nemo in cōclaue ipsius intro-

*Dionis vitia.*

4

11

intromittebatur, ne frater quidē aut filius, nisi sua veste posita nudus à custodibus antè conspiceretur, & aliam vestem indueret. Cùm Leptines frater naturam ei loci cuiusdam exponēs, accepta à stipatore quodam lancea locum descripsisset, fratri grauiter succensuit, stipatorem autem interfecit. ab amicis se sibi cauere cordatis dicebat, haud ignarum illos malle tyrannide potiri, quam tyranno subesse. Marsyam quendam a se euectum ad imperium militare necauit, & is a se Dionysium occidi in somnis esset imaginatus: quasi verò a cogitatione meridiana eius facinoris illi noctu id visum occurrisset. Ita ille, qui Platoni succēsuisset quòd nō ab eō omnium mortaliū fortissimus esset dictus, meticulosum, totq; ob timiditatē malorum plenum animū gerebat. Filium autem eius Dio (vt explicare orsi sumus) deperditum insciti a, moribusq; profligatissimis videns, hortatus est, vti se ad disciplinā conferret, summisq; à principe philosophorum precib. contenderet, vt in Siciliam is veniret, eiq; se formandum, & virtute exornādum traderet. Ita fore, vt pulcerrimo exemplari, & diuino eius cui gubernanti vniuersum hoc obtemperans pro confusione ordinem constantiamq; tuetur, conformatus, plurimam & sibi felicitatem & ciuibus páreret, quibus se pro tyranno regem præberet: vt quæ ij nunc metu tyrannidis mœsti inuitique facerent, eadem porrò modestiam iusticiamq; ipsius venerātes itidem vt patri præstarent. Non enim (vt pater ei dixisset) metum ac vim, non cateruam iuuenum stipantium, non immensum barbarorum satellitium, adamantina ista esse vincula: sed beneuolentiam, studium, gratificandiq; voluntatem virtutis reuerentia ciuibus ingeneratam. quæ vt rigidis istis & duris vinculis molliora videantur, esse tamē ad perpetuitatem regni firmiora. Porrò autem principem neq; magno in honore, neq; vlla in admiratione esse, qui magno vestium ac victus luxu se ostentans, in congressu ac colloquio nihil quemuis vulgarem hominem præstaret, neque animi partem regiam principi conuenienter excultā habere laboraret. Hæc Dione crebrò inculcante, & nonnunquam Platonis doctrinam interserente, acris & propè furiosus Dionysium ardor incessit Platonis consuetudine ac sermone potiundi. Itaque statim frequētes à Dionysio literę Athenas mitti, multæ Dionis etiam ad eum cohortationes, multæ Pythagoricorum

*Dio Dionysium F. ad philosophiam adhortatur.*

ex Ita-

ex Italia, obsequi iubentium, & iuuenis animum magnitudine potentiæ obrutum inhibere, sanisq; consilijs suffulcire. Itaque Plato (quod ipse scribit) sui ipsius motus verecundia, præsertim ne videretur verbis tãtùm philosophus, haud libenter ad agendum se conferre, simúlque sperans se vno Dionysio, vt principali parte, expurgato totius Sicilię morbum sanaturum, obtemperauit. Interim Dionis aduersarij Dionysio, cuius mutationem metuebant, persuadent, vt ab exilio reuocaret Philistum, hominem & eruditum, & morum tyrannicorum gnarissimum: vt eum aduersus Platonem & philosophiam opponerent. Is enim Philistus & initiò in constituenda tyrannide promptissimam Dionysio seniori operam nauârat, & præsidio præfectus, longo tempore arcem tenuerat: ferebatúrque eum cum matre tyranni haud planè ignorantis consuetudinem stupri habere. Sed cùm Leptines ex muliere, quam adulterio cognitã marito eripuerat, & secum habuerat, susceptarum duarum filiarum alteram Philisto despondisset, non communicata re cum Dionysio: Dionysius iratus vxorem Leptinæ in compedibus detinuit, Philistúmque Sicilia exterminauit: atque is ad hospites quosdam mare Adriaticum accolentes profectus, & ibi post mortem vsque Dionysij senioris commoratus, eo in ocio (vt mihi videtur) maiorem historiæ suæ partem condidit. Illo igitur tempore, Dionysio iuniore rerum iam potito, reliquorum in Dionem odia Philisto reditum in patriam confecerunt, vt sibi commodo apprimè homini, tyrannisque fido: isq; vt primum reuersus est, tyrannidi conseruandæ se totum dedit. Erant & aliæ calumniæ aduersus Dionem paratæ, quæ ad Dionysium deferrentur: ferebatur enim de euertenda tyrannide cum Theodote & Heraclide communicasse. Sperabat enim Dio, vt apparet, Platonis aduentu, nimis imperiosa & immodica dominatione à tyrannide sublata se ex Dionysio moderatum & iustum principem redacturum: sin reluctaretur tyrannus, neque mitigaretur, eo deiecto statuerat rempublicam Syracusanis reddere: nõ quòd populi imperium probaret, sed quod id, vbi primum ab optimatum in rep. legitimo principatu discessum fuisset, vtique potius tyrannide censeret. Hoc rerum statu in Siciliã Plato aduectus, mirifico honore & comitate exceptus est. Nam & triremi egresso vehiculũ regiũ adfuit splendidissimè

*Philistus.*

*Plato in Sicilia reddit.*

didissimè ornatum, & rem sacram tyrannus fecit, quòd eius aduentu magna imperio suo felicitas contigisset: tum modestia conuiuiorum, & aulæ habitus, ipsiúsq; in dandis responsis lenitas Dionysij, in amplissimam spem Syracusanos erigebant. itaq; & ad philosophiam miro omnes impetu ferebantur, erátq; regia (vt narratur) plena pulueris ob multitudinem eorum qui Geometriæ vacarent. Paucis pòst diebus cùm esset in regia sacrificium solenne, & præco vt moris erat voueret vti longo tempore inconcussa maneret tyrannis, Dionysius adstans dixisse ei fertur: Nunquámne finem in nos execrandi facies? Id Philisti factionem grauiter offendit, existimantes Platonis potentiam tempore & consuetudine confirmatam inexpugnabilem fore, siquidem is paucorum dierum cõuictu animum adolescentis adeò mutasset. Non ergo singuli, vt hactenus, neque occultè, sed vniuersi & palàm Dionem calumniari: eum manifestò Platonicis sermonibus incantare Dionysium, vt hoc imperium vltrò deponente, id ad sororis suæ Aristomachę liberos transferat. Nonnulli indignitatem rei sibi dolere simulabant, φ cùm Athenienses olim magnis cum naualibus terrestribúsque copijs in Siciliam profecti interijssent antè, quam Syracusas capere possent: nunc vnius sophistæ opera tyrannidem Dionysij essent destructuri, persuadendo ei, vt decem millibus stipatorum omissis, quadringentis triremibus relictis, decem millibus equitum, & peditum multoties pluribus millibus posthabitis in Academia ignobile illud bonũ quæreret, ac Geometria felicitatem pararet, imperij, opum, & voluptatum beatitate Dioni, eiusq; sororis filijs tradita. Ex his suspicio primùm tyranno de Dione insinuauit: aucta deinde ira, & se iam ostendente, occultè Dionysio epistola allata est, quam ad Carthaginẽsium procuratores Dio scripserat, monens vt cum Dionysio acturi, id ne se absente facerent. se enim effecturum, vt omnia quæ vellent, certò consequerentur. Hanc Dionysius Philisto legit, vsusque eius (vt Timæus tradit) consilio, ficta gratiæ reconciliatione Dionem adortus, in colloquio moderata quædam prætendens, omnésq; dilutas offensas affirmans, eũ ad mare quod est infra arcẽ abduxit: ibi epistolã ostendit, ac cum Carthaginensibus aduersus se conspirasse arguit. Excusare se volentẽ, non

*Dio deportatur.*

sustinuit, sed eũ, vt tum erat, in cymbam imposuit, ac nautis mandauit,

mandauit, vt in Italiam deportatum exponerent. Cùm hoc factum homines crudele iudicarent, domus quidem tyranni luctu à mulieribus oppleta est: Syracusani autem erigebantur ad spem nouarum rerum, & mutationis quàm primùm futuræ ob tumultum Dionis causa ortum, cuius causus reliquos etiam, ne quam tyranno fidem haberent, mouisset. Quæ ille animaduertens, sibíque metuens, amicos & mulieres consolatus est, non se in exilium misisse, sed ablegasse Dionem dicens: ne fortè cõtumacia eius irritatus grauius aliquid in præsentem statuere cogeretur: domesticis autem Dionis naues tradidit duas, mandans vt quidquid facultatum eius mancipiorúmque ipsis videretur, in eas imponerent, atque ad eum in Peloponnesum transueherent. Erant autem amplæ Dionis opes, ac tyrannica propè pompa & apparatus rei familiaris. quem omnem necessarij eius conuasarunt, ad eúmque attulerunt, multis vnà ab mulieribus & amicis dono missis: ita vt diuitijs suis Dio inter Græcos illustris extiterit, eiúsque exulis opibus magnitudo potentiæ tyrãni indicata sit. Platonem verò Dionysius statim in arcem transtulit, specie benigni hospitij honorifica eum custodia includens, ne vnà cum Dione nauigaret, iniuriaéq; ei factæ testis esset. Ibi tempore & cõuictu adsuefactus (quomodo feræ solent cicurari, vt hominum contactus ferant) Platonis consuetudinem & sermones sustinere, tyrannico planè amore correptus est, vt cuperet se solum à Platone redamari, maximéq; omnium in admiratione eius esse, quòd ipsi paratus esset tyrannidem summámq; rerum tradere, siquidem Dionis amicitiam suæ non anteferret. At Plato calamitatis loco ducebat, se à Dionysio ita amari: nã is amor quasi æmulatione & riualis metu insaniẽtis erat, breui temporis spacio modò irascẽtis, modò in gratiam redeuntis atque deprecantis: & cùm mirifico studio audiendi præcepta philosophiæ flagrantis, tum illos qui dehortabãtur, & corruptum iri ea consuetudine affirmabant metuentis. Commodum incidit bellum. Hac occasione Dionysius Platonem dimittit, pollicitus se vere ineunte Dionem reuocaturum. Hoc quidem promissum fefellit, reditus tamen possessionum Dioni misit, à Platone veniam postulans, ac se quo minus præstaret quod receperat, bello impeditum prætendens, facta autem pace, statim ad se reuocaturum Dionem: *Plato dimissus.*

simul petẽs, vt quietè is ageret, neque nouas res moliretur, aut sibi apud Græcos obtrectaret. Conatus est hoc ita facere Plato, Dionémq; ad philosophiam cõuertit, & in Academia continuit. Habitabat autem Dio Athenis apud Callippum quendam familiarem: agrum quoq; oblectationis causa emerat, quem in Siciliam posteà nauigans Speusippo dono dedit, cuius maximè Athenis amicitia fuerat & consuetudine vsus: Platone id moliente, vt iucunda cõuersatione, & quę tempestiuè decoros lusus admitteret Dionis ingeniũ temperaretur atq; hilarius redderetur. quam ad rem Speusippus erat idoneus, quem & egregiè facetum Timon in Sillis appellat. Cùm Plato chorum puerorum ludis daret: Dio & instituit eum chorum, & à se sumptum omnem præbuit: concedente hoc Platone, vt Dio erga Athenienses liberalitate vteretur, eáq; maiorem sibi beneuolentiam, quàm Platoni gloriam pararet. Reliquas etiam Græciæ vrbes obiuit Dio, cum optimis quibusq; & in ciuitate quaque præstantissimis viris ocium agens, & ludis solennibus vacans. Quo in conuictu nihil barbaricum, nihil tyrannicum, nihil luxuriosum ostendit: sed temperantiam, moderationem, fortitudinem, & in sermonibus ac commentationib. philosophicis honestam exercitationem. Ob hæc cùm à priuatis fauorem est & admirationem consecutus, tum publicè honores ei habiti, decretáq; in eãm rem ab vrbibus facta. Lacedęmonij etiam ciuitate eum donauerunt, indignatione Dionysij spreta, tametsi tum in bello contra Thebanos promptè auxilia suppeditãtis. Fuit quidam Megaræ Ptœodorus, diuitijs & potentia inter ciues non postremus: ab hoc aliquãdo inuitatus Dio cùm ad domum eius veniisset, videretque multitudinem hominum forib. assistentem, & ad ipsum dominum variè occupatum difficiles aditus, difficiles congressus eius esse, amicos verò propterea stomachari. Quid, inquit, hunc culpamus, cùm ipsi omnes, dum adhuc Syracusis essemus, eadem egerimus? Post aliquãtum temporis Dionysius æmulatione instigatus, Græcorúmq; in Dionem beneuolentiam metuens, finem fecit reditus annuos Dioni mittendi, & rem familiarem eius procuratoribus ab ipso Dione constitutis tradidit. Porrò vt partam sibi apud philosophos ob Platonem illiberalius cultum infamiam aboleret, multos eorum qui eruditionis nomine celebrarentur conduxit:

*Dionis in Græcia Vita.*

*Pœnitẽtia Dionysii.*

conduxit: quos omnes cùm superare differendo contende-
ret, cogeretúrq; propterea ijs quæ oscitanter de Platone au-
diuisset minùs rectè vti, rursus eum desiderium Platonis in-
cessit, ac seipsum damnauit, qui præsenti non vsus esset, ne-
que ex eo quæ oportebat audiuisset. Itaq; vt erat tyrannus,
qui quibusuis cupiditatib. præceps ageretur, & quod semel
animo destinasset, omni studio adipisci contenderet, vt Pla
tonem ad se retraheret omnem mouit lapidem, effecitq; vt
Archytas Pythagoreus Platonem in Siciliã redire hortare-
tur, ipse fidem suam pro ijs quæ promittebat Dionysius in-
terponens atque obligans. Etenim Archytæ & Tarentinis
cum Dionysio ius hospitij & amicitiæ Plato coniunxerat.
Misit ad Platonem Archytas Archedemum: misit simul etiã
Dionysius triremes & amicos, qui Platonem orarent: atque
ipse diserte scripsit, nunquam æquis conditionibus cum
Dione actum iri, nisi Plato in hanc peregrinationem con-
sentiret: veniente eo, omnia se Dioni humaniter præbiturũ.
Multæ simul ab vxore etiam & sorore ad Dionem afferebã
tur suasiones vti à Platone peteret, vt is Dionysij voluntati
satisfaceret, neque occasionem sequendi tyranno daret. His
se inductum rationibus Plato scribit tertiò in Siciliã trans-
fretasse,

*Emensum immanis rursum aspera saxa Charybdis.*

Simul atque in Siciliam appulit Plato, magno & Dionysiũ
gaudio, & spe totam impleuit insulam, gratulantem ei, vo-
tisq; & studijs in hoc incumbentem, vt Plato Philistum, phi
losophia tyrannidem vinceret. Magno etiam regiæ mulie-
res studio Platonem coluerunt. Et ipse tyrannus tantum ei,
quantum nemini alij habuit fidei, non excussum priùs ad
se accedere sinens. Cùm autem pecuniæ munera crebrò
Dionysius offerret, eáque ampla, & Plato identidem repu-
diaret, Aristippus Cyrenæus, qui tum aderat, Citra periculũ
liberalem esse Dionysium dixit: nam sibi & alijs pauca lar-
giri, plura requirentibus: Platoni multa, nihil accipienti. A
prima consalutatione, Dionysius, cùm Plato pro Dione in-
tercedere ordiretur, initiò rem differre: mox reprehensio-
nes etiam & iurgia existere, latentia reliquos ea, Dionysio
tegere conante, & reliquis honoribus atque officijs, qui-
bus Platonem colebat, a beneuolentia erga Dionem dedu-
cere: cùm quidem Plato primo etiam tempore perfidiam

eius & mendacia dissimularet, & æquo animo se ferre vultu gestúque ostenderet. Ita ijs mutuò affectis, & neminem hoc sentire putantibus, Helico Cyzicenus, vnus ex familiaribus Platonis, Solis deliquium prædixit: cúmque ita, vt prædixerat, euenisset, admiratus eum tyrannus argenti talento donauit. Tum Aristippus per iocum ad reliquos philosophos dixit, se quoque admirabile quiddam vaticinari posse: & quærentibus quídnam id esset, Mox, inquit, inter Dionysium & Platonem inimicitiæ existent. Denique tyrannus facultates Dionis vendidit, & pecuniam sibi vendicauit: Platonem autem in horto domui vicino degentem, inter mercenarios milites migrare coegit, iam pridem ei infensos, & interficere cupientes, quòd Dionysio deponendæ tyrannidis, & sine stipatoribus viuendi autor esset. Hoc in periculo cùm constitutum Platonem Archytas cognouisset, illicò nauim triginta remis actam & legationem misit, reposcens à Dionysio Platonem, commemoransque, vt is ipso fideiubente in Siciliam nauigasset. Hic Dionysius, vt inimicitiam & odium tegeret, discessuro conuiuijs comibúsque congressibus blanditus, semel in eum sermonem delapsus est: Nimirum, ô Plato, multa ac grauia de nobis crimina apud eos, qui tecum philosophantur, sparges. tum Plato subridens: Absit, ait, vt tanta sermonum penuria laboret vnquã Academia, vt tui quisquam mentionem inferat. Hoc modo Platonem dimissum tradunt: nam quæ ipse ea de re Plato scripsit, non planè istis consentiunt. Cæterùm Dio cùm hoc indignè tulit, tum paulo pòst audito quæ vxori euenissent, prorsus hostis Dionysij factus est. Quod ad vxorem Dionis attinet, per ambages Plato in epistola Dionysium monuerat: atque ita res habet. Dionysius Platonem, cùm pulso Dione eum emitteret, iusserat ex Dione quærere occultè, concederétne vxorem suam alteri nuptum dari: rumor enim siue verus, siue ab inimicis Dionis confictus ferebatur, non euenisse gratum hoc Dioni matrimonium, neq; eum cum ista vxore viuere commodè posse. Plato Athenas reuersus, Dionísque explorata sententia, Dionysio scripsit epistolam, cuius reliquæ partes intelligi ab omnib. possent, id verò à solo Dionysio: se de re ista, quam nosset, Dioni collocutum, & deprehendisse eum, si res ita ageretur, inquisimè laturum. Ac tum quidem Dionysius, quòd multum spei esset

*Vxor Dionis adepta.*

esset de reparanda gratia, nihil de sorore noui statuit, sed eã passus est cum infante ex Dione nato habitare. vt à pacificatione consilium planè auertit, ac Platonem ad se reuersum infenso animo amandauit, ibi demum Aretam inuitam vni amicorum Timocrati nuptum dat: hac quidem in parte humanitatem patris non imitatus. Etenim Polyxenus sororis eius Thestæ maritus, cùm gratia tyranni excidisset, ac Sicilia profugisset, ille sororem ad se vocatam obiurgauit, quòd mariti fugæ conscia, se eã rem celasset. at illa impauidè protestò, & fortiter, Adeóne, inquit, tibi nullius precij atq; mol lis videor Dionysi mulier, vt me, si fugã mariti præsensissem, non vnà eandem subituram fortunam existimes? sanè non præuidi: maluissem enim vtiq; Polyxeni profugi vxor, quam tua tyranni soror dici. Hoc tam liberum responsum ferunt Dionysium admiratum. & Syracusani quidem tanti fecerũt fœminæ virtutem, vt euersa etiam tyrannide honores ei, & cultùm regium permiserint, mortuæque funus publicè sint prosecuti. Hæc egressio inutilis non est. Cæterùm Dio iam inde bellum moliri cœpit, Platone quidem verecundia hospitij & ob senectutem Dionis prohibente, Speusippo autẽ & alijs amicis adstipulantibus Dioni, hortantibusq; vt Siciliam manus porrigentem, vltróque accipientem liberaret. Quo enim tẽpore Syracusis Plato egit, Speusippus frequentiùs cum ciuibus cõuersans, animos eorum explorârat: initio quidem liberè fateri quæ sentirent non audentium, & eum à tyranno submissum suspicarentur, sed cum tempus fidem ei apud ipsos fecisset, vna voce omnium orantium atque hortantium Dionem vt in Siciliam veniret: non opus ei nauibus, non pedite, non equis esse: saltem quouis nauigio aduectus, corpus suum & nomen Siculis contra tyrannum vtendum præberet. Hæc Dio annunciante Speusippo, animo confirmatus, suo tecto proposito per alios occultè militem mercenarium conducebat. Adiuuabant autẽ cùm ciuiles viri tum philosophi non pauci, inque his Eudemus Cyprius (in cuius mortem Aristoteles dialogum de animo composuit) & Timonides Leucadius, coniunxere etiam ei Miltam Thessalum, diuinandi peritum, & in Academia versatum. At de ijs quos in exiliũ egerat tyrannus (erant M. non pauciores) XXV. modò socios se præbuerunt, reliquis eũ præmetu destituentibus. Receptaculum autem futuri belli erat

*Mulieris virtus.*

Zacynthus insula, in quam milites conueniebant, infra DCCC. numero, sed multis iam antè præclaris stipendijs nobiles, corporibus eximiè exercitatis, ac peritia & audacia omnium primi, denique apti ad multitudinem, quam sibi in Sicilia præstò futuram Dio sperabat, excitandam, adq; fortitudinē inflammādam. Hi vt primùm accepere in Siciliam & aduersus Dionysium istam parari expeditionem, perterriti sunt, Dionísque conatum damnârunt, insania quadam concitum, iræque furore, & spei melioris inopia seipsum conijcere in certum periculum putantes: succensebantque suis ducibus & conquisitoribus, quòd non initiò ipsis ad quod legerentur bellum indicassent. Sed postquam Dio oratione sua exposuit, quàm malè suffulta esset tyrannis, & se non tam militum eos, quàm ducum loco in Siciliam ducere docuit, Syracusanis reliquísque Siculis iam pridem ad defectionem comparatis: post Dionem etiam Alcimenes, qui nobilitate generis & gloriæ Achæorum princeps vnà militabat, verba habuit ad commilitones. ita demum milites assensérunt. Iam adulta æstate pelagus Etesiæ tenebant, Lunáq; toto fulgebat orbe, cùm Dio magnificè sacris operatus Apollini, militum armatorum pompam ad ædem Dei duxit, peractóq; sacrificio, in circo Zacynthiorum epulum eis præbuit. Illi verò argenteorum aureorúmq; poculorum & mensarum splendorem, priuatis opibus longè maiorem, admirari, ac sic ratiocinari: virum iam prouecta ætate, támque opulentum nunquam res dubias tentaturum fuisse, nisi certa proposita spe, amicisq; ipsi in Sicilia plurimas & maximas præbentib. occasiones. post libationes & vota ritè peracta, Luna defecit. Nihil id miratus est Dio, quippe ecliptícas circuitiones, & vmbræ occursum Lunę incidentem, terræq; & solis oppositionem reputans. Sed cùm milites perturbati oratione aliqua essent confirmandi, Miltas vates in medium progressus, Bono esse eos animo, & sperare optima iussit: significari enim diuinitus alicuius illustrissimi obscurationem: at nihil esse Dionysij tyrannide illustrius, hanc ipsos simul atque Siciliam attigissent, de clara obscurissimā reddituros. Hæc Miltas publicè dixit. Ostētum verò apum, quæ apud naues Dionis conspectæ erant examen ad puppim facere, priuatim ei & amicis interpretatus ita est: Vereri se, ne præclaras quidem res essent gesturi, sed eæ cùm floruissent

*Luna defectus.*

*Prodigia.*

ruissent breui tempore, emarcescerent. Ferunt etiam Dionysio multa diuinitus prodigia obtigisse. Aquila enim abreptum cuiusdam stipatorum hastile in sublime euexerat, atq; inde in profundum abiecerat. Mare quod arcem alluit, per vnum diem aquam dulcem & potabilem præbuit, id quod gustus omnes docuit. Porci quoque partu editi sunt, cætera perfecti, sed auribus carentes. Arioli responderunt, hoc defectionis & rebellionis esse signum, ac ciues non amplius tyrannidi obtemperaturos, maris dulcedinem Syracusanis mutationem rerum aduersarum in lætas portendere. aquilam Iouis ministrum, hastam imperij insigne: ita summum Deorum tyrannidis euersionem moliri. Hæc Theopompus. Milites Dionis nauibus duab. strongylis impositi sunt, alia naui haud magna, & duab. xxx. scalmorum nauibus comitantibus: arma præter ea quę tum habebāt milites secum vehebat duo clypeorū millia, iaculorum & hastilium magnā multitudinē, tum abundè alimētorum, ne qd ipsos maritima nauigatione deficerer: quippe omnē cursum alto mari tenebant terram metuentes, q̄ in Iapygia Philistū stationem speculandi causa habere audiuissent. Leni ac molli vento vecti duodecim dies, decimotertio ad Pachynū Siciliæ promontoriū peruenerūt. Ibi cùm gubernator celeriter exscensionē faciendam moneret, alioquin fore vt à terra & isto p̄montorio vltrò digressi multas dies noctésq;, dū Auster flaret, in alto commorari cogerentur: Dio in terram ita ꝓpe hostem egredi metuens, ac remotiora primum aggredi consultius existimans, Pachynū præternauigauit. Statim & vehemens obortus Aparctias magno fluctu naues à Sicilia repulit, & fulgura ac tonitrua sub primū Arcturi ortū erum pentia, magnam cœlo tempestatē, violentúmq; imbrē effuderunt: quib. perturbati nautæ cum nō tenuissent cursum, subitò cernunt naues à fluctu ad Cercinā Libyæ obiectā insulā cōpelli, quà maximè præruptis atq; asperis saxis ea importuosa erat. Ita ꝓpè ad saxa eiecti, naufragiúmq; passi, cū à petris nauigia contis magno cū labore ægrè detrusissent, postq̄ tempestas desijt, in nauim quandā incidentes cognouerunt se ad capita (q̄ vocant) magnæ Syrtis esse. Ægro tum animo tranquillitatē ferentib. atq; solicitis, ex regione illa Australis q̄dam aura aspirauit, nihil admodū tunc Austrū sperantib. neq; fidem mutationi habentib. Mox autē vento

*Dio in Siciliam appellit.*

aucto & validiùs incumbente, pansis quotquot habebãt velis, Deósq; comprecati, per altum ab Africa ad Siciliam leui cursu fugerunt, quintóq; die apud Minoam naues applicuerunt: id est oppidum Siciliæ, Carthaginẽsium ditionis. Aderat ibi tũ Synalus præfectus eius loci, hospes & amicus Dionis: sed cùm nihil de huius aduentu cognouisset, milites egressu in terrã prohibere conatus est. itaq; illi impetu armata manu facto, nemine occiso (Dio enim respiciens amicitiam quæ ipsi erat cum Carthaginensi, cædibus interdixerat) vnà cum fugientibus in oppidum irruerunt, eóque potiti sunt. Vt autem ipsi duces sunt congressi, facta consalutatione Dio oppidum Synalo nulla iniuria affectum reddidit: Synalus hospitio milites excepit, ac Dionem quibus in rebus vellet adiuuit. Maximè animos militum confirmauit fortuita tum Dionysij peregrinatio, qui nuper adeò nauib. octoginta in Italiam iuerat. Itaque Dione eos hortante, vti corpora diuturna nauigatione afflicta Minoæ reficerent, moræ impatientes & præripere tempus cupientes, vti se ad Syracusas duceret iusserunt. Quamobrem Dio deposito ibi quidquid armorum & sarcinarum erat superuacaneum, Synalo orato, vt occasione postulante ea sibi mitteret, ad Syracusas contendit. In itinere eo primùm ducẽti equites Agrigentinorum, eorum qui apud Ecnomum habitant, se ei adiunxerunt. secũdum eos Geloi. Fama autem rei celeriter Syracusas allata, Timocrates qui Dionis vxorem, tyranni sororem tũc habebat, princeps huius in vrbe relictorum amicorum, illico nuncium emittit Dionysio literas ferentem, quibus eum de aduentu Dionis doceret: ipse interim vrbanis motibus atque tumultibus intentus, cum omnium sublati animi, incredulitate tantùm adhuc & metu continerentur. Tabellario autem isti admirabilis casus euenit. Cum enim iam in Italiam traiecisset, atque per agrum Rheginum in Cauloniam ad Dionysium pergeret, occurrit ei quidam familiaris, hostiam recens cæsam portans: ab eo sumpta hostiæ parte, cum iter acceleraret, ac noctis etiam parte ambulando confecta, præ lassitudine cogeretur dormire, sicut erat, in sylua quadam secus viam decubuit. At lupus ad odorem accurrens, carnes manticæ alligatas, atque vnà manticam ipsam (in ea autem continebantur literæ) abstulit. Is homo, vt expergefactus damnum sensit, diu multúmque frustra

*Mirus casus.*

fruſtra quæſita paſſim oberrando & perſequendo mantica, ſtatuit abſque literis ad tyrannum non adire, ſed aliquò aufugere. ita factum eſt, vt ſerò, & ex aliis Dionyſius de bello in Sicilia excitato cognoſceret. Dioni autem profiſciſcenti Camarinæi ſe adiunxerunt, atque in agro habitantium Syracuſanorũ multitudo haud exigua ſe ad eum aggregauit. Leontini autem & Campani, qui in cuſtodiendis Epipolis Timocrati aderant, cùm ad eos falſum nuncium Dio miſiſſet, ſe omiſſis Syracuſis in ipſorum priùs vrbes impetum facturum, relicto Timocrate domum ad auxilium ſuis ferendum abierunt. Quæ cùm eſſent Dioni apud Macras caſtrametato annunciata, ipſa nocte exercitum abduxit, & ad Anapum amnem decem ab vrbe ſtadia diſtantem peruenit: ibi inhibita profectione apud fluuium ſacris operatus eſt, Solem tum orientem comprecatus. Simul & vates victoriam diuinitus dari promiſerunt, & milites Dionem ſacrorum cauſa coronatum videntes, vniuerſi vnanimi ſtudio ſerta ſibi ſumpſerunt. Erãt autem haud pauciores quinque millibus, qui ſe in itinere adiunxerant, armatiq́ue malè nimirum raptis vt in quodque inciderãt inter tumultuandum armis, alacritate defectum apparatus ſarciebant: ita quidem, vt ſimul atque agmen mouere Dio inſtitiſſet, ipſi hilares cũmq; læto clamore currẽtes inuicem ad libertatem ſe cohortarentur recuperandam. At qui in vrbe erãt Syracuſani, horum præcipui pura in veſte ad portas Dioni occurrerunt: reliqui plerique amicos tyranni adorti ſunt, emiſſariósque eius & corycæos corripuerunt, homines ſceleratos, ac diis ipſis inuiſos, qui permixti ciuibus obambulare, ac ſingulorum ſenſus vocésque explorare, & ad tyrannũ deferre conſueuiſſent. atq; hi primi omniũ pœnas dederunt, à proximo quoq; verberib. cæſi. Cæterùm Timocrates cùm intra præſidiũ arcis venire nequiſſet, arrepto equo ex vrbe profugit, inq́ue fuga metu omnia ac tumultu compleuit, inflatiùs Dionis res prædicans, ne videretur leui poſito metu vrbem amiſiſſe. Iam & Dio cõſpiciebatur ſubire vrbi, primus omnium armatus incedens, latera eius Megacle fratre & Callippo Athenienſi coronatis cingentib. de peregrinis militib. centum præſidij cauſa Dionem comitabantur, reliquos cõpoſito agmine centuriones ducebant, ſpectantib. Syracuſanis & excipientibus hanc quaſi ſacram

*Syracuſa à Dione repta & liberata.*

pompam libertatis & populi in rep. dominationis, quadraginta & octo annis postquam sublata esset reuertētis. Vt ad Mænitida portā peruenit Dio, tuba sedato tumultu, pręconē edicere iussit, Dionem & Megaclē adueniſſe tyrannidis destruendæ causa, itaq; eos Syracusanos & reliquos Siculos ab ipsa liberare. Porrò sua etiam voce cupiens eos alloqui, per Achradinā adscendit, ab vtraq; parte viæ victimis, mensis, & craterib. collocatis à Syracusanis, qui in eum qua iret molas conijciebant, & tanquam Deum votis appellabant. Erat infra arcem & Pentapyla quæ dicuntur solarium illustre & editum, à Dionysio constructum: eo conscenso orationem ad populum habuit, qua ciues ad studium libertatis excitaret. Atq; illi læti amicè eum cōpellatum cum fratre imperatores, in quorum potestate omnia essent, constituere: iisque ita volentibus atq; postulantibus viginti collegas adiunxere, quorum decem erant de iis qui cum Dione ab exilio redibant. Ariolis verò bonum esse signum videbatur, quòd concionans Dio tyrāni magnificum opus atq; donum sub pedibus habuisset: quòd autem solarium esset id, in quo stans esset imperator electus, metuebant ne id celerem rerū mutationem in peius portenderet. Dio secundū hæc captis Epipolis in vinculis detētos ibi ciues liberauit, & arcem ducto muro ab vrbe deiunxit. Septima die in arcem nauibus aduectus est Dionysius: Dioniq́ue arma quæ apud Synalum depositerat, plaustris allata, quæ inter ciues distribuit, cæterorum pro se quoque arma sibi quantum eius posset parante, operámque suam ei militiæ alacrem nauante. Dionysius autem initiò priuatim ad Dionem legatos mittere, animúmque eius solicitare: pòst eo iubente, vt publicè cū Syracusanis (quippe liberis) colloqueretur, per legatos benignè populum compellare, tributorum & militiæ onera leuaturum se ipsorum consensu polliceri. Sed hęc Syracusani ridebant: Dio legatis respondit, nisi depositā tyrannide, non esse cur Dionysius cum ciuibus verba commutet: ea depositā se memorem propinquitatis ei quacunque in re tolerabili libenter adiutorem fore. Hæc Dionysius laudare, aliis missis legatis petere, vt quidam de Syracusanis in arcem ad se mitterentur, quibuscum de toto negotio communicaret. Missi sunt, quos Dio ad id destinasset: multúsque ex arce in vrbem deferebatur rumor, Dionysium

*Dionysij insidiæ.*

nysium tyrannide abiturum, idque magis sui, quàm Dionis causa. Hæc autem tyrannus dolosè simulabat, interimque Syracusanis insidiabatur. Nam & missos ad se ex vrbe, inclusos detinuit: & sub auroram mero impletos milites mercenarios ad deijciendum murum, qui ab vrbe arcem intercludebat, emisit. Hi cùm de improuiso impetum fecissent, magnáque audacia & ingenti tumultu murum reuellerent, inque Syracusanos irruerent: nemo eorum persistere, murúmve ausus est defendere. Milites peregrini, quos secum adduxerat Dio, cùm tumultuari sensissent, accurrunt: sed præ clamore ac trepidatione Syracusanorum discurrentium à fuga, seque iis permiscentium, neque videre quid agendum esset, neque exaudire ducis mandata poterant. Ibi Dio, vt, quando verbis non licebat, facto suis quid fieri vellet, demonstraret, primus omnium in barbaros irrupit, pugnámque circa se acrem conciuit, cognitus non à sociis modò, sed & ab hostibus magno cum clamore passim incurrentibus. Erat tum maior Dionis ætas, quàm vt certaminibus huiusmodi par esset: animi tamen robore fretus impetum hostium sustinebat atque defendebat: eóque in prœlio lancea manum sauciatus est, thorace cęteros comminus eminúsq; per scutum ipsum illatos ictus ægrè perferente: cúmq; hastilia scuto infixa frangerentur, corruit. Statim autem à militibus suis abreptus, iis Timonidem ducem præficit: ipse equo per vrbem citato vectus Syracusanorum fugam inhibet, militésque mercenarios suos ab Achradina (quam custodiebant) adducit integros contra defatigatum hostem, & alacres cõtra desperantem iam de re tentata. quippe cùm se primo incursu & impetu totam vrbẽ subacturos speraſſent, præter opinionem suam in homines pugnaces ac strenuos incidentes, se recipere coacti, & Græcis, postquam semel referre pedem cœperunt, acriùs instantibus, protinus intra muros compulsi sunt, cùm LXXIIII. de Dionis exercitu necassent, suorum autem magnum numerum amisissent. Hac tam splendida parta victoria Syracusani militibus peregrinis præmij loco centum minas donauerunt, atq; hi Dioni coronam auream. A Dionysio autem præcones missi sunt, literas ad Dionem à mulieribus eius propinquis ferentes, vnámq; simul epistolam, quæ foris inscriptionem habebat, quasi ab Hipparino filio

*Dionis fortitudo & victoria.*

*Dionysij epistola.*

filio (id enim ei nomen erat, quãuis Timæus ab Areta matre Aretæum dictum tradat: sed arbitror in hac quidem re Timonidi, amico & cõmilitoni Dionis potiùs credendum) ad Dionem missa. Reliquæ omnes Syracusanis lectæ multas mulierum deprecationes & supplicationes continebãt. Eam autem, quæ à filio scripta ferebatur, cùm solui nollent ciues, inuitis eis aperuit Dio. Erat autem scripta à Dionysio, verbis cum Dione, re cum Syracusanis colloquente, ac sub specie deprecationis & excusationis, calumnias contra Dionem cõtinebat. In memoriam Dioni reuocabat, quàm is multa studiosè tyrannidis constituendæ gratia egisset, minabatur se grauissima in sororem, vxorem, & filium eius statuturum: prætextus graues atq; miserandos non sine lamentatione proferebat, & (quod maximè mouebat hominẽ) orabat eum, ne euertere, sed ipse accipere tyrannidem, neq; infensos & iniuriarũ memores homines liberare, sed ipse imperium tenere, suisq; tuta omnia & secura præstare vellet. His recitatis literis, non id, quod æquum erat Syracusanis subiit, nẽpe vt Dionis, qui contra tantas necessitudines animum honestatis causa obstirmasset, constantiam fortitudinémq; admirarentur: sed metus & suspicionis ortu initio, quasi cogi ipsos ad parcendũ tyranno passurus foret Dio, alios iam circũmspicere duces cœperunt: præcipuè aũt animi eorum sublati sunt, cùm Syracusas nauigare Heraclidem audiuerunt. Erat is Heraclides vnus de exulibus, functus aliquando imperio militari sub tyrannis, eóq; nomine celebris: sed homo animo non satis constans, nimiúmq; leuis ac minimè fidus in cõmunitate rerũ quibus gloria & principatus adesset. Isq; cùm in Peloponneso ei cũ Dione dissidiũ intercessisset, statuerat propria classe contra tyrannum nauigare, ac tum septem triremibus, lembis tribus Syracusas aduectus, cùm Dionysiũ in obsidione haberi, Syracusanos erexisse animos inueniret, statim se captãdo multitudinis fauori dedit: quam ad rem natura ei gratiam quandam indiderat, qua multitudinem, quæ sibi inseruiri cupit, demereretur. Nactus aũt tunc tales, qui Dionis grauitatem quasi molestam, & intractabilem aspernarentur, & ob victoriam partam securi atq; ferocientes priusquam essent prorsus consecuti libertatem, coli iam se & adulari vellent, facilè traxit, sibiq; conciliauit. Primò iniussu in cõcionem con-

*Ciuium in Dionẽ ingratitudo.*

*Heraclida in Dionẽ iniuria.*

nem confluentes, Heraclidem natalib. copiis præfecerũt. Deinde cùm Dio interuenisset, istámq; electionem reprehenderet, qua sibi priùs delatum merum imperium mutilaretur, (non enim omnia se in sua manu habiturum, si alius classi præesset) inuiti quidem rursus Heraclidę prouinciam abrogarunt. His actis Dio eum domum ad se vocauit: modestéque culpatum, quòd secum contrà quàm honestum aut vtile esset, contentionem de gloria instituisset eo tempore, quo leui momento pernicies accidere posset, aduocato deinde ad cõcionem populo ipse classi præfecit: iussitq; ei à ciuibus vt & sibi data erat, custodiam corporis dari. At Heraclides, cùm verbis & gestu Dionem coleret, eíque gratias ageret, & humilis sequeretur, imperatáque faceret, occultè vulgus hominũ & eos qui nouis rebus studebant corrumpebat atq; concitabat, Dionémq; tumultib. vexans in summas cõijciebat difficultates. nam siue dimittendum ex arce tyrannũ fide data & accepta iubebat Dio, criminabantur eum hosti parcere: siue ne molestus esset, ociosè in obsidione perseuerabat, trahere bellum ferebatur, quo diutiùs cum imperio, & terrori ciuibus esset. Erat tum quidam Sosis, homo malitia & temeritate celebris apud Syracusios, qui abundare se libertate ita demum putaret, si ad malitiosam temeritatẽ licẽtia esset abusus. Is Dioni insidias struẽs, primùm in concione surgens, multa Syracusanis conuicia fecit, qui non sentient se stolido & ebrioso liberatos tyranno, vigili & sobrio homini seruire: deniq; ita tum foro abiit, vt se palàm inimicum Dionis ferret. Postridie eius diei nudus per vrbem currere visus est, quasi insequentes quosdam fugiens, caput & faciẽ sanguine oppletus: eóq; habitu cùm se in forum proripuisset, sibi à militibus Dionis factas insidias dixit, capútq; cruentum ostentauit. Multos nactus est indignantes, & contra Dionem coeuntes, iniquè scilicet & tyrannicè libertatem ciuium cædibus & insidiis opprimentem. Veruntamen Dio, quamuis confusa esset & turbulenta concio, progressus sese purgauit populo, Sosin docens fratrem esse vnius Dionysij stipatorum, atque ab eo submissum vt seditionibus vrbem conturbaret: quòd tyrannis nullam spem salutis, nisi in ipsorum dissidio inter se ac mutua diffidentia haberet. Simul & medici Sosidis vulnere inspecto, deprehenderunt superficiem tantùm capitis leuiter laniatam,

*Sosidis in Dionem insidiæ.*

niatam, non ictu plagam illatam. quippe gladiis facta vulnera, ob teli pondus ferè in medio sunt profundiora: at Sosidis leue erat prorsus, & multa habebat initia, vt appareret eum, cùm indoluisset, sectionem omisisse, dolore sedato eam repetiisse. Simul & notę quidam fidei homines in concionem venerunt, nouaculam apportantes, narrantésque in itinere sibi Sosin obuiam factum, sanguine perfusum, & dixisse, fugere se Dionis milites, à quibus recens esset vulneratus. ipsos statim vestigia eius persecutos, in hominem quidem neminem incidisse: sed quo ex loco ipsum progredi vidissent, ibi se nouaculam istam subter cauo lapide repositam conspexisse. Labascere tum statim Sosidis causa cœpit: cùm autem indicia huc accessissent, seruis testimonium in quæstione perhibentibus, solum eum noctu cum nouacula domo exiisse, accusatores Dionis recesserunt, & populus addicto morti Soside cum illo in gratiam rediit. Nihilominus tamen sinistrè de mercenariis militibus suspicabantur, maximè, cùm pleræque aduersus tyrannum pugnæ mari fierent. Etenim Philistus ex Iapygia multas triremes Dionysio attulerat: itaque Syracusani istos Dionis milites, quippe pedites, nulli vsui porrò esse putabant, sed se re nauali potentiam consecutos, imperium iam in eos obtinere. Auxit eorum fastum prospera naualis pugnæ fortuna, qua Philistum superatum crudeliter & barbaricè tractauerũt. Ephorus sanè refert eum capta naui mortem sibi ipsi consciuisse.

*Philisti interitus.*

At Timonides, qui istis rebus cùm à Dione gererentur ab initio interfuit, ad Speusippum philosophum scribens, narrat Philistum triremi in terram eiecta viuum in potestatem hostium peruenisse: tum Syracusanos primùm thorace eum vestibúsque spoliasse, nudúmq; hominis iam senis corpus contumeliosè vexasse: deinde caput ei præcidisse, corpus pueris tradidisse, mãdato vt id Achradinam tractum in Latomias deijcerent. Timæus verò augendæ contumelię causa addit, pueros ex crure, quod claudum habuerat Philistus, cadauer deligatum per ciuitatem raptasse, subsannantibus Syracusanis, cùm viderent eũ crure trahi, qui dixerat Dionysio, non esse ei celeri equo ex tyrannide aufugiendum, sed pede inde extrahi se sinere debere. Et quidem Philistus non à se, verùm ab alio id ad Dionysium dictum fuisse prodidit. Sed Timæus Philisti in tyrannos studium atque finem,

nem, occasionem sanè reprehendendi non iniustam, arri- *Timæũ &*
piens, ad satietatem vsque conuiciis hominem proscindit. *Ephorum*
Sanè qui tum ab eo viuente iniuria affecti fuissent, iis igno- *notat.*
sci poterat, quòd iræ suæ etiam in sensu iam cassum indul-
gerent. Eos autem, qui posteriores tempore historias scri-
pserunt, nihil eius factis læsi, oratione autem etiam adiu-
tos, commune hominum iudicium dehortari debuit, ne
contumeliosè aut scurriliter calamitates eis exprobrarent,
quibus quo minùs iniuria fortunæ etiam optimus quisque
vir feriatur, nihil obstat. Neque verò sanus Ephorus: qui
Philistum prædicans, quamuis fuerit callidissimus, malos
mores & iniusta facta honestis in speciem præscriptionibus
tegere atque excusare, id tamen omni conatu atque opera
crimen diluere non potuit, quin hominem fuisse eum ty-
rannorum studiosissimum, & qui maximè omnium luxum, it
potentiam, diuitias, nuptiásque tyrannorum suspiceret at-
que admiraretur, crederetur. Tutissimum est, neque lauda-
re Philisti facta, neq; fortunam ei exprobrare. Mortuo Phi-
listo, Dionysius missis ad Dionem legatis, arcem se ei, & ar-
ma, & mercenarios, hisque in quinq; menses integrum sti-
pendium daturum promisit ea conditione, vt sibi data fide
in Italiam abire, atque ibi degenti fructus Gyatis (quæ est
agri Syracusani bona & magna pars, ab ora maritima ad
mediterranea pertinens) percipere liceret. Dione non ac-
cipiente conditionem, sed vt a populo hæc impetrare co-
naretur iubente, Syracusani viuo se Dionysio potituros spe-
rantes, legationem repulerunt. At Dionysius arce tradita *Dionysius*
Apollocrati seniori suorum filiorum, nactus ventum secun- *Syracusis*
dum, quod opũ hominũmq; habebat chariſſimũ in naues *aufugit.*
impositi, & non animaduertente Heraclida rei maritimæ
præfecto auectus est. Heraclides aũt cum ciuiũ sermonibus
vapularet, & tumultib. vexaretur, Hipponem quendã ora-
torem submittit, qui ad diuisionẽ agrorũ vocaret, æqualita-
tem libertatis, egenis aũt paupertatem seruitutis initiũ esse
dicens. Huius legem ipse suadens, & Dionem repugnantem
factione premens, non modò vt hoc sciscereturperfecit: sed
& militibus peregrinis mercedem detrahendi, Dionisque
morositatem (vt vocabant) delectis aliis ducibus effugien-
di autor fuit. Cæterùm Syracusani à tyrãnide veluti diutur-
no morbo statim cupientes assurgere, alienóque tempore

liberta-

libertate populari vti, non ipsi modò successus parum prosperos experti sunt, sed Dionem odio etiam habuerunt, qui veluti medicus vrbem continere in accurata & sobria cuperet diæta. Comitia eis agitantibus ob deligendos nouos duces, idq; æstate media, tonitrua insolẽtia & prodigia mala per quindecim totos dies crebrò ea soluerunt, populo ob superstitionem prohibito à creandis magistratibus. Cùm autem ij, qui populum orationibus suis trahebant, cõstanti serenitate obseruata, comitia fecissent, bos quidam plaustrarius, nequaquam turbæ hominum insuetus, tum fortè ab agasone iritatus iugo excusso in theatrum accurrit: populóq; vt promiscuè fugerent excitato, saltãdo atq; tumultuando omnes vrbis partes, quę deinde in hostium potestatem venerunt, peruagatus est. Verùm his omnibus spretis Syracusani viginti quinq; duces creauerunt, atque inter hos Heraclidam: subornatis etiam clàm certis hominib. stipendiarios milites vt à Dione ad se deficerent corrumpere aggressi sunt, ius ciuitatis eis, si paruissent, promittentes. Sed milites optima fide atq; alacritate Dionem, spretis populi pollicitationibus, armati ad se receperunt atq; stipauere, & vrbe educere intẽderunt, vim nemini interim facientes, ingratitudinem modò & peruersitatem obuiis exprobrantes. At Syracusani ob paucitatẽ eos, & quòd ita innoxij discedere voluissent, contemnentes, longè maiore manu collecta opprimere in ipsa vrbe, vniuersosq; interficere se posse rati, adoriri eos sunt conati. Hac in necessitate cõstitutus & fortuna Dio, vt aut cum ciuibus confligendũ, aut cum suis militibus pereundum esset, multis verbis Syracusanos deprecatus est, manus intendens, arcémq; hostiũ plenam, desuper à muris quod ageretur spectãtium, demõstrans. Vt impetum multitudinis inhiberi à se posse non vidit, sed totam vrbem turbulentorũ consiliatiorum orationib. quasi vẽto incumbente mare obtineri, ne sic quidẽ irruere suos passus, incursionem leuiter simulare eos, & arma cõcutere iussit: quo facto, nemo Syracusanorũ mansit, sed passim per plateas diffugerunt, insequẽte nemine. nã Dio statim suos reuocauit, & ad Leontinos contendit. At Syracusanorũ duces, ridiculi mulieribus facti, abolẽdæ ignominię causa rursum armatis ciuibus Dionem insecuti sunt, deprehensoq; eo in transitu amnis, quasi prœliũ cõserturi adequitârunt: vbi cũ cernerẽt eum

*Prodigia.*

*Dio cum suis vrbe pulsus.*

eum non, vt ante, placide animóve paterno iniurias ipsorũ ferre, sed iratum suos obuertere, aciemq; instruere, paucis amissis turpiori quam prius fuga in vrbem se receperunt. Cæterùm Dionem Leontini exceptum amplis honoribus affecerunt, milites eius stipendio ac ciuitate donauerunt, legatione ad Syracusanos missa postulauerunt, vti militibus quod iustum esset, satisfacerent. Qui cum legatos accusatũm Dionem misissent, essetq; coram vniuersis confœderatis apud Leontinos congregatis disceptata res, Syracusani causa ceciderunt: sententiæ tamen iudicum non steterunt, lasciuientes iam & superbientes eo, quod nemini obtemperarent, sed magistratibus populum timentibus adulantibusq; vterentur. Secundum hæc triremes cum Nypsio Neapolitano Syracusas appellunt à Dionysio obsessis alimenta & pecuniam portantes: commissaq; naumachia, Syracusani cùm victoriam obtinuissent, quatuorq; tyranni naues cepissent, successu luxuriantes, & (quod fit penuria ducum) ob stolidum & insanum gaudium ad conuiuia cõuersi, ingenti suæ vtilitatis negligentia rem eò deduxerunt, vt qui tantum non potiri iam arce viderentur, vrbem quoque ipsam amitterẽt. Etenim Nypsius cum nihil sani in vrbe agi, populũ inter pocula & tibiæ ad cantum de die in noctem desidere, ciues cum delectari eo voluptatũ studio, tum ebriis hominibus necessitatem aliquam imponere non audere intelligeret: occasione præclare ista vtens, murum arci obiectum aggressus est, eoq; perfracto barbaros in vrbem immisit, cum obuiis ciuibus ita vt vellent atq; possent agere iubens. Hoc malum statim quidem Syracusani senserũt: consternatio autem fecit, vt segniter & difficulter ad auxilia concurrerent. Excidium enim vrbis erat, quod agebatur: quippe cùm viri obtruncarentur, muri deiicerentur, mulieres liberiq; in arcem eiulantes abducerentur. Cum de salute duces desperassent, quod ciuibus, quibus hostes passim erant permixti, vti ad defendendum vim hostilem non possent, iamque periculo Achradinæ etiam imminente, nemo sane fuit, qui non intelligeret in Dionem vnum reliquam omnem spem ciuitatis incumbere: nemo tamen eum nominare ausus est, pudore ingratitudinis & eorum quæ male in eum statuerant conscientia. Attamen necessitate pudorem superante, à sociis tandem & equitibus vox

*Syracusæ à Nypsio captæ.*

edita est, vocandum esse Dionem, & Peloponesios eius milites è Leontinis accersendos. Hæc vox vt primum audita, inuenti sunt qui adstipulari auderent, clamor, gaudium, lacrymæq; Syracusanis obortæ sunt, exoptatibus Dionis aduentum, cõspectumq; eius desiderantibus, eiusq; fortitudinem in periculis promptitudinemq; animi memoria repetentibus, vt is ante non ipse modo imperterritũ se, sed ipsos quoq; audaces, & ad pugnandũ in hostem intrepidos præstasset. Illico igitur ad eum ablegant de sociis Archonidam & Telesidem, de equitibus Hellanicum cum quatuor aliis. Hi cum viam admissis equis confecissent, in Leontinos sole iam occidente peruenerunt. Statimq; ab equis desilientes, primo omnium Dioni lacrymantes supplicârunt, & calamitatẽ Syracusanorum narrauere. Iam & Leontinorum quidã, & Peloponnesiorum ad Dionẽ multi confluxerant, ex tam seria actione & precibus legatorum suspicantes euenisse aliquid noui. Dio suos statim in concionem produxit, cõcurrentibus celeriter reliquis. Ibi Archonides & Hellanicus cum sociis progressi in mediũ, breuiter & magnitudinẽ calamitatis exposuerunt, & milites Dionis ad deponẽdam acceptarum iniuriarum memoriam, ferendamq; Syracusanis (qui grauiores pœnas dedissent, quã sumere ab ipsis iniuste tractati voluissent) opem cohortati sunt. Postquam hi finem dicendi fecerunt, silentium toto theatro fuit. Dioni autem orare ingresso magna vis lacrymarũ oborta vocem inhibuit. Militibus vt bono esset animo hortantibus, vnaq; etiam dolentibus, cum se nonnihil ex animi perturbatione collegisset, hæc locutus est: Viri Peloponnesij, atq; commilitones, vos de vobis ipsis consilia vt iniretis, huc conduxi. Nam mihi de me aliquid capere consilij Syracusis intereũtibus, non conuenit: quas si seruare non possum, abeo, vt igni & ruinæ patriæ sepeliar. Vos si etiamnũ stultissimis nobis & miserrimis opitulari lubet, agite, vestrum opus Syracusanam vrbem erigite: sin Syracusanis infesti nos negligitis, at Dij tamen vobis dignam virtutis vestræ atq; erga me studij mercedem reddant: Dionemq; memoria teneatis, neque vos tum, cum iniuria vobis inferretur, neq; nunc ciues infortunium passos deseruisse. Nondum perorauerat, cum milites magno cum clamore exilientes, vti se quam celerrime ad succurrẽdum vrbi Syracusanæ duceret, hortati sunt.

*Dio reuocatus.*

Tum

Tum legati eos amplecti, atque consalutare, multa Dioni, multa ipsis diuinitus bona precari. Sedato tumultu Dio milites statim discedere, ac se parare, cœnatosque in eundem locum reuerti iussit, quod noctu auxilio venire suis decreuisset. Interim Syracusis, cum Dionysij duces quantisper dies duraret maxima vrbi damna dedissent, & paucis quibusdam suorum amissis noctu se in arcem recepissent: oratores animo collecto, & hostem existimantes nihil porrò conaturum, rursus ciues hortati sunt, vt Dionem missum facerent, neque eum cum Peloponnesiis venientem in vrbem admitterent, illisve gloriam virtutis tanquam præstantioribus concederent: sed ipsi suapte opera vrbem libertatemq; defenderent. Rursum igitur ad Dionem missi sunt à ducibus vrbis, qui eum omittere profectionem, ab equitibus autem & notis ciuibus, qui accelerare eum iuberent: itaque & Dio lentius processit. Augescente nocte, inimici Dionis, vt eum aditu in vrbem arcerent, portas occupauerunt. At verò Nypsius rursum ab arce milites suos, & animis iam, & numero auctos demisit, qui statim quicquid erat obiectum muri subruto, vrbi hostiliter vastandæ se dederunt: neque viri iam solum, sed & mulieres & pueri necabantur: pauca prædæ, interitui pleraque dabantur. Quippe quod Dionysius de rebus suis iam desperasset, tantum in Syracusanos odij conceperant, vt tyrannidi eius ruenti, vrbis exitio parentare intenderent: itaq; vt Dionis auxilio anteuerterent, incendio, quo celerrime perderent omnia, miscere vrbem aggressi, proxima quæq; facibus manu illatis, remotiora igne sagittis iniecto inflammauerunt. Fugientium autem Syracusanorum alij in via trucidati sunt, alij in domos fuga elapsi, vi ignis rursum inde eiecti sunt, plerisq; iam ardentibus, & in eos qui discurrebant corruentibus. Ea maxime calamitas vrbem Dioni reseruauit, omnibus idé sentire coactis ciuib. Etenim Dio remissius iam incedebat, quod in arcem compulsos hostes audiuisset. Die iam adolescente, primùm equites ei occurrerũt, iterum captam vrbem annunciantes: deinde & eorum, qui se ei aduersarios gesserant, nonnulli adfuerunt, vt properaret orantes: augescente malo, Heraclides fratrem suum emisit ad eum, & auunculum Theodotem, suppliciter petens vt auxilium ferret, nemine iam hostibus resistente, se ipso saucio, vrbe

*Alia Syracusanorũ clades.*

tantùm non euersa & incendio hausta. Sexaginta adhuc stadiis à mœnibus aberat Dio, cum hos accepit nuncios. Isque indicato vrbis periculo militibus suis, eosq; dictis cohortatus, nõ vt ante lento gressu, sed citato cursu ad vrbem duxit, aliis super alios, qui orarent vti festinarent occurrentibus. Vsus aũt admirabili suorum celeritate & alacritate, per portas in regionẽ vrbis quæ Hecatõpedum dicitur perrexit. Inde leuis armaturæ milites statim in hostem misit, vt iis visis animus Syracusanis redderetur: grauem armaturã ipse instruxit, & ciues qui agmine facto ad ipsum conuenissent, manipulis densioribus quam in fronte lõgioribus institutis, diuisisq; imperiis, vt simul terribilior variis ex partibus impetus in hostes fieret. Postquam his ita comparatis, votisq; Diis factis conspectus est per vrbem in hostes tendere, vociferatio & gaudium, ingensq; conclamatio votis adhortationibusq; permixta Syracusanorum extitit, Dionem seruatorem & deum, milites fratrũ ciuiumq; nomine inuocantium: neq; ita tum quisquam suæ vitæ metuens fuit, qui non pro Dione magis, quam reliquis omnibus laborare videretur, primo eo omnium per sanguinem, ignem, & cadauerum aceruos ad pugnam progrediente. Erant quidem & hostes ipsi terribiles, efferati iam prorsus, & instructa acie apud muri ruinas, quà difficilis ẽt magna vi nitentibus erat accessus, stantes: ignis tamen periculosiorem difficiliorẽq; progressum Dionis militibus fecit: cum flammis vndiq; cingerentur ædificia depascentibus per ruinas ardẽtes adhuc, & magna passim decidẽtia domorũ fragmenta nõ sine grauissimo discrimine multumq; fumũ simul atq; puluerẽ cogerentur ita incedere, vt ne ordines dissiparent suos. Postquã ad hostem peruentum est, paucorũ cum paucis conflictus extitit ob angustiam & inæqualitatem locorum: Syracusanis aũt clamore & alacritate sua Peloponnesios cõfirmãtibus, Nypsius cum suis pulsus est. Horum pleriq; in arcem, à qua non procul aberant, fuga euaserũt: qui verò extra eam relicti palabantur, eos insecuti Dionis milites confecerunt. Cæterùm status rerum fruendæ victoriæ, gaudio, & complexibus, quæ tam præclarũ facinus merebatur, tempus non cõcessit, ad domos suas Syracusanis cõuersis, quarum incendium vix adeo nocte ea est restinctum. Facta luce, reliqui perturbatores populi omnes sua conscientia damnati

*Dio Syracusas recuperat.*

mnati ex vrbe profugerunt: Heraclides autem & Theodotes ipsi vltro Dioni se dediderunt, fassi iniuste se cum eo egisse, precantesq;, vt se ipsis meliorem, quam expertus erga se eos esset, præberet: dignum autem Dionis incomparabili virtute esse, vt iræ quoq; moderetur rectius, quam ij, à quibus ipsi essent ortæ iniuriæ. qui cum hactenus cum eo de præstantia virtutis contendissent, nunc sponte fateantur virtute se eo inferiores esse. Hunc in modum Heraclida deprecante, Dionem amici monuerunt, ne malis inuidisque hominibus parceret, sed & Heraclidem militibus dederet, & reipub. popularis istam gratiæ aucupationem eximeret, morbum rabidum & tyrannide nihilo minorem. Quos vt placaret Dio, Aliorum ducum exercitationem in armis fere & bello consistere dixit. Se diu in Academia meditatum esse, quomodo iræ, inuidiæ, studioque omni contentionis moderaretur. eam virtutem non in eo conspici, si quis bonis & amicis se æquum præbeat: sed si quis iniuria affectus placabilem se & benignum peccantibus exhibeat. Ostensurum se, non tam potentia & armis Heraclida se, quam bonitate & iusticia præstantiorem esse. nam hæc re vera potiora esse: cum de prospero bellorum successu, & rerum bene gestarum gloria, si nemo hominum, at fortuna certe disceptare possit. Quod si Heraclides infidelis & improbus ob inuidiam sit: non conuenire tamen propterea Dioni, vt ob iram ipse officium prodat. quippe vlcisci se accepta iniuria iustius, quam iniuriam inferre videri, quod ita legibus sit constitutum: cùm, si naturam spectes, ab eadem animi imbecillitate vtrunque proficiscatur. Neque verò cuiusquam hominis maliciam, quantumuis magnam, ita prorsus intractabilē esse & indomitam, nō vt mutari crebris beneficiis possit. His ille ductus rōnibus, Heraclidæ & sociis iniuriarum gratiam fecit. Ad murum inde arci obiectum conuersus reparandum, singulis Syracusanorum singulos vallos cædere, & ibi deponere iussit: ipse noctu suos milites operi adhibens dormientibus & imprudentibus rei Syracusanis arcem munitione circumuenit: ita vt orta die cum ciues, tum hostes celeritatem operis admirati sint. Humanitatis porrò qui obierant Syracusanis Dio, & redemptis captiuis, qui erant duobus millibus haud pauciores, populi concionem indixit. In eam progressus Heraclides, censuit

*Clemētia Dionis in inimicos.*

omne mari terraque imperium Dioni plena cum potestate committendum. Quam sententiam cum optimi ciuium approbarent, populumque ita iubere cuperent, nautica & mercenaria turba tumultuari cœpit, dolens nauali præfectura excidere Heraclidem, qui si nihil aliud commodi rebus adferret, at saltem magis quam Dio popularis, vulgoq; hominum deditus esset & obnoxius. Atq; hoc quidem Dioni gratificatus est, reddiditq; maritimum imperium Heraclidæ: offendit tamen populi animos, cum ad diuisionem agrorum & domorum conuersos inhibuit, legemque ea de re antè latam abrogauit. Itaq; Heraclides hoc nouo arrepto exordio insidiarum in Dionem, Messanam nauigauit, ibiq; desidens nautas & milites, quos secum duxerat, popularibus sermonibus concitauit, & contra Dionem quasi is affectaret tyrannidem, *instigauit*: & ipse Pharacis Spartani opera occultè cum Dionysio pactus est. Quæ res cùm Syracusanorum principibus suboluisset, in castris seditio, atque propter eam difficultas annonæ in vrbe extitit: vnde in summis Dio angustiis constitutus male apud amicos audiuit, qui Heraclidem hominem præ inuidia & improbitate intractabilem contra se potentia auxisset. Pharace deinde ad Neapolim in agro Agrigentino castrametato exercitum Dio eduxit: cumque alio tempore statuisset dimicare, Heraclidę & nautarum insectationibus compulsus vociferantium eum prœlio decernere nolle, vt durante semper bello imperaret, manum cum hoste conseruit, accepta leui admodum clade magis suorum tumultu, quam vi hostium turbata acie. Inde cum suos adhortando atque monendo rursum ad pugnam se pararet, ineunte iam nocte annunciatur ei Heraclidem cum classe Syracusas contendere, eo consilio, vt vrbe occupata ipsum, exercitumq; ea excludat. Proinde assumptis alacerrimo & validissimo quoque Dio totam noctem equitando consumsit, tertiaq; diei hora ad portas vrbis peruenit, D C C. stadia eo cursu emensus. At Heraclides cum tardius venisset, quāuis magna vsus in nauigando festinatione, ab vrbe euectus, cum absq; vllo certo rei gerendæ proposito vagaretur, in Gæsylum Spartanum incidit, qui se eò nauigasse dicebat, vt Siculis sese ducem præberet, sicut olim Gylippus fecerat. Eum quasi amuletum aduersus Dionem sibi futurum lætus admodum Heraclides

*Heraclidæ infidelitas*

raclides

raclides recepit, sociisq; ostendit, missoq; Syracusas præcone ciues hortatus est, vt Spartanum ducem acciperent. Respondit Dio, satis ducum Syracusanis esse: quod si omnino res Spartani ducis indigere videatur, se quoq; ciuem Lacedæmonium esse factum. Ita Gæsylus desperato principatu, ad Dionem nauigauit, eiq; Heraclidem reconciliauit, iuramento se & maximis obligantem promissis: quæ si violasset, ipse Gæsylus vltorē se fore, pœnasq; ab Heraclida sumpturum iurabat. Secundum hæc Syracusani nauales copias dimiserunt, cum nihil istis efficeretur, magnam autem impensam requirerent, & ducibus diffidiorū ansas præberent: arcem autem, munitione exædificata, oppugnârunt. Nemine obsessis opitulante, iamq; & alimentis deficientibus, & militibus male se gerentibus, filius tandem Dionysij rebus desperatis data acceptaq; fide Dioni arcem, arma, reliquūque apparatū tradidit, ipse cum matre & sororibus triremibus quinq; oneratis ad patrem abiit, securum ei discessum Dione p̄bente. Nemo fuit Syracusis, qui non abitū eius spectaret: imo & absentes inuocabant tanquam infelices, qui diem istum, & solem Syracusanis liberis orientem nō viderent. Et verò cum etiamnum omnium fortunæ mutatæ exemplorū amplissimum sit atq; euidētissimum Dionysij fuga: quod tandem gaudium fuisse, quos spiritus illis credendum est, qui omnium quæ vnquam fuerunt maximā tyrannidem minima vsi occasione euertissent? Postquam abiit cum nauibus Apollocrates, & in arcem Dio adscendit, mulieres regiæ non continuerunt se, quin ad portas ei obuiam percurrerent, Aristomacha Dionis filium ducens, Arete ponè sequens, lacrymans & solicita quónam modo maritum salutaret atque compellaret, quæ ipso viuente cum altero rem habuisset. Ibi Aristomacha, cum eam primùm, deinde filium salutasset Dio, Aretam Dioni adducens, Miseræ, inquit, te exulante fuimus ô frater, aduentus & victoria tua omnem nobis ademit mœrorem, hac vna excepta, (Aretam indicabat) quā infelix ego vidi cogi vt te viuo alteri nuberet. At tu fortunæ munere dominus nostrûm factus, quid tandem ea de necessitate fers sententiæ? vt auunculúmne, an vt maritum te salutabit? Hæc fata sorore, Dio lacrumis effusis perhumaniter vxorem apprehendit, filioque ei tradito in domum suam ire iussit, vbi ipse quoque, reddita

*Arcē Dio recipit & vxorem.*

Syracusanis arce, habitabat. Hoc rerum successu hunc sibi primum suæ felicitatis fructum percipiendum Dio ratus vt amicis gratiam referret, socios; muneribus, & eos præsertim qui Syracusis erant familiares atq; hospites beneficio aliquo aut honore afficeret, liberalitate potentiam suam superauit, cum ipse interim frugaliter & sobrie ex iis quæ obtigerant viueret: admirabanturque eum homines, quod cum in oculis nõ Siculorum modo & Carthaginensiũ, sed & omnium Græcorum ferretur: neq; ea ætate quisquam audacia fortunaque sua maiorem consecutus rem videretur, vestitui tamẽ, familiæ, victuiq; ita temperaret suo, tanquã si in Academia cum Platone, nõ inter duces militesq; stipendiarios viueret, quibus quotidiana crapula & oblectationes laborũ & periculorũ leuamen haberentur. Scripsit sane ad eum Plato, in eum vnum oẽs omnium mortaliũ oculos cõuersos esse: at ipsum in vnũ vnius vrbis locum Academiã defixisse lumina, solos qui in hac viuant eum & spectatores suos, & iudices putare. vt qui neq; facinus vllũ, neq; audaciã, neq; victoriam, sed id vnum spectent atq; magni faciãt, si quis fortuna recte vtatur, & moderatum se in magnis versantem rebus præbeat. Iam de grauitate in congressibus sua, & in populo tractando rigiditate magnopere cauebat Dio, ne quid remitteret: cum quidem & res ita postularent, vt gratiosus esse studeret, & Plato, (vt demonstrauimus) eo nomine ipsum increparet, ac scriberet, Arrogantiam solitudinis esse sociam. Sed videtur mihi cùm ingenio ad ducendos homines minime temperato fuisse, tum Syracusanos nimis lasciuientes seueritate sua retrahere à vitiis studuisse. Quippe Heraclides rursum adortus Dionem, primò in senatum vocatus, venire detrectauit, priuatum se esse, & inter reliquos ciues in concione futurum dicens: deinde vitio ei vertit, quod arcem demolitus non esset, quod populum à sepulcro Dionysij aperiendo & cadauere eiiciendo inhibuisset, quod spretis ciuibus Corintho consiliarios & collegas euocasset. Et verò hos Dio acciuerat, quod iis præsentibus facilius quam animo conceperat reipub. formam se instituturum sperabat. Statuerat autem puram illam meramq; populi dominationem (quæ non tam respu. quã nundinæ rerump. dici Platonis sentẽtia potest) nequaquam admittere, sed Laconicam quandam & Cretensem

*Liberalitas eius.*

formam

formam miſcere, ex populo & regno conflatam, in qua maximarum rerum poteſtas penes præſtantiſſimos eſſet: & animaduerterat Corinthiorum rempub. fere in paucorum eſſe manu neq; multa publica negocia per populum tractari. Qua in re cum ſumma contentione ſibi Heraclidem repugnaturum præuideret, hominem plane turbulentum, leuem, & ſeditioſum, quos iam pridem eum necare volentes prohibuerat, iis tum vt cæderent hominem permiſit: iiq; domi ſuæ Heraclidem trucidarunt. Mortem eius moleſtiſſime ciues tulerunt: ſed cum Dio ſplendide eum ſepeliri curaſſet, & funus ipſe cum exercitu deduxiſſet, orationemq; ad populum habuiſſet, placati ſunt intelligentes nullum in vrbe turbarum finem futurum quàdiu Heraclides ſimul & Dio in repub. verſarentur. Erat quidam inter ſocios Dionis Callipus Athenienſis, quem Plato ait non Philoſophiæ ſtudio, ſed ex ſacrorum initiationib. & paſſim vagante ſodalitate iſta notum familiaremque Dioni factum. Is cum ſe expeditionis in Siciliam ſocium præbuiſſet, tanto apud Dionem fuit in honore, vt coronatus cum eo primus omnium amicorum Syracuſas ſit ingreſſus, inq; certaminib. clarus atq; inſignis haberetur. Cum vero præcipuos & optimos Dionis amicos bellum abſumpſiſſet, Heraclides etiam periiſſet, cernens & Syracuſanam plebem duce carere, & apud Dionis milites ſibi nonnihil eſſe autoritatis, ſceleroſiſſimus omnium mortalium factus, de Dione interficiendo conſilium cepit, præmium necati hoſpitis certum fore Siciliam ſperans. quidam ab hoſtib. Dionis præterea talentis viginti eũ conductum ad facinus perpetrandum aſſerunt. Cuius gratia cum milites Dionis corrumpendos ſibi videret, nequiſſimo & aſtutiſſimo vſus eſt exordio ſemper ad Dionem ſermones quoſdam eorum ſeu auditos ſeu confictos deferendo, ob fidem, quæ ei erat apud Dionem tantum eſt conſecutus poteſtatis, vt quibuſcum militib. vellet, ſecreta cum iis colloquia agitare tuto poſſet: quippe ita à Dione iuſſus facere, cupiente ſibi cõſtare quicunq; abalienato eſſent aut infenſo erga ſe animo. Ita fiebat, vt & malos ac tacito Dionis odio laborantes Callippus facile cognoſceret, atq; ſibi adiungeret: & ſi quis ſermones eius, quibus fides ſua ſolicitabatur, reſpueret, atq; Dioni renunciaret: Dio nihil eare, vt qui Callippũ hoc modo explorare militum animos iuſſiſ

*Heralidæ mors.*

*Callippi in Dionẽ inſidiæ.*

ser, turbaretur aut offenderetur. Ita compositis insidiis, ma
*Ostentum* gnum & horribile visum Dioni offertur. Cum enim inclinante iam die solus forte in atrio domus sederet cogitabundus, subito strepitu excitatus in alteram porticus partem respexit magnamq; contuitus est mulierem, quæ habitu vultuq; nihil a tragica Furia distans, domum scopis verreret. Grauiter eo spectro territus atque consternatus, amicos ad se vocauit, iisq; visum exposuit, & vt secum eam noctem agerent orauit, omnino metu quasi attonitus timens ne sibi soli rursum id ostentum occurreret: id quod tamen porro
14 non accidit. Paucis post diebus filius eius ephebus iam dolore leui & ludicra ex causa orto concitus, de superiore parte ædium se in caput deiecit, atq; obiit. Sic afflicto Dione Callippus ad facinus animo destinatum alacrior factus, rumorem inter Syracusanos sparsit, Dionem liberis orbatũ statuisse Apollocratem Dionysij filium successorem sibi vocare, natum sorore vxoris suæ, eademq; filia fororis suæ. Sane & Dioni, & mulierib. suspiciones quædam eorum quæ agebantur insinuauerant: & indicia passim afferebantur. Sed Dio, vt apparet, necem Heraclidis adhuc moleste ferens, idq; factum veluti næuum quendam vitæ actionumque suarum exosus, dicebat, Iam sæpe se paratum mori, & «iugulum dare volenti cædere, siquidem ita sit viuendum, vt non ab hostibus modo, sed etiam ab amicis sibi cauere cogatur. Mulieres autem videns Callippus accurate in rem inquirere, metuens sibi ad eas venit, inficians & lacrumans, seque fidem suam iis quo vellent pignore obstricturum dicens. illæ eum magnum iusiurandum dare iusserunt. Id tale erat, vt qui fidem illo suam sanciret, is in templum Cereris ae Proserpinæ descenderet, sacrisque peractis quibus-
*Magnum iusiurandum.* dam, purpura deæ se indueret, facemque tenens ardentem iuraret. Hoc sacramento dato Callippus adeo risui Deos habuit, vt die Deab. per quas fuerat iuratus, festo, ipsis Proserpinalib. cædem perpetraret, quanquam religionem diei ab eo contemptam mirum non est, vtiq, Deam offensuro, etiamsi alio tempore sacris eius initiatum ipse initiator neasset. Cum autem facinoris eius multi essent socij, Dione
*Dio necatur.* in cubiculo quodam lectulos habente cum amicis sedente, coniuratorum quidam foris domum circumsteterunt, alij ad fores domus & fenestras adstiterunt: Zacynthij, qui

manus

manus erant illaturi, absq; gladiis ad Dionem tunicati intrarunt. Simul & qui foris erant, fores ad se attractas constrinxere, & Zacynthij in Dionem manibus iniectis, tenere eum, atq; opprimere intenderunt: quod vbi non successit, gladium popoſcere, nemine quidem fores aperire audente, quod multi intus erant cum Dione, verum hi auxilium ei ferre non sunt ausi, quod vnusquisq; ita existimaret, se ita saluti suæ consulturum, si Dionem destituisset. Post aliquãtam moram, Lyco Syracusanus cuidam Zacynthio per fenestram pugionem porrigit: eo illi Dionem iamdudum victum atq; consternatum veluti victimam mactarunt. Statim quoq; sororem, & vxorem vterum ferentem in carcerem coniecerunt: atq; huic vsu venit vt miserrimo puerperio in carcere masculum fœtum ederet: quem & custodib. delinitis nutrire atq; educare non sunt veritæ, iam tum Callippo rerum successu non satis secundo vtente. Quippe is initio Dione interfecto magni erat inter Syracusanos nominis, vrbemq; in potestate sua habebat, & ad ciuitatem Athenienſem (quam vnam secundum deos maxime debuit re-
uereri, ac metuere, tanti sibi piaculi conscius) literas dabat. Sed profecto apparet verum esse quod fertur, Athenis homines eos nasci, qui si boni sint, virtute omnibus præstent: sin mali, omnium deterrimi dici mereantur. quomodo & regio ipsorum optimum mel, & præsentissimam necandis hominib. cicutam producit. Neq; vero Callippus diuturnam de diis & fortuna, quod impune paterentur hominem tanto scelere tam magnis partis opib. frui, conquerendi occasionem dedit: sed mox digna sese supplicia persoluit. Etenim ad Catauam occupandam profectus, statim Syracusas perdidit: cum quidem dixisse fertur, se vrbe amissa, tyrocnestim adeptum. Adortus deinde Messanenses, cum plerosque militum, interque eos etiam Dionis percussores, amisisset, neque vlla Siciliæ vrbe reciperetur, omnibus eum abominantibus & respuentibus, Rhegium se contulit. Ibi graui pressus penuria, cum militibus stipendia ægre suppeditaret, à Leptine & Polysperchonte interemptus est, idque (fortuna sic gubernante) eodem, quo ferebatur Dio cæsus, pugione: agnoscebatur enim magnitudine, cum esset (vt solent Laconici) breuis, & affabre paratus. Has Callippus pœnas dedit. Aristomacham autem Aretamq; carcere

*Callippi exitus.*

emissas

emissas Icetes, qui vnus de amicis Dionis fuerat, ad se recepit, & fideliter præclareq; aliquandiu tractauit. Postea autem ab inimicis Dionis ei persuasum est, vt parata iis naui, qua scilicet in Peloponnesum aueherentur, vectoribus eas in nauigatione trucidandas, inq; mare eiiciendas mandaret: quidam viuas vna cum infante in mare demersas scribunt. Sed & hic meritas eius facinoris pænas luit. Nam & ipse à Timoleonte captus periit, & Dionem vlciscentes Syracusani duas filias illius ante patris necem interfecerunt: quam historiam singulatim sumus in vita Timoleontis prosecuti.

## IN DIONEM ANNOTA-*tiones Interpretis.*

*DIo Platonis fuit, & Dionysiorum Siciliæ tyrannorum coætaneus: Præclarissimum eius liberatæ insulæ facinus, prope in natales Alexandri magni incidit. Vide de eo Diodorum Siculum lib. 16.*

1 Quod Simonides.] *Eius versus refertur ab Aristotele primo volumine Rhetoricorum, cap. 6.*

Κορινθίοις δ' ὀυμέμφεται τὸ ἴλιον. *id est,*

4 *Neq; Ilium Corinthiis irascitur.*

2 Plato de eo scriptum.] *In epistolis ad eius Familiares.*

3 Fratri Thearidæ.] *Cuius? Aretæ ne, an Dionysii? est enim ambiguum. Posterius placet, nam fratres Aretæ Hipparinum & Nyseum vocat Aemilius Probus: qui quidem has nuptias præterit.*

4. Vti arrogantiam.] τὴν αὐθάδειαν, ἐρημίᾳ ξυνοικοῦσαν. *Extat Platonis locus in epistola ad Dionem, quæ est in ordine quarta.* ἐνθυμοῦ δὲ, *inquit,* ὅτι δοκεῖς τισὶν ἐνδεέστερος τοῦ προσήκοντος θεραπευτικὸς εἶναι. μὴ οὖν λανθανέτω σε, ὅτι διὰ τοῦ ἀρέσκειν τοῖς ἀνθρώποις καὶ τὸ πράττειν ἐστὶν. ἡ δ' αὐθάδεια, ἐρημίᾳ ξυνοικος. *Hunc locum sæpe citat noster Plutarchus. Verba autē Platonis satis ostendunt,* αὐθάδειαν

δειαν παρὰ τὸ αὐτὸς & ἁδεῖν esse dictum vitium, cum quis sibi nimium ipse placet, neq; curat quid alij de ipso sentiant. Ego arrogantiam, atq; etiam cōtumaciam Latine verti posse censeo: tametsi nonnihil in hoc Græco, vt & sæpe in aliis amplius quam in Latino inesse videatur. Est autem vitiū, in quod fere etiam boni incidunt, qui optima freti consciētia, non cogitant aliquando inter quos agāt homines: quo nomine Catonem philosophum, vtpote Stoicum, reprehendere haud iniuria videtur Cicero. Illa altera, malorum plane & famæ contemptorum est arrogantia, πάνυ ὀλιγώρως ἐχόντων περὶ τῦ ἄλλοις ἀρέσκειν, qui nihil famam curant. neq; quidquam eos pudet: in quos est illud Tullij 1. Offic. Negligere quid de se quisq; sentiat, non solum arrogantis est, sed etiam omnino dissoluti.

αὐθάδεια.

5 Plato scribit tertio. ] Est & hic locus in epistola ad necessarios Dionis, prolixa illa, quæ est numero epistolarum septima: sicut & bona pars harum narrationis inde est à Plutarcho desumpta. Cæterum versus qui sequitur, ibidem extat, iisdem quibus est apud Homerum Vlysseæ lib. 12. verbis, vt non poßim cogitare, vnde vox ἐξολοθρεύσειε hoc loco irrepserit, pro Homerica ἀναμετρήσειε. Siquidem à Plutarcho mutata est persona: illa autem mendosa vox neq; sensum habet, & versum vitiat.

6 Ob senectutem Dionis.] γῆρας in Græco ambigue Amiotus ad Dionem retulit, quod & mihi videbatur.

7 Nauigia strongyla. ] στρόγγυλον, Græcis rotundum significat aut verius teres. itaq; puto hoc genus nauigiorum longis nauibus opponi. Exemplo tamen grauißimorum autorum, qui in similibus idem fecerunt, malui Græcam vocem retinere, quam non satis perspicuam pro ea ponere.

8 Synalus præfectus.] apud Diodorum in huius narratione rei, Paralus nominatur.

9 Verberibus cæsi.] τυμπανιζόμενοι. Guarinus vertit

virgis

τυμπανίζεσθαι.

virgis enim cæsos excoriarunt. *secutus (opinor) Suidam, cui* τυμπανίζεσθαι *est non modo* ξύλῳ πλήσσεσθαι *sed* ἐκδέρεσθαι *etiam, &* κρεμᾶσθαι *suspendi. quod si libet sequi, in crucem actos vertamus: est enim plane consentaneum, supplicio illos corycæos acerbissimo affectos. Interpres Aristophanis in Pluto, adversum,*

ὦ τύμπανα καὶ κύφωνες οὐκ ἀρήξετε: *baculos quibus damnati ferirentur, ait fuisse tympana. quem secutus sum. Est etiam in epistola ad Hebræos, vox* ἐτυμπανίσθησαν. *cap. 12. Antiquius & Erasmus verterũt, distenti sunt: Castalio, cruciati. Dicitur &* ἀποτυμπανίζεσθαι, *apud nostrum in Galba, & vero apud Aristotelem 2. Rhet. cap. 6. de Antiphonte à Dionysio supplicio affecto. Eustathius in 5. Vlyss. 5. ex Euphorione Chalcidensi, & Athenæo tradit,* ἀποτυμπανισθῆναι *esse* τὴν κεφαλὴν πελέκει ἀποκοπῆναι. *Vt in tanta interpretum varietate liceat quoduis sequi.*

10 Solarium.] ἡλιοτρόπιον. *Est autem fere solarium, vt ex Cicerone & Varronis lib. 5. de ling. Lati. percipimus, horologium, in quo ex vmbra gnomonis in sole horæ possunt cognosci: quomodo Græcam vocem grammatici, & Plutarchi interpretes acceperunt. tametsi haud scio quam absurde pro suggesto, vel tribunali in sole posito accipere possimus, secunda etymologia: quomodo apud Athenienses* ἡλιαῖαν *dictam aiunt, nisi quod sequentia ostendũt, de horologio fieri verba.*

11 Quin hominem fuisse eum tyrannorũ studiosissimum.] αὐτὸς αὐτὸν οὐ δύναται, *&c. refertur hoc ad Ephorum, si Græca sequimur qui sane an tyrannis tantopere, & eorum vitæ instituto fauerit, non scio: neque memini ea de re quicquam legisse, neq; ego arbitror tamen eum talẽ fuisse. Guarinus ad Philistum retulit, quasi illius vitia nulla oratione potuerit Ephorus diluere: quod ego consentaneum puto, & probaui, vt loco etiam huic (quicunq; fuerit Ephori de tyrannide sensus) conueniens. Legendum ergo esset* αὐτὸς

αὐτὸν,

αὐτὸν, *in voce* αὐτὸς, *vt sit emphasis, ad facundiam eius & vitia tegendi calliditatem respiciens.*

12 Singulis Syracusanorum singulos vallos.] ἕκαστον ἐκέλευσεν ἕνα κόψαντας τάφρον ἐγγὺς καταβάλλειν. *Qui verba hæc cõsideret, facile intelliget interpretes errasse, dum ita exponunt, quasi Dio Syracusanos iusserit singulas fossas prope ruinas muri agere quid enim erit* κόψαντας *& καταβάλλειν? quæ sane fossæ nihil congruunt, quam cædi non proprie dicimus, multo minus deiici, vel deponi. Consequens est, vt aut* τάφρος *vallus sit, aut vocabulum mendosum. Posterius verum est (nam* τάφρος *fossa est, non vallum) & procliuis fuit ad mendam lapsus: scripserat enim autor* κόψαντα σαυρὸν *(alias* κόψαντας, *si* κατὰ σύνθεσιν *accipias, etiam* ταφρὺς *debebat dixisse) litera* σ *ad vocis præcedentis finem ab oscitante librario est translata; &* ταφρὸν *idem scripsit,* υ *in* φ *(vt vitiosa pronunciandi ratione est receptũ) deinde mutata. Hæc menda interpretibus peruertendi sententiam loci huius ansam præbuit.*

13 Platonis sententia.] *Locus est lib. 8. de Rep. quasi cõfusum aliquid, & in quo omnium formarum reipub. exẽpla in promptu sint, per* παντοπώλιον *seu nundinas intelligit.*

14 Ludicra ex causa.] *Apud Aemilium Probum legitur ea. sed quidem satis seria: nempe quod hactenus luxuriosè & dissolutè cum vixisset, patre rerum potito, & eum ad temperantiam reuocante, mutationem non ferret.*

## PLVTARCHI M. BRVTVS GVIlielmo Xylandro Augustano Interprete.

M. Brutus genus suum ab Iunio Bruto deduxit, quẽ prisci Romani æreũ inter reges in Capitolio posuerũt, cum ense stricto: ꝙ eius maxime virtute Tarquinij eiecti, libertasq; Romanorũ cõfirmata esset. Verũ is, gladij instar qui cãdens in frigida aqua extin-

*Genus Iunij.* 1

extinctus nimiam duriciem rigoremq; contraxit, præduro ingenio præditus, neque eo doctrina emollito, ira aduersus tyrannos vsque ad cædem liberorum prouectus est. Hic autem, de quo nobis sermo instituitur, ita indolem suam disciplina, philosophicisq; studiis temperauit, naturaq; suapte ingenium graue & placidum impetib. ad res agendas accommodatis excitauit, vt egregie ad honestatem composito animo videretur, quæ causa fuit, vt qui eum ob cædem Cæsaris oderunt, quidquid eo in facinore præclarum infuit, id omne Bruto atrocissima quæq; Cassio imputarent: familiari quidem Bruti, & amico, sed non item sincero ingenio.

2 Mater Bruti Seruilia ad Seruilium Ahalã genus refert, qui, cum S. Mælius tyrannidem affectaret, populumq; concitaret, sub ala gladium ferens in forum processit, Mæliumque prope assistens tanquam si colloqui vellet, eo ictum interfecit. Et de hac quidem gentilitatis parte nihil est controuersiæ. Paternum genus nonnulli, Bruto ob interemptum Cæsarem haud obscure infensi, negant ad eum Brutum pertinere, qui reges eiecerit: quippe ei necatis filiis nullam relictam prolem: sed hunc Brutum cuiusdam filium Bruti dispensatoris plebeiũ nuper adeo ad capessendos magistratus processisse. Posidonius autem adultos iam Bruti filios, ita vt
3 narratur, à patre occisos affirmat: relictum autem tertium, adhuc infantem, & ab eo Brutorum genus propagatum: & vero quosdam qui eo genere orti essent, viros illustres suoque vixissent tempore, similitudinem formæ in statu prisci Bruti expressam facie sua retulisse. Seruiliæ, eius quæ Bruti mater fuit, frater fuit Cato philosophus, quem auunculum Brutus omnium Romanorum potissimum sibi admirandum proposuit: post etiam filiam eius duxit. Nullus fere fuit Græcorum philosophorum, quem non audierit: nulla secta, quam non cognouerit. Maxime tamen Platonicam amplectebatur. nouamq; & mediam (vt vocant) Academiam non admodum probans, antiquam sectabatur, Antiochum Ascalonitam perpetua in admiratione habuit: fratremque eius Aristonem amicum sibi & contubernalem adsciuit, hominem vsu doctrinæ longe reliquis philosophis inferiorem, modestia autem & lenitate nemini primorum cedentem. Empylus vero, cuius & ipse Brutus in epistolis, & amici crebro meminerunt, quasi eius qui vitam cum Bruto egerit,

*Bruti studia.*

egerit, rhetor fuit: reliquitque paruum quidem, sed minime contemnendum librum De cæde Cæsaris, qui inscribitur Brutus. Romano quidem sermone Brutus ad excursiones & contentiones orationum sufficienter exercitatus fuit. Græce autem argutæ illi ac Laconicæ breuiloquentiæ se studuisse in epistolis aliquoties ostendit. Vt cum iam ad bellum aggressus, Pergamenis scriberet: Audio vos Dolabellæ dedisse pecunias. Si volentes id feciſtis, fateamini me à vobis iniuria affectum: sin inuiti eas dediſtis, id mihi libenter dando declarate. Item Samiis: consulitis negligenter: administratis tarde: quem finem horum fore cogitatis? Et in alia epistola de Patarēsib. Xanthij meo beneficio spreto, patriam suæ dementiæ nacti sunt sepulcrum: Patarenses, quod se mihi credidissent, nullam libertatis partem desiderant. Vestrum est, aut Patarensium sententiam, aut Xanthiorum fortunam deligere. Atq; hoc est genus insignium Bruti epistolarum. Adolescentulus etiamnum cum Catone in Cyprum est profectus, misso aduersus Ptolemæum insulæ regem. Ibi Cato, cum se rex ipse interfeciſſet, necessaria de causa Rhodi commorans, præmisso in Cyprum Caninio suorum vno amicorum ad custodiendam pecuniam regiam, metuens ne is pecularetur aliquid, Bruto scripsit vt quam celerrim ex Pamphylia (ibi enim se ex quadam imbecillitate colligens agebat) in Cyprum nauigaret. Perinuitus paruit Brutus, quod & Caninium reuerebatur, ignominiose officio à Catone amotum, & omnino huiusmodi administrationem illiberalem, & se (adolescens quippe & otio erat deditus) non dignam putaret. Veruntamen & hac in re præclaram nauans operam, à Catone laudatus est, & bonis regiis diuenditis, cum maiore parte pecuniæ Romam missus. Cum iam arma arripientibus Cæsare & Pompeio ciuile bellum gliscceret, & perturbata esset respub. nemo non existimabat Brutum Cæsaris partes secuturum: quippe cuius pater esset iussu Pompeij interfectus. Verum is priuato publicum antiquius habens, Pompeio, cui quam Cæsari iustiorem belli causam esse sentiret, se adiunxit. Ante ne allocutus fuerat Pompeium obuius forte ei factus, quod magnum putaret esse flagitium, cum patris sui occisore colloqui. Tunc autem se ei vt principi patriæ submittens, in Siciliam cum Sestio (cui ea obtigerat forte prouincia) legatus

*Pompeiū sequitur.*

abiit. Vbi cum nullius magnæ rei gerendæ daretur occasio, iamq; de summa rerum decertaturi Pompeius & Cæsar con grederentur, vltro ad commune prælij discrimen in Macedoniam venit, cum quidem Pompeium gaudio & admiratione aduentus eius de sella ei obuiam isse, & tanquam præstantiorem amplexum in conspectu omniũ fuisse perhibẽt. Ea militia interdiu, quidquid à Pompeio abfuit temporis, studiis librisque impendebat, non alias modo, sed & imminente iam Pharsalica pugna. Quæ eam præcessit dies ingenti æstu castra locis palustrib. adulta tum maxime ætate metatos affligebat. Brutus autem eo confectus, cum qui tentorium ei ferrent non statim adueniissent, vix tandem media iam circumacta die vnctus & modice pransus, reliquis aut dormientibus aut de euentu futuræ pugnæ solicite cogitantibus ad vesperam vsque scripsit, Polybium in epitomen contrahens. Ferunt & Cæsari Bruti salutem curæ fuisse, ideoque eum in prælio ducibus iussisse vti parcerent ei neque cæderent, sed ad se perducerent, siquidem volens sequeretur: sin repugnaret, missum facerent. Hoc cum in Seruiliæ gratiam, matris Bruti, egisse. cum ea enim traditur iuuenis adhuc rem habuisse, insano ipsius amore correpta: & Brutum, quo maxime tempore amor iste flagrauit, editum quodammodo sibi persuaserat ex se natum. Est & hoc memoriæ mandatum, cum in Senatu grauis de re Catilinaria (quæ parum abfuit quin ciuitatem euerteret) incidisset deliberatio, Catonem & Cæsarem eodem in loco stantes, altercatos esse. interim epistolium quoddam sibi foris allatum, Cæsarem tacitum legisse. Catonem vero clamasse, Indignum Cæsaris facinus, qui literas ab hostibus recipiat. tum Cæsarem multis tumultuantibus literas istas, vt erant, Catoni tradidisse. Eumq; lectas (continebant autem impudica sororis Seruiliæ ad Cæsarem verba) rursus Cæsari proiecisse dicentem, Accipe ebrioſe, atq; sic ad priorem sermonem regressum fecisse. Ita Seruiliæ in Cæsarem amor notus fuit. Victo ad Pharsalum Pompeio, & fuga ad mare elapso, cum oppugnarentur castra, Brutus nemine animaduertente ad locum palustrem & aqua cannisque refertam porta egressus, noctu Larissam euasit. Inde cum dedisset literas, Cæsar superstitem eum esse lætatus fuit, & ad se vocatum non culpa modo liberauit, sed & in summo

*Cæsar cur Bruto fauerit.*

secum

secum habuit honore. Incertus deinde quonam Pompeius profugisset, animoq; æstuans, cum solus cum Bruto ambularet, sententiam eius explorauit: cumq; eum quibusdam ex colloquiis optime omnium de Pompeij fuga coniecturam facere sentiret, omnib. rebus omissis in Aegyptum contendit. Sed Pompeius iam eo (vt coniecerat Brutus) perlatus perierat. Porro & Cassio Cæsarem Brutus placauit: & cum Regi Galatiæ patrocinans, multitudine criminum ei obiectorum vinceretur, deprecans pro eo obtinuit, vt magnam ditionis partem non amitteret. Ac fertur Cæsar, cum eum primum audiuisset dicentem, ad amicos dixisse: Haud scio quid hic iuuenis velit. Sed quiquid vult, valde vult. Ea animi grauitate præditus erat Brutus, vt non facile cuiuis petenti abs se quippiam gratificaretur: quod vero agendum sibi rationibus consilioque adductus statuisset, ad id valido efficacique ferebatur impetu. Neque adulationibus se ad probandas iniustas preces adduci patiebatur: & importunitati impudenter petentium succumbere, (id quod nonnulli verecundia vinci appellat) turpissimum magno viro iudicans esse, dicere solebat, Videri sibi male illos tempus suum collocasse, qui nihil didicerint denegare. Aduersus Catonem & Scipionem in Africam tra iecturus Cæsar, Galliæ citeriori Brutum bona quadam eius prouinciæ fortuna præfecit. Cum enim reliquæ libidine & auaricia eorum quibus commissæ erant tanquam bello captæ diriperentur, huic prius toleratarum miseriarum leuamen & solatium Brutus fuit, omnium suorum beneficiorum gratiam ad Cæsarem referens: itaque huic in Italiam reuerso vrbes Bruto creditæ iucundissimo fuerunt spectaculo, augente simul gloriam ipsius Bruto, qui vna gratiose circumibat. Multæ sunt in repub. præturæ, quarum ea quæ vrbana dicitur, dignitate cæteris omnibus præstat: videbatur autem vel Brutus eam consecuturus, vel Cassius. Sunt qui dicant hos, cum iam ante simultates nescio quam ob rem mutuas exercerent, grauius tum eius præturæ causa contendisse: cum quidem Iuniam Bruti sororem in matrimonio Cassius haberet. Quidam Cæsarem vtrique occulte suam pollicentem operâ, in hoc certamen eos pertraxisse aiunt. Brutus virtute & gloria aduersus multa ac præclara Cassij Parthica facinora contendebat. Cæsar

*Præturæ vrbanæ.*

auditis eorum petitionibus, cum amicis eo de negocio cõsultans, Iustiora afferre Cassium, Bruto tamen priores partes dandas dixit. Ita Cassius alia prætura ornatus, non tantum gratiæ ob impetratum magistratum Cæsari habuit, quantum iræ ob alterius repulsam in eum concepit. Brutus autem cæteris quoque in rebus potentiæ Cæsaris fructus quantos vellet percepit. Ac licebat ei sane primo inter amicos Cæsaris loco esse, plurimumque posse: modo ita voluisset. Sed eum Cassij societas à Cæsare ad se retrahebat, tametsi nondum reconciliata cũ illo gratia: verum amici instabant, hortantes ne se ipsum à Cæsare demulcendo emolliri pateretur, sed amicitiam tyranni & blandicias fugeret, non honorandæ virtutis, sed eneruandi roboris, subruendique animi causa talem se ipsi præbentis. Et quidem non omni suspicione de Bruto Cæsar vacabat, erantq; ad ipsum nonnullæ aduersus eum delatæ calumniæ: sed magnitudinem animi, dignitatem, amicosq; Bruti metuens, moribus tamen hominis fidebat. Ac primum allato Dolabellam & Antonium nouas res moliri, Non sibi pingues & comatos negotium facessere dixit, sed pallidos & graciles istos: Brutum indicans & Cassium. Deinde Brutum quibusdam traducentibus vtque sibi ab eo caueret monentibus: manu corpus suum tangens, *An vobis, inquit, videtur Brutus hanc carunculam non expectaturus? significans* tantam, quanta præditus ipse esset, potentiam præter se nemini nisi Bruto conuenire. Et vero videtur Brutus princeps haud dubie ciuitatis futurus fuisse, si aliquandiu saltem priores Cæsari, sibi posteriores relinquere sustinuisset, dum potentia illius, & tot rerum gestarum gloria elangueret. Sed Cassius homo iracundus, magisq; priuatim Cæsari, quam publice tyrannis infensus, eum inflammauit, & ad festinandum impulit. Ferunt Bruto principatum, Cassio principem inuisum fuisse: huncque cum alias odij causas habuisse, tum leones, quos ipse ædilicium munus exhibiturus comparauerat, Cæsar autem Megaræ, cum vrbs ea à Caleno esset capta, deprehensos retinuerat. Magnam leones illi calamitatem Megarensibus intulisse perhibentur: cum enim ciues vrbe iam occupata claustra diripuissent, & vincula soluissent: vt hosti irruenti leones impedimento essent, feræ in ipsos ciues conuersę, inermes passim discurrendo laniarunt,

*Cassij in Cæsarem odium.*

ita vt

ita vt ipsis hostibus adspectus is miserandus esset. Cæterum errant, qui hanc potissimum causam insidiarum in Cæsarem fuisse tradunt. Nam iam inde ab initio odium quoddam vniuersi tyrannorum generis Cassio natura ingenerauerat: id quod puer adhuc ipse demonstrauit. Cum enim Faustus Syllæ F. qui in eundem ludum commeabat, inter pueros patris sui dominationem iactantius prædicaret, insurgens Cassius pugnos ei incussit, quod cum tutores necessariique Fausti vlcisci, & iniuriam iudicio persequi vellent, Pompeius obstitit, puerisque ad se vocatis de eo facto quæstionem habuit. Ibi ferunt Cassium dixisse: Agedum Fauste, aude coram hoc viro istam tuam qua irritatus fui orationem referre, vt tibi rursus os ego comminuam. Talis quidem fuit Cassius. Brutum autem multi familiarium sermones, multi ciuium rumores & literæ ad facinus excitarunt. quippe statuæ prisci illius qui reges eiecerat Bruti subscripserunt, Vtinam nunc esses Brutus: &, Vtinam viueret Brutus: atq; ipsius Bruti tribunal, vbi prætor ius dicebat, interdiu repertum est plenum huiusmodi litterarum: Brute dormis, neque vere Brutus es. Horum in Cæsarem populi odiorum causas præbuerunt assentatores, qui & alios honores inuidiæ obnoxios Cæsari habẽdos excogitauerant, & statuis eius noctu diadema imposuerant, quasi multitudinem illecturi vt pro dictatore regem eum appellarent. sed hoc secus cecidit, quemadmodum in Cæsaris vita accurate scripsimus. Cassio amicorum animos in Cæsarem pertentanti, omnes ea conditione assensi sunt, si Brutus ducem se præberet. non enim manibus, non audacia hoc facinus indigere, sed gloria viri, qualis Brutus sit, qui autor sua præsentia confirmet, iure id factum esse: alioquin & in eo perpetrando facinore sibi minus animi, & re confecta suspectos fore, quod ita sint homines existimaturi, nunquam Brutum societatem eius facinoris, si ab honesta causa esset profectum, recusaturum fuisse. Hæc secum expendens Cassius, prior Brutum post illam contentionem accessit: cumq; reditum in gratiam, & renouata amicitia esset, interrogauit, esset ne Kalendis Martij in senatum venturus: audiuisse enim se, ea die de regno Cæsari deferendo amicos eius relaturos. Bruto se venturum negante, Quid ergo, inquit, si nos vocent? Tum Brutus, Meum iam erit nõ

„ silere, verum libertatem tueri, ac pro ea vitam profundere.
„ His excitatus Cassius, Quis vero, ait, Brute Romanorum te
„ pro libertate mori sustinebit? An te ipsum ignoras? an à tex-
„ toribus & cauponibus non à primis & potentissimis ciuib.
„ inscribi tribunal tuum credis? ab aliis prætoribus largitio-
„ nes, spectacula & gladiatores illi, à te veluti paternum de-
„ bitum exigunt tyrannidis euersionem, parati quiduis pro
„ te subire, si te eis, qualem postulant & optant, præbueris.
„ Hæc fatus, Brutum amplexus est, & salutauit: post eum di-
gressum se ad amicos conuerterunt. Erat quidam C. Liga-
rius, vnus ex amicis Pompeianis, quem & eo nomine accu-
satum Cæsar absoluerat. Is non gratus ob eam veniam, sed
dominationi ob quam in discrimen venerat, infensus, Cæ-
sarique erat, summus Bruti familiaris. Ad hunc tum ægro-
tantem Brutus ingressus, *O Ligari*, inquit, quam alieno
tempore ægrotas, tum is in cubitum se continuo eleuans, dextra eius apprehensa, Ego vero Brute, ait, si
quid te dignum animo concipis, valeo. Inde animis noto-
rum hominum, quibus fidebant, exploratis, rem cum iis
communicant: adiciscuntque sibi non modo de familiari-
bus delectos, sed & si quos alios animo intrepido, mortis-
que contemptores sciebant esse. Quæ causa fuit, vt Cicero-
nem, qui fidei beneuolentiæque causa primas apud eos te-
nebat, institutum suum celarent: ne is, qui timiditati sibi
innatæ per ætatem iam senilem etiam in cauendo accura-
tionem adiunxerat, singulorum rationes vt quam tutissi-
ma essent subducendo, vigorem ipsorum conatus, celeri-
tatem desiderantis, debilitaret. Sic de amicis suis Brutus Sta-
tilium quoque Epicureum, & Fauonium Catonis sectato-
rem præteriit: quod cum per ambages inter commentan-
dum de rebus philosophicis de ea re animos eorum tentas-
set, Fauonius iniusto vnius principatu bellum intestinum
peius esse, Statilius sapientis non esse propter malos & stul-
tos in periculum se & turbas dare responderat. Labeo tum
interfuerat, & contra vtrumque dixerat: huic postea, cum
se quæstionem pro difficili & perplexa habere simulans tũc
obticuisset, consilium suum Brutus detexit, promptumque
in coeunda facinoris societate eum habuit. Visum deinde
Brutum etiam Albinum adiungere, virum neque strenuum
sane neque audacem, sed gladiatorum manu, quos ad ex-

*Socii conspirationis*

hibendos

hibendos Romanis ludos alebat munitũ, & cui fidem Cæsar haberet. Is Cassio ac Labeoni rem aperientibus, cum nihil respondisset, cum Bruto seorsim collocutus, vt hunc ducem facinoris fore audiuit, promptam suam operam detulit. Reliquorum etiam plurimos & præstantissimos Bruti autoritas ad eam conspirationem illexit. Tanta autem fide & taciturnitate rem penes se illi omnes continuerunt atq; occultarunt, quanquam neq; iuramento se mutuo, neq; data acceptaq; cum sacrorũ obtestatione fide obstrinxissent: vt quanquam auguriis, ostentis, hostiarumq; prodigiis diuinitus eorum institutum indicaretur, fidem tamen nemo habuerit. Enimuero Brutus, vt qui ciuium magnitudine animi, nobilitate, ac virtute primis ducem se & autorem facinoris præbuisset, periculumque animo totum cerneret, foris conatus animi sui curas dissimulare, atque pacata & tranquilla omnia præ se ferre, domi & noctu alius erat: cũ modo inuito somnum solicitudinib. excutientibus, modo altioribus defixo eo cogitationibus, diutiusque immorante vxorem vna cubantem non falleret plenum eum insolitæ perturbationis esse, & voluere secum graue aliquod perplexumq; consilium. Erat ea Portia, filia (vt diximus) Catonis, qui Bruti fuit auunculus: quam ille non virginem duxerat, sed viduam ætate integra, quæ ex priore marito filiolum habebat Bibulum nomine, cuius extat de dictis & factis Bruti exiguus libellus. Hæc, vt erat sapientiæ iuxta atque viri studiosa, magnoque & prudenti animo prædita, non aggressa prius arcanum mariti exspicari, quam se ipsam explorasset, scalpello, quo vngues solet præcidere tonsor, arrepto, omnibus pedissequis cubili eiectis, vulnus femori profundum inflixit, ita vt sanguinis multum profluxerit, ipsamque paulo post acres dolores, horroresque febriles corriperent. Bruto anxio, & ægre casum istum ferente, ita eum cum maxime vigeret dolor allocuta est: Ego « Brute Catonis filia tibi nuptum tradita sum, non vt pelli- « cis in morem lecti tantum & mensæ, sed cum bonorum, tũ « aduersorum omnium tecum essem particeps. Quod ad te « attinet, plane reprehendi in hoc nostro coniugio nihil po- « test. Ego autem qua re meum tibi animum demonstrabo, « quamve referam gratiam, si non in occulta perturbatio- « ne, & solicitudine fidelitatem requirente perferenda so- «

*Portiæ fortitudo.*

ciam me tibi addidero? Non sum nescia muliebrem naturam pro imbecilla haberi, & quæ arcano reticendo non sit. Sed profecto Brute facit aliquid ad mores honesta educatio, & bonorum consuetudo. Mihi hoc accessit, quod & Catonis sum filia, & vxor Bruti: quibus cum antea minus fiderem, nunc insuperabilem me etiam à dolore esse cognoui. Hæc locuta, vulnus viro ostendit, & factum virtutis periculum narrat. At Brutus attonitus, manus intendens Deos comprecatus est, darent sibi, vt re præclare gesta dignus esse Porcia vir demonstraretur: tum mulierem refecit. Indicto Senatu cum certo existimaretur ei Cæsar interfuturus, statuerunt rem aggredi: quippe & se tunc nemine quicquam suspicante frequentes ibi futuros, & habituros in promptu primos optimosque viros, qui tanta re confecta statim libertatis defensionem essent susceturi. Locus quoque omen ipsis prosperum videbatur habere. Erat enim Senatus indictus ad Idus Martij in porticum vnam earum, quæ theatrum ambiunt, exedram habens, & in ea imaginem Pompeij à populo positam, cum is porticibus & theatro locum istum exornasset: ita vt numen quoddam Cæsarem videatur ad dandas Pompeio pœnas adduxisse. Ea dies cum appetiisset, Brutus pugionem succinctus, sola vxore rei conscia, progressus est: cæteri ad Cassium congregati, filium eius, qui virilem tunc sumebat togam, in forum deduxerunt. Inde omnes in porticum Pompeij se conferentes, ibi Cæsarem iamiam, vt putabatur, in Senatum venturum expectabant. Hic maxime virorum istorum vacuitatem perturbationum, animique in periculo tanto tranquillitatem admirari potuisset, cui de ipsorum instituto constitisset. Quippe multi ipsorum propter magistratus quos gerebant coacti ius dicere, non modo ociosorum instar placide compellantes & disceptantes audierunt, sed & accurate prudenterque sententias tulerunt, ac responderunt quærentibus. Et cum quidam iudicio parere detrectans ad Cæsarem prouocaret, multusque esset in clamando & obtestando, intuens adstantes Brutus, Me quidem, inquit, Cæsar secundum leges agere neque vetat, neque vetabit. Et vero multa tunc ad perturbandos eos fortuito acciderunt: quorum id primum fuit atque præcipuum, quod Cæsar die iam prouecta moraba-

*Locus & tempus insidiarum.*

*Constantia conspiratorum.*

morabatur, quem ob sacra aduersa & mulier domi detinebat, & prodire aruspices prohibebant. Deinde ad Cascam, vnum ex his qui conspirauerant, accedens quidam, manu apprehensa, Tu quidem, inquit, ô Casca arcanum tuum nos celasti, sed Brutus id omne mihi detexit, consternato ad hæc Casca ridens pergit, Vnde enim ita repente ditatus es vt ædilitatem petere intendas? tantillum abfuit, ne Casca ambiguitate lapsus, arcanum efferret. Ipsos Brutum & Cassium Popilius Lenâs, vir senatorij ordinis, cum solito studiosius salutasset, submissa voce, Precor, inquit, vos feliciter quod statuistis perficere, hortorque ne cunctemini: neque enim tacita res est. Ita locutus præteriit, cùm quidem magnam iniecisset suspicionem, euulgatum esse consilium. Interim domo quidam ad Brutum accurrit, mori vxorem eius nuncians. Porcia enim de euentu grauiter anxia, magnitudinemque solicitudinis non sufferens, ægre se domi continebat, & ad omnem strepitum, clamoremque, earum instar quæ Bacchi agitantur furore exiliens, ex vnoquolibet à foro domum veniente quid ageret Brutus sciscitabatur, aliosque subinde speculatum mittebat. Tandem cùm tempus traheretur, vires corporis non suffecere, sed animo ob anxietatem æstuante collapsæ sunt, ita quidem, vt in cubiculum ire non occupauerit, sed vt cõsederat in medio, stupor eam ingens & exanimatio corripuerit, vnde & color mutatus est, & vox penitus intercluſa. eo viso eiulationem sustulerunt ancillæ, concurrentibusque ad fores vicinis, statim rumor dissipatus est, eam obiisse. verùm eam, cum mox ad se rediisset, ancillæ refocillauerunt. Brutus autem, quanquam erat (vt par est) eo nuncio perturbatus, non deseruit tamen publicum negotium, neque affectus eum ad curam suorum auertit. Iam & Cæsar lectica aduenire nunciabatur, qui ob sacrificia parum læta animo æger, statuerat nihil de rebus magnis decernere, sed valetudinis excusatione vti, & in aliud ea tempus differre. Egresso lecticam Popilius Lænâs (quem paulo antè demonstrauimus Bruto & Cassio prosperum successum eius quod intenderent precatum fuisse) se adiungit, & aliquandiu ad eum verba fecit, stantem ac diligenter animum intendentem. Ergo coniurati (sic enim appellentur sane) vocem eius non percipientes, suspicantes autem

eum indicium insidiarum deferre, conturbatis rationibus mutuo se intueri, vultuq; se inuicem docere, non esse expectandum donec caperentur, sed statim suis ipsorum manibus oppetendum: iamq; & Cassius, & quidam alij capulos sub vestibus arripuerant, & stringebãt pugiones, cum Brutus Lænatem & vultu & gestu non accusare, sed efflagitare aliquid colligens, hilari vultu (nam quod permixti etiam ipsis alieni ab hac conspiratione multi erant, verbis vti non licebat) Cassium confirmauit. ac paulo pòst Lænàs dextram Cæsaris osculatus discessit, satisq; apparuit, sui eum & suorum necessariorum alicuius causa cum Cæsare collocutũ. Postquam in exedram peruenit Senatus, reliqui sellam Cęsaris circumsteterunt, tanquam eum aliqua de re compellaturi: & Cassius fertur ad Pompeij statuam conuersa facie, hunc quasi sentientem ad auxilium vocasse. Trebonius Antonium ante fores colloquio suo detinuit. Cæsari ingredienti Senatus assurrexit, vtque primum assedit, coniurati se ei circumfuderunt, Tullio Cimbro subornato, qui pro fratre suo exule deprecaretur: vniuersique pro eo intercedentes, manus Cæsaris tangebnt, pectusque & caput deosculabantur. Cum initio preces aspernaretur, deinde vt non remittebant, vi assurgeret, Tullius vtraque manu vestem ab humeris deripuit, & primus Casca (stabat enim à tergo) stricto gladio humerum Cæsaris leuiter vulnerat, Cæsare capulum eius arripiente, & Latine exclamante, Sceslerate Casca quid facis? Græco sermone fratris auxilium implorat. Multis iam ferientibus Cæsar, cum in orbem vultum circumferret, & manus eorum exire cuperet, Brutum vbi vidit gladium aduersus se stringere, manum Cascæ quam tenuerat, dimittit, caputque veste inuoluens, ictibus se præbet. At illi confertim irruentes multis gladiis, se ipsos quoque mutuo sauciarunt: vt & Brutus vulnus in manum acceperit, & sanguine omnes sint oppleti. Cæsare ad hunc modum interfecto, Brutus in medium progressus verba facere intendit, senatumque detinere, & dictis confirmare. Verùm senatores metu acti nullo ordine profugiebant, & apud fores mutuo se trudebant, tumultuabanturque nemine insequente aut vrgente. Nam id firmissime ab ipsis erat decretum, neminem quenquam præter Cæsarem necare, sed omnes ad libertatem vocare. Et reliquis

*Cæsar in senatu cæditur.*

quis sane omnibus videbatur cùm consilium totius rei caperent neci Cæsaris Antonius addendus, homo tyrannidis studiosus, & libidinosus, ac qui consuetudine militum diuturna vires sibi parasset, præcipue autem eam ob rem, quod natura elatus magnarumque rerum appetens, insuper & consulatem tunc dignitatem collega Cæsaris acceperat. Solus Brutus ei consilio obstitit, cum iusticiæ innixus, tum spem faciens mutationis: non enim desperabat Antonium, bono hominem ingenio & laudis cupido, Cæsare sublato æmulatione cæterorum ad honestatis curam, libertatisque defensionem traductum iri. Ita à Bruto seruatus Antonius, ista in trepidatione plebeio amictu tectus fugit. Brutus autem & socij ad Capitolium ibant, cruentis manibus strictos gladios ostentantes, ad libertatemque ciues vocabant. Conclamatum initio passim est, discursumque varie, eaque fortuita trepidatio tumultum auxit: vt verò neque cædes alia, neque direptio vel minima subsecuta est, animo recepto & senatores & de plebe multi ad eos in arcem adscenderunt. Multitudine congregata Brutus quæ ad conciliandos populi animos faceret orationem, reique gestæ conuenientem habuit. inde collaudati, & descendere in vrbem iussi populi acclamatione, confirmato animo in forum degressi sunt, reliqui mutuo se comitantes. Brutum autem agmen illustrium virorum cinctum ab arce in forum deduxit, inque rostris constituit. Ad conspectum eius multitudo, quanquam promiscua & ad tumultuandum parata, territa est, euentumque tacita & composita expectauit: cumq; ad verba faciendа prodiret, tranquille omnes audiuerunt. Non fuisse tamen omnibus gratam Cæsaris necem, ostendit multitudo, quæ Cinnam dicere & accusare Cęsarem orsum in iram prolapsa apertam, maledictis incessere cœpit. Itaque percussores Cæsaris rursus in arcem se contulerunt. Ibi Brutus obsidionem metuens, præstantissimos eorum qui vnà arcem conscenderant à se dimisit, indignum existimans eos, qui facinoris participes non fuissent, idem subire periculum. Verùm postridie senatu in ęde Telluris habito, cum Antonius, Plancus, & Cicero de obruendis obliuione iniuriis & concordia redintegranda sententias tulissent, decretum est, non modo impunitatem conspiratoribus

*Tumultus post necem Cæsaris.*

istis

istis dandam, sed & consules de honoribus eis habendis debere referre. atq; hoc facto S.C. discessum est. Antonius filium suum obsidis loco in Capitolium misit: itaq; Brutus cum sociis descenderunt, omnibusq; inter se permixtis cõsalutationes benignæ factæ: Cassium Antonius, Brutum Lepidus, reliquos alij vt quisq; familiaritate erat aut amicitia alteri iunctus, conuiuio exceperunt. Postridie prima luce in senatum conuentum est: ibi Antonio primò omniũ honores decreti, qui initia belli ciuilis sustulissent: laudatus deinde Brutus & socij, iisque assignatæ prouinciæ, Bruto Creta, Cassio Africa, Trebonio Asia, Cimbro Bithynia, D. Bruto Albino Gallia quæ est ad Padum. Secundum hæc de testamento & sepultura Cæsaris proposita quæstione, cùm Antonius recitari testamentum, & funus eius neque obscurum, neque sine ornamentis fieri vellet, ne scilicet populus irritaretur: Cassius magnopere contrà contendit: Brutus autem concessit, idque secundum eius peccatum esse videtur: quippe Antonio parcens, culpatus est quod aduersus suam conspirationem grauem expugnatuque difficilem hostem constituisset: & passus quo modo volebat Antonius Cæsarem sepeliri, totam suam causam perdidit. Primò enim, cum testamento Romanis viritim trecenti sestertij, populoque horti trans Tiberim (quo loco nunc est Fortunæ fanum) legarentur, mirum Cæsaris desiderium, amorque populum incessit. Deinde cadauere in forum allato, Antonius orationem pro more in laudes defuncti recitans, cùm videret multitudinis animos ea motos, ad misericordiam excitandam se conuertit, Cæsarisque cruentatam vestem arripiens explicuit, vulnera, ictuumque multitudinem ostendens. Nihil exinde ordine aut modestè agi vidisses. Illicò pars clamare, necandos esse paricidas, pars ex tabernis (quod antè in funere Clodij tribu. pleb. factum fuerat) subsellia ac mensas auulsas comportare, & ingentem rogum extruere, & cadauer imponere, in medio multorum sacrorum, inuiolatorum ac minime profanorum locorum, deinde rogum incendere. Postquam ignis effulsit, alius aliunde accurrere, torrem semiustum arripere, ita ad ædes percussorum discurrere, & incendium eis intentare. Sed hi maturè se præmunierant, & periculum propulsabant. Cæterùm quidam Cinna vir non postremæ in ciui-

*Bruto & socijs prouincia decreta.*

*Antonius populum concitat.*

tate

tate dignitatis, minime facinoris istius particeps, & qui amicitiam Cæsaris coluerat, in somnis visus sibi erat a Cæsare ad cœnam vocari, cumque detrectaret, eum institisse orando, vimque etiam tentasse, ac tandem manu arreptum se ab eo, & in vastum atque tenebrosum locum abductum: eademque nocte in febriculam incidit. Tamen mane cùm duceretur funus, pudori sibi ducens absentiam, ad populum iam exasperatum prodiit, vtque primùm conspectus est, cùm putaretur non is qui erat Cinna, sed alter ille Cinna qui nuper admodum in concione Cæsarem contumeliosis dictis erat insectatus, a multitudine discerptus est. Hoc post Antonij mutationem facto præsertim timor Bruto iniectus est. Itaq; vrbe egressus, Antij primum commoratus est, rediturus in vrbem, vbi populi ira deferbuisset: id quod facile futurum existimabat multitudine celeri & inconstanti impetu lata, cum & senatum ipse beneuolum haberet, qui valere iussis Cinnæ interfectoribus, eos qui ad coniuratorum domos vim inferendi causa concurrerant, indagabat atque comprehendebat. Iam & populus Antonium propè regnum instituentem molestè ferens, Brutum desiderabat: videbaturque ipse præsens ludos, quos ob præturam debebat, editurus. Sed cum sentiret multos eorum qui sub Cæsare stipendia fecerant, ab eoque erant agris & vrbibus donati, insidias sibi struere & senssim Romam intrare: venire eò non est ausus. Spectauit aũt populus eos ludos, magnificentissime ipso absente apparatos. nam & bestias cum coemisset plurimas, nullam earum relinqui, aut vendi, sed abuti omnibus ad spectacula iussit: & ipse Neapolim profectus, cum plerisque histrionibus locutus est: & de Canutio quodam, qui theatrali arte nobilis erat, ad amicos scripsit, vt persuaderent ipsi, vt operam suam ludis suis nauaret: non enim cõueniebat quenquam Græcum cogi. Ciceronem quoque per literas orauit, vt omnino spectaculis istis interesset. Hoc rerum statu, alia mutatio aduentu iunioris Cæsaris extitit. Is natus erat filia sororis C. Iulij Cæsaris, & ab hoc testamento filius hæresque institutus, quo tempore is occisus est, Apolloniæ literis operam dabat, illum, qui mox in Parthos expeditionem facere decreuerat, ibi operiens: audita patris nece, statim Romam se contulit, Cæsarisque nomine principio studia po-

*Brutus Roma excedit.*

*Cæsar Octauianus.*

dia populi sibi conciliandi vsus, & pecuniam ab eo legatam ciuibus largitus factione sua Antonium superauit, ac pecuniæ diuisione multos eorum qui sub Cæsare militauerant contraxit, sibique adiunxit. Cum autem Cicero ob odium in Antonium partes Cæsaris foueret, acriter eum Brutus per epistolam obiurgat. Non tibi, inquit, dominum ferre » molestum est, sed dominum tibi infestum metuis, tuaque » eò spectant consilia, vt lenem ac clementem seruitutem fe- » ras: huc enim facit, quod scribis & dicis Cæsarem esse bo- » num. At verò maiores nostri ne mites quidem dominos su- » stinuerunt. Mihi in præsentia neque bellum gerere consti- » tutum est certò, neque quiescere: id vnum firmiter decreui, » non seruire. Te autem miror, qui cùm bellum ciuile & pe- » riculosum metuas, turpem & ignominiosam pacem non » times: & pro exturbato tyranni de Antonio id mercedis po- » stulas, vt Cæsar tyrannus constituatur. Huiusmodi in pri- mis suis epistolis fuit Brutus. Iam verò aliis ad Cæsarem, aliis ad Antonium discedentibus, & exercitibus veluti sub præcone præstantibus, atq; ei qui plus dedisset se adiungentibus, desperatis plane rebus Italia excedere statuit, pedestriq; itinere per Lucaniam ad mare Eleam venit. Inde Romam Porcia reuersura cum conaretur occultare dolorem, quem animo ob digressum mariti summum capiebat, victa est contemplatione picturæ cuiusdam, generosa aliàs fortisque mulier. Erat autem picturæ Græcum argumentum, Andromacha Hectorem comitans, puerum ab eo redditũ accipiens, inq; maritum respiciens. Hanc picturam intuenti Porciæ affectuum suorum obiecta effigies lacrymas excussit, interdiuq; sæpe eò accedens plorauit. Acilio autem, qui vnus de amicis Bruti erat, Andromachæ ad Hectorem verba recitanti,

*Tu mihi nunc pater es, mihi mater amabilis Hector:*
*Tu pro fratre mihi es, dulcisq; marite maritus.*

subridens Brutus, At mihi, inquit, non subit Hectoris verbis Porciæ respondere,

*Tu telam cape cum fusis, famulisq; iubeto.*

*Bruti in Græciam res gestæ.*

corporis enim natura in culpa est, cur non æqualia nostris facinora edat, animo pro patria non minorem nobis laudem meretur. Hæc Porciæ filius Bibulus scripsit. Inde Brutus Athenas nauigauit, receptusque à populo benigne & hono-

honoribus decretis laudibusque ornatus : apud hospitem quendam degens, Theomnestum Academicum, & Cratippum Peripateticum audiuit, cumque iis de philosophia disputans, videbatur omnino rebus omissis ocio deditus. Interim verò nemine suspicãte bellum parabat, misso in Macedoniam Herostrato, eius opera animos eorum qui copiis ibi præerant sibi concilians: iuuenes quoq; Athenas Roma studiorum causa profectos sibi coniunxit. inter hos etiam Ciceronis erat filius, quem maximis tollit laudibus, & ait se eum siue vigilaret, siue dormiret, mirari ita generosum & tyrannis infensum. Cùm iam aperte rem aggrederetur Brutus, audito naues Romanas pecunia onustas ex Asia aduentare, prœesseq; eis Romanum sibi notum atq; egregium hominem, apud Carystum ei occurrit, collocutusq; ei persuasit, vt sibi eas naues traderet. Ibi cum instituisset splendidius solito conuiuium, quod natalem tum suum celebraret, reliquis inter pocula iam libantibus, & victoriam Bruto, Romanis libertatem vouentibus: vt animos eorum confirmatiores redderet, maius poculum popposcit, eoq; accepto, temere, neque vlla ductus occasione versum hunc alta voce retulit,

*Sed me Latoides fatumq; immite peremit.*

Quin & hoc addunt narrationi, postremo ad Philippos 16
prœlio Brutum militibus pro tessera Apollinem dedisse, indeq; colligunt eam vocem futuræ cladis omen fuisse. Porrò autem Antistius vicies sestertiũm ei dedit de ea pecunia, quam ipse in Italiam vehebat. Quæ in Thessalia reliquæ 17
Pompeianarum copiarum vagabantur, cupide ad Brutum confluxerunt. Cinnæ etiam equites quingentos, quos in Asiam Dolabellæ adducebat, abstulit. Mari Demetriadem aduectus, magna armorum copia, quæ prioris Cæsaris iussu ad Parthicum erant parata bellum, & tunc ad Antonium vehebantur, potitus est. Cùm ab Hortensio Macedoniam accepisset, seque ipsi vicini circùm reges coniungerent, annunciatur C. Antonium, Marci fratrem ex Italia traiecisse, & recta ire ad copias, quas Dyrrhachij & Apolloniæ Gabinius continebat. Itaque vt huic anteuerteret, & copias occuparet ipse, subitò cum suis eò contendit, itinere difficili, niualiq; tempestate: & cum longe præueniret eos qui ipsi prandium portabant, prope Dyrrhachium

*Bruti bellicus apparatus.*

obde-

*Bulimia.* ob defatigationem & frigus in bulimiam incidit. Id malũ accidere tam hominibus quam iumentis solet potissimum cum ningit: siue quod ob circumstans frigus & obthurationem cutis calor intrò omnis concluſus, confertim alimentum omne consumit: siue quod acris & tenuis niuis dissolutæ halitus corpus penetrat, caloremq; forâs dissipatum perdit. nã & sudor comes eius mali inde videtur nasci, q̃ calor in superficie ab occurrente frigore extinguitur. qua de re alio loco disputatum est latius. Cùm animus Brutum deficeret, neque esset quicquam edulij in castris, coacti sunt milites ipsius ad hostes confugere, & ad portas aggressi, custodes panem popoſcerunt. Hi casu Bruti audito ipsi ad eum accurrerunt, cibum potumq; adferentes. Pro quo officio Brutus vrbe recepta, non ipsis modo, sed & reliquis omnibus clementem se præbuit. C. autem Antonius Apolloniam cùm applicuisset, vicinos milites ad se conuocauit: quos vt ad Brutum se conferre, & Apolloniatas etiam partes huius præferre sensit, relicta Apollonia Buthrotum proficiſci instituit. Primum in eo itinere tres cohortes amisit à Bruto concisas. Deinde loca circa Bullidem ab hostibus occupata vi obtinere conatus, commisso cum Cicerone (eo enim legato vtebatur Brutus, ac plurima eius opera confecit) prœlio victus est. Tandem Brutus eum paluſtribus in locis dissipato agmine hærentem deprehendit: neque passus est suos impetum facere, sed obequitans parcere iussit hominibus paulo pòst suis futuris. neq; id eum fefellit: nam & se & ducem illi Bruto dediderunt. Magnas iam Brutus habebat copias. C. autem Antonium diu secum honorifice habuit: ita vt magistratus etiam insignia ei non adimeret: quanquam, vt aiunt, cùm alij multi, tum Cicero scribens Roma ad necandum hortarentur: incipientem verò occulta cum ducibus colloquia agitare, & nouas res moliri, naui impositum in custodia habuit. Cùm ab eo corrupti milites Apolloniam seceſſiſſent, eoque ipsum vocarent, Non hoc moris esse Romani respondit: ipsos ad ducem venire, iramque ob delictum conceptam debere deprecari. venientibus & veniam petentibus ignouit. Iam in Asiam transituro nuncius de mutatione rerum Romæ facta allatus est. Nam & Cæsar Octauianus à Senatu aduersus Antonium armatus, eo Italia eiecto terrori ciuibus erat, cõsulatum

tum contra leges postulans, magnosq; exercitus nulla publica exigente necessitate alens. quæ cùm videret senatui molesta, eumq; ad Brutum respicere, prouinciasq; huic decernere, decretasque confirmare: metuens sibi ad Antonium misit, eúmque ad iungendam amicitiam inuitauit: & ipse exercitus vrbi circumdans, consulatum iniit, non planè adolescens, sed vigesimum agens annum, vt ipse in commentariis scribit. Statim autem iudicium de cæde aduersus Brutum & socios constituit, quòd ii principem virum, & summos gerentem magistratus, indicta causa necassent. accusator Bruti L. Cornificius, Cassii M. Agrippa delectus, damnatiq; sunt absentes, coactis ferre sententias iudicibus. Sanè ferunt præcone, vt in more positum fuit, de tribunali Brutum ad dicendam causam vocante, palàm ingemuisse populum, optimos quosque tacitos oculos in terram deiecisse, & P. Silicium lacrymantem conspectum, eamque ob causam paulo pòst inter proscriptos nomen eius fuisse. Nã statim hi tres, Cæsar, Antonius, & Lepidus cõposita societate prouincias inter se distribuerũt, ducentosq; viros proscripserũt trucidando: inter quos & Cicero fuit. His in Macedoniam allatis nũciis impulsus Brutus, Hortẽsio C. Antonii necandi negocium missa epistola iniungit, D. Brutum & Ciceronem vlciscens, cognatum alterum, alterum amicum. Propter hoc posteà Antonius Hortensium apud Philippos captum ad tumulum fratris sui iugulauit. Brutus magis sibi causam mortis Ciceronis pudorem, quàm mortem dolorem attulisse ait: culpatque amicos suos Romæ agentes, quòd eorum causa magis quàm tyrannorum respublica seruiat, qui præsentes ea videre sustineant, quæ ne audire quidem deberent. Traiectis in Asiam copiis iam satis amplis, classem in Bithynia & apud Cyzicum parans, ipse terrestri itinere circum vrbes profectus, eas constituit, & cum principibus regulisque colloquitur. tum ad Cassium in Syriam scribit, Debere eum ab Ægypto abstinere, ac ad se venire: non enim debere ipsos principatus obtinendi causa vagari, sed copias in vnum conducere ad liberandam tyrannide patriam, ciusque memores & tenaces propositi haud procul ab Italia abesse, sed eò ad ferendam ciuibus opem contendere. Obtemperauit Cassius, & apud Smyrnam Bruto occurrit: isque primus fuit eorum

*Octauiano cõsulatus.*

*Triumuiratus.*

*Res Bruti in Asia gestæ.*

*Cassium se iungit.*

congressus ex quo in Piræeo digressi alter Syriam, alter Macedoniam petiit. Magnam autem vtrique alterius copiæ voluptatem attulerunt, atque fiduciam. Quippe ex Italia ita profecti, vt nihil eorum conditio quàm abiectissimi cuiusque exulis esset præstantior, pecunia & armis destituti, & ne vniremem quidem nauim habentes vllam, neque militem neq; vrbem, non longo exacto tempore conuenerunt nauibus, peditatu, equitibus, & pecunia instructi, vt satis virium ad decertandum pro Romano imperio haberent. Statuerat quidem Cassius potestatem & honorem cum Bruto æquali ratione communicare: sed præuenit eum Brutus, crebrò ad ipsum commeans, vt ætate priorem, & corpore iam minus ad labores ferendos apto. Ea autem hominum de Cassio erat opinio, virum esse bello egregium, cæterùm iracundum, & qui metu magis quàm amore sui subditos regeret, apud familiares suauior aliquantum & iocosior. Brutum autem ob virtutem à multitudine dilectum, ab amicis amatum, ab optimis in admiratione habitum & ne hostibus quidem inuisum fuisse perhibent: quòd in eo insignis mansuetudo, animi magnitudo, & ab ira, voluptatibus, cupiditatibusq; esset vacuitas, inq; recta & immobili de honesto & iustitia persisteret sententia. Maximam autem beneuolentiam & gloriam parauit voluntatis propositique fides. Non enim spes fuerat Magnum illum Pompeium, si Cæsarem deuicisset, legibus potentiam suam certò submissurum fuisse, sed semper res in sua manu retenturum, nomine consulatus aut dictaturæ aut alterius tolerabilioris magistratus populũ demulcentem. Cassium quoque vehemẽtis hominem & iracundi ingenii, & qui sæpe ob lucrum à iusticia exorbitaret, omnino existimabant vagari ac bellĩgerare non vt ciuibus libertatem, sed vt sibi potentiam pararet. Nam qui his antiquiores sunt Cinnæ, Marii, & Carbones, ij quasi præmium & prædam patriam sibi propositam habuerunt, neque planè de tyrannide pugnarunt. De Bruto ne hostes quidem ferũt tale quicquam sensisse: multosque audiuisse ex Antonio, Existimare se solum Brutum splendore facinoris & honestatis opinione adductum ad insidias Cæsari faciendas, reliquos odio & inuidia impulsos cõspirasse. Et apparet Brutum non tam viribus suis quàm virtute fretum fuisse, ex

*Brutus institutũ & Cassij.*

his

his quæ ipse scripsit Attico enim scribens, cùm iam periculo appropinquaret, optimo loco res suas esse ait. aut enim se victoria sua rempublicam liberaturum, aut morte seruitutem euitaturum: reliquisque omnibus in tuto & certo collocatis, vnum id non constare, victurine sint liberi, an morituri M. etiam Antonium ait dignas væcordiæ pœnas dare, qui cùm posset inter Brutos, Cassios, & Catones numerari, Octauio se adiunxerit, cum quo si in præsentia non vincatur, paulo pòst sit pugnaturus aduersus eum. Atque hîc præclarè de futuro diuinasse Brutus videtur. Smyrnæ tum postulauit à Cassio, vt is secum pecunias, quas multas collegerat, communicaret: suas enim se consumpsisse fabricanda ea classe, qua obtinere totum mediterraneum mare possent. Cassium autem nolebant amici dare, iniustum dicentes, quæ nō sine inuidia corrasisset, & parcè conseruaret, ea Brutum accipere, militumque gratiam iis diuidendis consectari. trientem tamen Cassius vniuersæ pecuniæ Bruto dedit. Rursum inde digressi ad negocia certa exequenda, Cassius Rhodum cepit, inhumaniterque & inique se gessit, quanquam primo suo ingressu, iis à quibus rex & dominus salutabatur, dixisset, Neq; regem se neque dominum, sed regis dominiq; occisorem & persecutorem esse. Brutus à Lyciis pecuniā & milites popoſcit. Sed cum Naucrates orator vrbes ad defectionem traxisset, Lyciiq; tumulos quosdam ad prohibendum transitu Brutum occupassent: primùm equites prandentibus immisit, à quibus sexcenti interfecti sunt. Deinde oppida & pagos recipiens, sine mercede redemptionis omnes dimisit, sperans se benignitate populum sibi deuincturum. Sed ij erāt pertinaces, & acceptorum damnorum causa irascebantur, humanitatem verò eius contemnebant. Tandem pugnacissimos eorum in vrbem Xanthum compulit Brutus, & in obsidione habuit. Hi cùm amnem qui mœnia alluit, sub aqua trananantes effugere tentarent, capiebantur proditi tintinnabulis, quæ retibus appensa in profundū aluei demissis erant, retibusq; implicitum sono statim indicabant. Nocte quadam Xanthii eruptione facta, machinis Romanorum ignem iniecerunt: neque fefellerunt Romanos, sed ab iis intra muros repulsi sunt. Hic cum vehemens ventus flammam ad propugnacula propelleret, eóque vicinas iam ædes apprehenderet,

*Lycij subacti.*

*Xanthiorum exitium.*

henderet, vrbi ab incēdio metuens Brutus, ſubuenire ſuos & reſtinguere iuſſit. At Lycios dirus quidam ad perniciem impetus, inſaniaque ineffabilis ſubitò egit: quam amori potiſſimùm mortis cōparauerimus. Vniuerſi enim omnis conditionis, ſexus, ætatisque homines Romanos incendio opitulantes de muro telis impetentes, ipſi calamos, ligna, & omne fomitis genus aggeſſerunt, ignem eo in vrbem adducentes, materiam ei affatim porrigendo, omnique modo & opera excitando atque alendo. Vt flamma paſſim diſſipata vrbem vndiq; cinxit, & copioſiſſima effulſit, grauiſſimo ictus dolore Brutus circum mœnia obequitauit, auxilium vrbi ferre cupiens, manibusque ad Xanthios intentis precans vt patriæ parcerent, eamque ſaluam eſſe paterentur. Neque ei quiſquam animum aduertebat, ſed quocunque modo vniuerſi necem ſibi conſciſcebant: non viri modò & mulieres, ſed etiam parui pueri cum clamore & fremitu vel in ignem ſeſe coniiciebant, vel de muris præcipitabant, vel nuda iugula parentum gladiis ſubiiciebant, & ad cædendum hortabantur. Vrbe conflagrata mulier conſpecta eſt collo ſuſpenſa, ceruice tenens mortuum puerulum, & ardenti face ignem domui inferens, quod ſpectaculum viſum eſt ſanè tragicum, neq; ſuſtinuit intueri Brutus, ſed ad nuncium eius fleuit, præmiumque militibus edixit, quicunque Lycium aliquem ſeruaſſent. Ferunt CL. modò inuentos, qui ſe ſaluti non eripuerint. Ita Xanthii longo temporis circuitu veluti fatalem exitii orbem voluentes, temeritate ſua maiorum ſuorum fortunam renouarunt: qui & ipſi bello Medico vrbe incenſa necem ſibi adſciuerant. Porrò Brutus Patara videns pertinaciter ſibi reſiſtere, oppugnare tamen non audebat, anxiusque animi erat, metuens ne ad eandem incolæ rabiem conuerterentur: mulieres eorum cùm cepiſſet, nullo accepto precio dimiſit. atque hæ maritis & parentibus ſuis, viris primariis, Bruti inſignem iuſtitiam temperantiamq; laudantes, perſuaſerunt vti deditionem facerent. Id eorum factum cæteræ etiam Lyciorum vrbes imitatæ, fidei Bruti ſe crediderunt. Ita autem præter ſpem ipſorum æquum humanumque ſe eis præbuit, vt cùm Caſſius eodem tempore coegiſſet Rhodios priuatim omne aurum & argentum ſibi tradere, vnde ad octo millia talentorum confectum eſt,

publicè

publicè autem ciuitatem quingenis talentis mulctasset: ipse exactis à Lyciis centum & quinquaginta talentis, neque vllo præterea damno dato, ex Ionia recesserit. Idem meritos vel pœna vel honore afficiendo multa memoratu digna facinora edidit. de quibus id referam quo & ipse maximè delectatus est, & Romanorum præstantissimi. Cùm Pompeius Magnus Cæsarem fractis rebus fugiens ad Pelusium Ægypti venisset, regis pueri etiamnum tutores de eo cum amicis consultantes, variabant sententiis, quòd nonnulli recipiendum, nonnulli repellendum censerent. Ibi Theodotus quidam Chius, qui mercede conductus regem Rhetoricam docebat, tum verò penuria meliorum in consilium adscitus erat, vtranque sententiam vitiosam esse pronunciauit, idque in præsentia esse consultissimum, vt receptus necaretur: addiditque in fine suæ orationis, Mortuum non mordere. quam sententiam cùm probasset senatus, exemplum rerum incredibilium inopinatarúmque iacuit Pompeius Magnus, Rhetorica & facundia Theodoti confectus, sicut ipse rhetor sese iactans dicebat. Paulo pòst superuenit Cæsar, sontesque necis Pompeianæ, ita vt digni erant, exitio pœnas dare coegit: Theodotus à fortuna vsuram tẽporis mutuatus, quo abiectam miseramque degens vitam vagaretur, Brutum tunc Asiam peragrantem non fefellit, sed ad eum adductus & supplicio affectus, mortem est vita sua nobiliorem adeptus. Cassium Brutus ad se Sardes acciuit, venientique est cum amicis obuiam profectus: & ambo sunt ab vniuerso exercitu armato imperatores salutati. Quod autem vsu venire in tantis rebus, tantáque amicorum & legatorum varietate solet, offensę inter ipsos, & mutua crimina extiterant. Itaq; priusquam aliud quicquam agerent, soli ipsi in conclaue statim ex itinere conuenerunt, remotisque arbitris & foribus occlusis, primùm reprehendere, deinde arguere & accusare mutuò cœperunt, pòst ad lacrymas etiam & liberos sermones magnis animi motibus prouecti sunt, ita vt amici asperitatem iræ & contentionum mirati vererentur ne quid incommodi inde nasceretur, adire tamen, quòd interdictum erat, non auderent. Cæterùm M. Fauonius imitator Catonis, & non ratione magis, quàm impetu quodam & furore philosophans, intrò ad eos irrupit, frustra prohi-

*Theodoti Chij supplicium.*

*Bruti cum Cassio in gratiam reditus.*

bentibus famulis. difficile enim erat Fauonium, quocunque se concitasset, inhibere, hominem vehementem semper, & præcipitem, qui pro nihilo putabat se Romanum esse senatorem, sed Cynica licentia sæpenumerò molestiam, quam sua importunitate exhiberet, adimebat, ioco exceptus. Igitur tum vi per adstantes ad ostium se cùm propulisset, intrauit, compositaq; ad id voce versus recitans quibus Nestorem vsum Homerus finxit: de quibus hic est,

*Vos mihi nunc ambo natu parete minores.*

Risum hoc Cassio mouit: Brutus autem Fauonium cubiculo expulit, verum canem, falsumq; cynicum nominans. Discordiarum tamen finis tunc factus, reditumq; à Bruto & Cassio statim in gratiam. Tum Cassio cœnam præbente inuitauit ad cõuiuium amicos Brutus. Cùm iam accubuissent, venit & Fauonius lotus, Brutoq; eum non vocatum adesse testante, & ad summum lectum abire iubente, vi se in medium contulit: estq; id conuiuium festiuitate non ineleganti, neq; Philosophię experte exactum. Postridie Brutus L. Pellã prætoriũ virũ, & cui ipse multũ tribuerat, Sardẽsibus accusantib. repetũdarũ publicè cõdemnauit, ignominiaq; notauit. Quę res Cassio nõ leuem attulit molestiã, qui duos amicos paucis antè diebus eiusdẽ criminis reos verbis priuatim castigatos dimiserat apertè, vtebaturq; in posterum. Itaque Brutum incusabat, quòd eo tempore, quod ciuilitatem quandam & humanitatem requireret, nimis iustus, legumque obseruans esset. Contrà Brutus recordari eum Martias Idus iubebat, quo die Cæsarem ne cassent, non ipsum bona omnia diripientem, sed vires & licentiam vexandorum hominum aliis suppeditantem. etenim (aiebat) si quis esset honestus prætextus negligendæ iustitiæ, rectius fuisset pati Cæsaris amicos quã nostros injuriã hominib. inferre: illis enim abiecti animi infamia fuisset extitura, nobis inter pericula & labores iniustitiæ crimẽ impingeretur. Hoc erat propositum, hæc voluntas & consilia Bruti. Ex Asia autem in Europam transituro, ostentum graue oblatum fertur. Fuit Brutus natura vigilans, sommumq; exercitatione & temperantia intra breue temporis spacium constrinxerat, ita vt interdiu nunquam dormiret, noctu tantum id temporis, quo reliquis omnibus dormientibus nihil vel agere vel cum alio colloqui posset:

actum

actum bello commisso præ manibus habens vniuersæ rei administrationem, cogitationibus in euentum intentis, vbi primùm post cœnam aliquantulum dormisset, reliqua noctis parte ad negocia incumbentia expedienda vtebatur: quod si ea citiùs confecisset, librum aliquem legebat ad tertiam vsque vigiliam, qua ad eum commeare tribuni militum & centuriones solebant. Cùm ergo esset in Europam transportaturus copias, concubia iam nocte, cùm in tentorio eius lumen esset haud sanè clarum, & totis castris quies silentium q̃ esset, animo secum quippiam deliberans atque reputans, visus est sibi quendam audire ad se intrantem, respiciens q̃; ad ostium, terribilem conspexit & monstrosam inusitatæ staturæ corporis atque metuendæ imaginem, tacitè sibi adstantis: ausus tamen percontari, Quisnã, ait, hominũ deorúmve, aut cuius rei causa ad nos venis? respondit ei imago, Tuus sum ó Brute malus genius, apud Philippos me videbis. tum ille nihil territus, Videbo, inquit. Cùm id spectrum euanuisset, famulos vocauit, qui neque vidisse quicquam se, neque vllam vocem audiisse responderunt. Noctem eam insomnem Brutus exegit, summo manè ad Cassium se contulit, eique visum illud suum exposuit. Tum Cassius, vt qui ab Epicuri esset secta, & de huiusmodi rebus consueuisset aduersus Brutum disputare, Nos, inquit, ita existimamus Brute, non affici nos, re- « uera semper iis, aut videre ea, quibus affici nos, aut quæ « cernere nobis videmur. Nam & sensus mobiles sunt, ac fa- « cilè decipiuntur: & mens multo celeriùs ipsa seipsam nulla « impellẽte causa concitat, & quasuis species concipit. quip- « pe hæc imaginum informatio ceræ quandam habet simili- « tudinem, & animo hominis, in quo & effingendi, & effigies « recipiendi est vis, id quoq; suapte natura adest, vt quàm fa- « cilimè varietidem atq; formet. Demõstrant hoc insomnio- « rum tam variæ vices, quibus vis imaginandi ex leui initio « ita cõuertitur, vt omnes generis visa & affectiones existãt. « Etenim animi natura ea est, semper vt moueatur: motio au- « tem illa, imago aliqua aut intellectio est. Porro tibi corpus « natura afflictum animum exagitat, atque minus sui com- « potem reddit. Neque verò probabile est genios vel esse, vel « hominum formam habere, vocemve aut vim quandam ad « nos pertinentem. Omnino autem velim nos, non armo- «

*Oßentum Bruto fa-tum.*

„ rum modò, equorum, nauiumq; tantis copiis, sed & Deo-
„ rum ductu fretos esse atque confidere, qui sanctissimi, at-
„ que pulcerrimi facinoris autores ducesque sumus. Hoc
sermone Cassius Brutum demulsit. Cùm in terram ex na-
uibus egrederetur exercitus, in duo quæ prima omnium
ferebantur signa duæ deuolauerũt aquilæ, & ad Philippos
vsque à militibus portatæ vnà atque alitæ sunt: inde ea die
quæ prœlium anteiuit auolarunt. Cæterùm pleroſque po-
pulos, qui circum ea loca habitant, Brutus iam antè sube-
gerat: si qua tamen ciuitas, si quis regulus ab eo fuerat prę-
teritus, tunc omnes in ditionem Cassii & Bruti peruene-
runt, vsque ad mare quod Thasum insulam continet. Ibi
Norbanum faucibus, quas in angustiis (quæ Stena dicun-
22 tur) apud Symbolum castris occupauerat, vsi circuitio-
ne eiecerunt: ac nisi Antonius mirabili vsus, ipsique Bru-
to incredibili celeritate subuenisset, copias quoque Nor-
bani suam in potestatem redegissent, relictas à Cæsa-
re inualetudine detento. Decem pòst diebus Cæsar ve-
23 nit, castráque oppositа sunt inuicem, ita vt Brutus
contra Cæsarem, Cassius contra Antonium collocare-
tur. castra hostium in medio siti Philippici campi dirime-
bant. Maximi eo tempore Romani exercitus collati sunt:
& quanquam haud paulò minores Bruti essent quàm Cæ-
saris copiæ, ornamentis tamen armorum mirum in mo-
dum erant splendidæ, quæ pleraque aurea, aut argento
abunde impenso constabant. Et verò Brutus duces alio-
„ quin ad moderatam frugalemq; adsuefecerat vitæ ratio-
nem: sed diuitias in corporis & armorum ornamẽtum col-
latas existimabat laudis cupidis nonnihil addere animorũ,
& auaris quoque fortitudinem augere, qui arma veluti o-
pes suas tenerent. Cæsar & Antonius lustrato in castris ex-
ercitu, paululum frumenti & quinque denarios viritim ad
sacrificium peragendum diuiserunt. Brutus autem & Cas-
sius eorum vel egestatem vel illiberalitatẽ damnantes, pri-
mùm sub dio vt moris est, exercitum lustrauerunt, deinde
cẽturiatim certo hostiarũ numero, & viritim quinquagenis
denariis distributis, maiorẽ militum fauorem alacritatémque parauerunt. Ostentum tamen Cassio in lustratione in-
*Ostenta.* faustum perhibent factum: nimirum ei coronam inuer-
sam à lictore porrectam. Prius quoq; in quodã spectaculo

& pompa

& pompa ferunt eum qui Cassij aureum trophæum ferret, corruisse. Porrò & aues multæ carniuoræ interdiu super castra conspectæ, & examina apum ad locum quendam intra castra conuenerunt: eum locum aruspices exterminauerunt, suspicionem amolientes, quæ militum animos planè occupauerat, & ipsum iam Cassium ab Epicuri decretis ad se paulatim subducebat. Itaq; ergo in præsentia prœlio decernere non admodum cogitabat, trahendumque bellum suadebat, quòd pecunia satis instructi, armorum & militum numero hostibus non essent pares. At Brutus, qui iam antè statuerat quàm celerrimè pugna decertare, & vel patriæ libertatē recuperare, vel homines qui sumtibus, militia, laboribusq; vexarentur continentibus, malorum istorum semel mole exonerare: tunc eo elatiori erat animo, quòd equites sui in leuibus prœlijs & pugnæ præludionbus prosperè rem gererent, victoresque discederent. Iam & transitiones nonnullorum ad hostes, & calumniæ suspicionesque de alijs efficiebant, vt in consilio multi amicorum ad Brutum inclinarent. Vnus de Bruti amicis Atellius refragabatur, hyemem expectandam dicens. Brutoque interroganti, cur melius post annũ rem gestum iri putaret, Si nihil, aiebat, aliud « est commodi, vtique id tempus tamen diutius vixero. Hoc « & Cassius indignè tulit, & non mediocriter cæteri offensi sunt. Decretum est vt postridie pugnaretur. Et Brutus quidem bona spe cogitationibusq; philosophicis cœnam exigens, inde quieti se dedit. Cassium verò Messala ait seorsim cœnasse vocatis ad se paucis familiarium, conspectumque cogitabundum ac tacitum, cùm quidem nõ ita natura eius ferret: peracta cœna manum suam validè comprehendisse, & ad se Græco sermone, vti amicè colloquens solebat, in hæc verba locutum, Te Messala testor, me itidē vt Pompeio « Magno accidit, inuitum coactumque res patriæ in vnius « pugnæ discrimen adducere. bono tamen animo sum fortu- « nam respiciens, cui, etiamsi mala consilia sequamur, diffi- « dere non est iustum. Hæc eum vltimò secum locutum Mes- « sala ait, indeque salutasse: fuisse etiam Cassium à se in crastinum vocatum ad cœnam, quæ dies sibi natalis esset. Primaluce in Bruti & Cassij castris, punicea toga, signum pugnæ proposita est. ipsi in medium castrorum conuenerunt. Ibi Cassius: Vtinam verò Brute vincamus, semperq; re præclarè

*Cassij & Bruti col-loquium.*

clarè gesta vnà simus. Sed quoniam maximæ res hominum incertissimæ sunt, & pugna secus quàm vellemus succedente haud facile iterum nos inter nos visuri sumus, quid tibi
„ de fuga & morte est sententiæ? Respondit Brutus, Iuuenis
„ ego Cassi etiamnum, rerumque imperitus, nescio qua du-
„ ctus philosophica ratione magnopere damnaui Catonem,
„ quòd is sibi necem conscisuisset: ratus eum & nefarium,
„ neque virile perpetrasse facinus, quod succubuisset fortu-
„ næ, neque id quod acciderat constanter tulisset, sed statio-
„ nem deseruisset. Nunc fortuna sententiam meam vt mutarem effecit: & si institutum nostrum Deus non secundet, non existimo nouas mihi spes experiendas, bellumve reparandum, sed moriar fortuna collaudata propter Idus Martias, quibus patriæ vitam meam impendi, sed quam propter eum vixi liberam gloriosamque. Ad hæc subridens Cassius, Brutum amplexus est, & Hoc, inquit, animo in hostem eamus: aut enim vincemus, aut à victore nobis non metuemus. Inde de instruenda acie præsentibus amicis collocuti sunt: & Brutus à Cassio petijt, vt dextrum cornu sibi ducere liceret, cui propter ætatem & peritiam Cassius potiùs præesse debere videbatur, tamen & hoc Cassius concessit, & Messalam qui exercitus pugnacissimam partem ducebat, eodem collocauit. Brutus statim equitatum eduxit splendide ornatum: neq; segniùs pedites subsecuti sunt. Fortè tum Antonius à paludibus, ad quas castra habebat, fossas in campum ducebat, Cassiumque itineribus ad mare intercludebat: Cæsaris copiæ (ipse enim propter inualetudinem aberat) præsidij loco stationes agebant, non admodum pugnam ab hoste expectantes, sed excursiones tantùm facturum eum, iaculisq; eminus leuibus & tumultibus fossores intertui baturum putantes. Interim tabellas Bruto ducibus dimittente, in quibus scripta erat tessera, ipsoq; aciem equo circumuehente, & milites dictis confirmante, pauci tantisper se continuerunt, dum tesseram ipsis tradi audirent: pleriq; vno impetu & magna cum conclamatione in hostem irruerunt. Hic incursus cùm nullo fieret ordine, secuta est confusio, diuulsioq; ordinum: & Messalæ primùm legio, tum proximæ ijs præterito Cæsaris læuo cornu, cũ leuiter extremas partes attigissent, paucosque deiecissent, circumducto suo cornu castra Cæsaris adorti sunt. Et ipse quidem

*Pugna apud Philippos.*

quidem Cæsar (vt in eius commentarijs scriptum est) monitus amici cuiusdam sui M. Ardorij insomnio, quod eum castris excedere iubebat, paulo antè inde euectus erat: videbaturque perijsse, eo quòd hostes lecticam eius vacuam pilis iaculisque confoderant. Qui autem in castris capti sunt, trucidabantur: inter quos duo Lacedæmoniorum millia, quæ nuper auxilio venerant, concisa sunt. Sed qui exercitum Cæsaris nõ circumuenerant, sed in eum impressionem fecerant, ij facilè perturbatos fuderunt, tribusque legionibus interfectis cum fugientibus eodem impetu victoriæ in castra irruerunt, atque inter hos erat Brutus. Quod autem non animaduerterant victores, id victis ostendit occasio. Quà enim abruptũ erat dextrum acies latus, & ad insequendum victos se dederat, eá in nudos hostes dato impetu cùm mediam aciem non pellerent, sed acri certamine detinerentur, læuum tamen confusione & eorum quæ acta erant ignoratione laborans repulerunt, fugientesque vsque ad Cassij castra persecuti, ipsa etiam castra ceperunt atque diripuerunt, neutro imperatorum præsente. nam & Antonius fertur primo congressu se subtraxisse, & ad paludes recessisse: & Cæsar castris elapsus nusquam apparebat. & quidam Bruto cruentatos gladios ostendebant, interfectum eum ab ipsis iactantes, formamq; eius & staturam indicantes. Iam & media Bruti acies magna cæde aduersarios fudebat, videbaturq, omnino Brutus vicisse, vt Cassius victus esse. Idque vnum exitio ipsis fuit, quòd neque Brutus Cassio, quem vincere putabat, auxilium tulit: & hic Brutum, quem perijsse putabat, non expectauit. nam eo Messala victoriam definit, quòd Brutus tres aquilas & multa signa hostium cepit, hostes verò nullum. Castris Cæsaris iam direptis recipiens se Brutus, miratus est se non videre prætorium Cassij, quod sublime latè conspiciebatur alias, neque cætera in castris eius eo quo fuerant antè modo atque ordine. id eò fiebat, quia hostes ijs occupatis confestim pleraque deiecerant. Verum qui aderant socij, & acutiùs videbant, indicabant ipsi, videre se multa arma splendentia, multos argenteos clypeos in castris Cassianis hinc inde differri: neque tamen sibi eam videri multitudinem neque armaturam custodum ibi relictorum:

*Cæsar insomnio seruatus.*

neque

neque vero ab ea parte conſpici tantam ſtragem, quanta futura fuiſſet victis pugna tot legionibus. Hæc primùm in ſuſpicionem accepti incommodi Brutum adduxerunt. itaque relicto in caſtris hoſtium præſidio, ab inſecutione ſuos reuocauit, & contraxit, Caſſio opem laturus. Caſſij resita actę erant. Neque primum Bruti militum impetum abſque telſera & iniuſſu factum probauerat, neq; id quòd omiſſa circumueniendi opprimendique hoſtis cura ſimul atque ſuperiores eſſe cœpiſſent ad prædandum ſe contulerant. ita quæ gerebantur minimè grata habens, & cunctatione magis quàm alacritate aut conſilio vtens, à dextro hoſtium cornu circumuentus eſt: cumque equites ſtatim peditatu deſerto ad mare fuga contenderent, pedites etiam pedem referre videns, conatus eſt retinere eos & verbis confirmare, vnique ſignifero fugienti ſignum eripiens ante pedes infixit: tandem ne ſtipatoribus quidem ſatis animi ad reſiſtendum habentibus, ita demum coactus cedere, cum paucis receſſit in collem quendam vnde in campum proſpectus patebat. Verùm ipſe ob debilitatem viſus nihil poterat cernere: vixque id videbat, caſtra ſua diripi. Comites miſſos à Bruto equites conſpexerunt, quos Caſſius ab hoſtibus ad perſequendum miſſos ſuſpicans, Titinnium tamē ſpeculatum miſit. Is non latuit Bruti equites appropinquans, ſed cùm viderent amicum hominem & Caſſio fidum ad ſe venire, præ lætitia clamorem ſuſtulerunt, familiaresque ex equis deſilientes eum exceperunt atque amplexi ſunt: reliqui in orbem circum eum equitantes, immoderato ſuo gaudio dum plaudunt & pæanas cantāt, maximi mali autores fuerunt. Caſſius enim ab hoſtibus vtiq; captū Titinnium putans, Vitæ, inquiens, cupiditate adducti ſuſtinuimus videre, vt amicus noſter in hoſtium manus peruenire: in deſertum quoddam tabernaculum digreſſus eſt, vno ſuorum libertorum Pindaro ſecum accepto, quem ad huiuſmodi miniſterium inſtructum iam inde à Craſſi clade ſecum ducebat: verùm euitatis Parthis, tum veſte caput inuoluit, ceruicemq; nudatam ei amputandam præbuit. nam caput ſeorſim à trunco repertum eſt, neque Pindarum poſt cædem quiſquam hominum vidit: itaque non defuerunt, qui iniuſſu eum Caſſio necem attuliſſe crederent. Paulo pòſt apertè conſpecti ſunt equites, & Titinnius ab ijs coronatus ad Caſſium contendit.

*Caſſij interitus.*

Cuius

Cuius vbi interitum, cui ignoratio rerum causam præbuisset, examicorum lamentatione eiulatuque cognouit, stricto gladio multis suam ipsius moram incusans sese confodit. Brutus cognita Cassij clade ad succurrendum properas, vt iam prope castra peruenit, de obitu eius cognouit Corpus eius, cùm super eo ploraſſet, eumque vltimum Romanorum virum appellaſſet (sentiens ista in ciuitate hominem tam magni animi nasci nullum præterea posse) honorificè ornatum in Thasum misit, ne si in castris sepeliretur, turbæ occasionem præberet. Conuocatos deinde milites consolatus est, videnſque omnibus rebus necessarijs spoliatos, in locũ amissorum singulis se octo sestertia daturũ promisit. Hoc eius sermone animum receperunt milites, magnitudinemq; doni admirantes discedentem magno cum clamore prosecuti sunt, solum eum de quatuor imperatoribus eo in prælio inuictum prædicantes. Res quidem ipsa ostendit, rectè eum sibi persuasisse, pugna se hostibus superiorem fore. Paucis enim legionibus omnes qui occurrerant fudit: & si omnibus in pugna vsus fuisset, neque plerique omissis hostibus prædam sectati essent, verisimile est nullam hostium partem expertem cladis futuram fuisse. Ceciderunt à Cassij & Bruti parte octo millia, connumeratis ijs qui militiam sequebantur seruis, quos Brigas nominabat Brutus. Hostium clades duplo maior existimata est, vt Messala perhibet. Itaque illi magis anxij fuerunt: donec Cassij famulus nomine Demetrius statim eadẽ vespera ad Antonium chlamydem & gladium domini attulit. His allatis ita animum receperunt, vt prima luce armatas copias ad pugnam educerent. Brutum vterque exercitus fluctuans parumq; in tuto constitutus angebat. Nam & in suis castris captiuorum omnia plena, custodiam requirebant accuratam: & Cassiani imperatorem mutatum non facilè ferentes, nonnihil etiam inuidiæ & odiorum victi ipsi aduersus victores socios gerebant. Visum tamen est, armare copias, pugna autem abstinere. De captiuis seruilem multitudinem, quæ haud sine suspicione armatis se immiscebat, necari iussit: liberos partim dimisit, captiuos eos verius apud hostes esse dicens, seruosque, apud se liberos & ciues, partim cùm videret amicos & duces placari eis nõ posse, occultando, & tacitè emittendo tamen eorum consuluit. Erant inter captiuos Volumnius quidam 27

*Bruti lenitas.*

quidam mimus, & Saculio scurrra, quos cùm nihili penderet Brutus, amici ad eum adduxerunt, accusantes eos, quòd ne nunc quidem ipsos conuicijs impetere & subsannare desinerent. Nihil respondente Bruto, vt qui alijs curis distraheretur, cum Messala Coruinus censuisset verberibus in tentorio mulctatos nudos debere ducibus hostium reddi, vt viderent, quales militiæ secum compotatores atque familiares haberent, adque id dictum nonnulli risum sustulissent, P. Casca, qui primum Cæsari ictum intulerat, Non rectè, inquit, Cassio mortuo risu iocisque parentamus: tu verò Brute vel puniendis vel dimittendis eius derisoribus & obtrectatoribus demonstrabis, quæ eius apud te extet memoria. Ad hoc Brutus grauiter indignans respondit: Quid ergo vos ex me, ô Casca, sciscitamini, & non id quod vobis visum est agitis? Hoc illi responsum pro consensu interpretati, miseros istos abduxerunt, & necauerunt. Secundum hæc donum militibus promissum repræsentauit, leuiterque increpatis ijs, quòd tessera non accepta iniussu & non rectè seruatis ordinibus in hostem irruissent, pollicitus est eis si in pugna rem bene gessissent, duas se ipsis vrbes diripiendas daturum, Thessalonicam & Lacedæmonem.

*Excusat peccatum eius.*

Hoc vnum Bruti factum in crimen trahi, & defendi commodè non potest. *Nam tametsi Antonius & Cæsar longè iniustiora suis victoriæ præmia dederunt, ferè omnibus habitatoribus Italia exturbatis, vt agrum militibus suis vrbesque ad ipsos non pertinentes largirentur:* ijs tamen dominatio belli finis propositus fuit. De Bruti virtute ea erat hominum opinio, vt neque vincere eum, neque saluum esse debere putarent, nisi iusticia & honestate incolumi: præsertim Cassio mortuo, qui existimabatur quædam violentiùs agendi causa fuisse Bruto. Enimuero sicut fracto nauis gubernaculo conamur alia ligna aptare atque affigere, non rectè quidem, sed necessitati tamen vtcunque subuenientes: ita Brutus tantis copijs rebusque dubijs vrens, cùm collega eum deficeret oneri par, coactus est tempori seruire, ac multa loqui aut agere, quæ suis placerent. Placebant autem ea, quibus Cassiani milites videbantur posse corrigi, intractabiles admodum, qui & in castris ob penuriam ducis tumultuarentur, & ob acceptam cladem hostes reformidarent. Neque meliori conditione res Cæsaris

saris Antonijque erant, quibus & magna erat in commeatu parando difficultas, & propter situm castrorum loco cauo & incluso montibus positorum grauem expectabant hyemem quippe palustribus in locis versabantur, & secundum pugnam autumnales obortæ pluuiæ, cœno tentoria opplebant, & aqua quæ propter frigus statim congelaret. Superuenere his incommodis nuncij de accepta mari exercitus clade, quem numerosum ex Italia ad Cæsarem nauigantem Bruti classis adorta perdiderat, ita vt pauci admodum eiusdem tatis hostibus superstites fuerint, coacti præ fame vela & rudentes comedere. His illi auditis, properarunt ad rem prælio decernendam, priusquam Brutus de successu suo certior redderetur. eodem enim die & terra & mari res gesta fuit. Atque casu magis quàm malicia præfectorum classis factum est, vt de sua victoria Brutus viginti elapsis diebus nihil cognosceret. Quod si percepisset, non profectò secundam pugnam commissurus erat: qui & de rebus necessarijs exercitui ad longum tempus prospexerat, & loco opportuno castra habebat, quæ neque lædi ab hyeme neque ab hoste expugnari facilè possent: tum quòd & mare in sua potestate haberet, & terra ipse victoriam reportasset, fiduciæ erat futurus plenus. Enimuerò cùm respublica administrari ampliùs a populo non posset, vniusq; imperio esset porrò tenenda, Deus è medio abducere & amouere eum qui vnus imperaturo esset impedimento volens, Bruto fortunam istam intercepit, quamuis minimum abfuit, quin Brutus rem inaudiret. Pridie enim quàm pugnatum ab eo est, Clodius quidam ab hostibus perfuga venit, referens Cæsarem eò dimicationem expetere, quod de classe sua perdita cognouisset. hæc tamen dicens, fidem non fecit, neque in conspectum Bruti adductus est, omnino spretus, quasi vel nihil veri audijsset, vel captandæ gratiæ causa mentiretur. Ea nocte rursus Bruto apparuisse illud, de quo diximus, spectrum eadem forma dicitur, neq; vlla voce edita discessisse. P. autem Volumnius homo philosophia imbutus, & qui ab initio castra Bruti est secutus, id quidem ostentum non commemorat: primam verò aquilam ait apum plenam extitisse: & cuiusdam qui primos ordines duceret brachium sua sponte vnguento rosaceo fluxisse, frustraque id sæpe absterssum fuisse: ante ipsam etiam pugnam duas aquilas in medio

*Difficultates Cæsaris & Antonij.*

*Ostenta.*

medio acierum depugnasse, incredibilique exercituum silentio spectatas fuisse, cõcessisse tandem & fugisse eam quæ à Bruti parte erat. fama etiam Æthiopis latè increbruit, qui porta aperta aquilifero exeunti obuiam factus, à militibus rem in omen trahentibus gladijs concisus est. Brutus cùm in aciem suos eduxisset, hostibusq; aduersos constituisset, diu cunctatus est, quòd suspiciones & indicia de nonnullis proditionis offerrentur ei exercitum inspicienti, equitesq; videbat haud satis alacriter pugnam incipere, peditatusque operiri impetum. Tum subitò Camulatus quidam vir belicosus, & fortitudinis ergò summo in honore habitus, iuxta ipsum Brutum adequitans ad hostes transit. Itaque Brutus graui dolore percussus, partimque ira, partim maioris defectionis suorum metu concitatus, nona iam diei hora in hostem suos ducit. A sua parte vicit, cedentique læuæ hostium aciei incumbens perrexit, equitibus impetum eius adiuuantibus, qui & ipsi in perturbatos hostium pedites se incitauerant. Alterum verò cornu, cùm id legati ne ab hoste clauderentur circumducerent, neque iussa esset ad eam rem multitudo, in medio diuulsum est, itaque debilitatum fugam fecit. Hoc dissipato hostes statim Brutum circumdederunt, qui omni imperatorio & militari munere obeundo, consilio manuque facinora ad victoriam præclara edebat: verùm id, quod superiorem prælio priori eum fecerat, tunc obfuit. ibi enim quod victum erat hostium, statim occisum fuerat: hic de Cassij militibus pauci interfecti: reliqui, vt antè etiam victi, formidinis pleni maiorem exercitus partem metu & trepidatione replerunt. Ibi Marcus etiam Catonis F. inter nobilissimos & præstantissimos pugnans iuuenes, cùm esset labore confectus, nequaquam fugit, aut se victum confessus est, sed manu rem gerens, & quis esset, quoq; natus patre nominatim referens, super stragem hostilium cadauerum occubuit. reliquorũ etiam optimus quisque pro Bruto propugnans cecidit. Erat inter amicos Bruti Lucilius quidam, vir præclarus. is cùm videret barbaros quosdã equites in persequendo reliquis omnibus omissis in vnum Brutum omni studio contendere, statuit se periculo obijcere, vt eos impediret, Brutoque effugiendi spacium pararet. Itaque paulum post eum relictus, Brutum se esse eis dixit, persuasitque, ad Antonium duci se petens, &

*Altera Bruti pugna.*

*Catonis F. obitus.*

huic

huic se fidere, Cæsarem metuere simulans, Equites læti hac præda, & mirabili quadam fortuna se eum reperisse rati, adduxerunt, præmissis ad Antonium de suo numero nonnullis, qui rem indicarent. Antonius gaudio percitus equitibus istis occurrit, concurrentibus eodem & reliquis, qui Brutum viuum adduci audierant: nonnulli eorum misericordia dignam hominis fortunam, alij contra suam dignitatem fecisse censentes, qui cupiditate vitæ adductus barbarorum præda esset factus. Vt prope peruentũ est; Antonius substitit, animi dubius quo modo Brutum exciperet: Lucilius autem ad eum adductus, præsenti admodum animo, M. inquit, Brutum Antoni, nemo hostium cepit, neque vero ceperit: abst enim vt tantum aduersus virtutem fortuna possit. Verum is vel viuus vel mortuus ita vti- pso indignum est inuenietur: ego deceptis tuis militibus adsum, nullam eius facti nomine pœnam deprecans. Hæc fato Lucilio, & vniuersis stupore perculsis, Antonius in eos, qui adduxerant hominem, intuitus: Nimirum, inquit, commilitones inique errorem vestrum fertis, grauemque vos incidisse in contumeliam putatis. Sed ita habete, meliorem vos quæsita prædam inuenisse: hostem enim cum quæreretis, amicum nobis attulistis. Atque ipse per Deos nescio, qualem me fuerim Bruto viuenti præbiturus: huiusmodi autem viros amicos quam hostes habere malim. Hæc vbi dixit, Lucilium amplexus est, vnique amicorum commendauit, fidumque in posterum semper, constantemq; expertus est. Cæterum Brutus cum riuum quendam virgultis vndique consitum, ripisq; clausum præcipitib. transiuisset, iam tenebris obortis haud procul progressus est: sed in cauerna quadam, cui magnum erat obiectum saxum, consedit, paucos secum amicorum ducumque suorum habens, Ac primum in cœlum oculos conuertens, stellis tum refulgens, duos versus pronunciauit: quorum alterum Volumnius scripsit, estq; hic: 28

*Non autor horum te lateat Saturne.*

alterius se oblitum ait. Paulo pòst amicos, qui in pugna ipsum defendentes ceciderant, nominatim recensens, Flauij maxime, & Labeonis recordatione ingemuit, quorum hic legatus eius, ille præfectus fabrorum fuerat. Interim quidam sitiens, sitique affectum etiam Brutum sentiens, arre-

pta galea ad riuum decurrit: & cum ſtrepitus ex altera parte eſſet delatus, progreſſus eſt ſpeculandi cauſa Volumnius, cumque eo Dardanus ſtipator. reuerſi paulo poſt, interrogauerunt de potu. tum Brutus ciuiliter admodum ſubridens, Epotum eſt, inquit: vobis tamen alia adferetur aqua. Miſſus idem qui ante, pene eſt ab hoſtibus captus, ægreque euaſit vulnere accepto. Reputanti inde Bruto non multos in pugna periiſſe, Statilius promiſit ſe per hoſtes (aliter enim nequibat) in caſtra euaſurum, ignique edito, ſi res ibi ſaluas reperiſſet, rediturum. Atque iuit ſane eo, & ignem extulit: & cum diu non rediret, dixit Brutus, Statilium vtique ſi viueret rediturum. verum is in reditu in hoſtes illapſus periit. Adulta iam nocte, vt tum forte ſedebat Brutus, ad famulum ſuum Clitum ſe inclinauit, ad eumque verba fecit: eoque tacente & lacrumante, aduocato ad ſe Dardano ſtipatore, ſeorſim quædam ad eum eſt locutus. Tandem Volumnium ipſum Græcis verbis philoſophiæ præceptorum exercitationumque admonuit, hortatusque eſt, vt manum gladio, quo ſe erat iugulaturus, adhiberet, ictumque confirmaret. Volumnio, itemque cæteris detrectantibus, cum quidam non manendum, ſed fugiendum diceret, Vero, ait, fugiendum eſt: non pedum tamen, ſed manuum officio. Dextram deinde ſingulis dedit, hilaris admodum, Maximam ſe percipere inquiens voluptatem, quod nemo ei amicorum fidem fefelliſſet. fortunam ſe patriæ cauſa culpare, ſe quidem ſe victoribus beatiorem iudicare, neque id heri modo aut nuper, ſed etiamnum: ſe enim virtutis gloriam relinquere poſt ſe, quam victores neque armis ſint, neque pecunia extincturi. ſemper enim exiſtimatum iri, eos cum iniuſti malique eſſent, iuſtis bonisque viris interfectis iniuſte dominari. Hortatus inde & precatus vt quiſque ſuæ ſaluti conſuleret, cum duobus aut tribus receſſit longius: inter quos etiam Strato fuit, quo rhetoricæ cauſa vſus fuerat familiariter. Hunc proxime adſiſtere iubens, ſtricti gladij manubrium vtraque manu ſuffulciens, in mucronem incubuit, itaque finem vitæ fecit. Alij non Bruto, ſed Stratone multis precibus adducto, auerſisque oculis gladium tenente, Brutum cum impetu pectus aciei inflixiſſe, eoque tranſadacto celeri morte deceſſiſſe aiunt. Hunc Stratonem Meſſala amicus Bruti, in gratiam à Cæſare receptus, aliquan-

*Statilij interitus.*

*Bruti mors.*

*Strato.*

aliquando per ocium ad Cæsarem adduxit, lacrumansque, Hic, ait, vir est ô Cæsar, qui Bruto meo extremum officium præstitit. Et Cæsar Stratonem ad se receptum in laboribus, & Actio certamine inter eos Græcos, quibus vsus fuit fidelibus, reperit. Ipsum vero Messalam ferunt, cum postea temporis à Cæsare laudaretur, quod ipsi præclaram operam apud Actium nauasset, cum tamen apud Philippos acerrimus hostium fuisset, dixisse: Ego enim, ô Cæsar, semper meliorem ac iustiorem sum partem secutus. Bruti cadauer inuentum Antonius precioſissima suarum punicearum tunicarum inuolui iussit: & furem, à quo eam subtractam sensit, interfecit. reliquias autem ad matrem Bruti Seruiliam misit. Porciam vero Bruti vxorem Nicolaus philosophus, & Valerius Maximus memorant cum mortis cupida ab amicis prohiberetur, qui eam obseruabant, carbones ex igne arreptos deglubuisse, oreque clauso ita suffocatam periisse. Sane Bruti ad amicos epistola circumfertur, qua eos incusat, casumq; Porciæ deplorat, quæ ab ipsis neglecta propter morbum mortem sibi consciscere delegerit. Videtur igitur Nicolaus ignorasse tempus: quando ea epistola (siquidem est genuina) morbum amoremque vxoris & mortis modum significat.

*Messala & libertas.*

*Porciæ mors.*

## DIONIS CVM BRVTO *comparatio.*

Inter multa quæ vterque habuit præclara, præcipuum id est, quod ambo minimis vsi occasionibus maximi euaserunt. Id vero in Dione pulcherrimum fuit. non enim habuit qui cum ipso de ea laude contendere posset, sicut Bruto fuit Cassius, minori quidem virtutis gloria ornatus, sed qui ad bellum gerendum non minus peritiæ, audaciæ, consiliique contulerit: cui quidem nonnulli totius facinoris principium adscribunt, eum Bruto cessanti ducem consilij aduersus Cæsarem suscipiendi fuisse dicentes. Dio autem sicut arma, & naues, & exercitum, ita amicos etiam sibi, & cœptorum suorum administros ipse apparasse videtur. Iam ne opes quidem & potentiam bello & rebus gestis, quemadmodum Brutus, inuenit: sed suas ipsius diuitias, exiliique sui alimenta ad ciuium libertatem recuperandam

*Occasiones rerum gerendarum.*

impendit. Porro autem Brutus & Cassius Roma eiecti cum quiescere tuto non possent, morte nimirum damnati, & à persecutoribus ad necem quæsiti, necessario ad bellum cõfugerunt, suaque corpora armis committentes, pro sua salute magis quam pro ciuibus dimicarunt. Dio autem cum in exilio tutiorem atque iucundiorem quam ipse qui extermi nauerat eum patria tyrannus vitam ageret, vltro Siciliæ seruandæ causa tantum periculum subiuit. Neque vero idem fuit Siciliam Dionysio, & Romam Cæsare liberare. Quippe ille & palam præ se ferebat nomen tyranni, & infinitis malis Siciliam implebat. Huius dominatio vt initio dum constituebatur aduersariis molesta fuit, ita victis iis & parentibus nomen tantum & opinio esse tyrannidis videbatur, cũ nihil crudele aut tyrãnicum ageretur, appareretque Cæsarem rebus vnius alicuius imperium in republica postulantibus diuinitus veluti medicum obtigisse. Itaque Cæsarem sublatum statim Romanus populus desiderauit, eiusque percussoribus infestus implacabilisque fuit: at Dionem e-

*Res gestæ.* missus Syracusis Dionysius, priorisque tyranni non euersum sepulcrum præcipue inuisum ciuibus reddidit. Præterea in ipsis rebus bellicis, Dionis administratio culpari nullo modo potest, qui & ipse suo consilio rem optime gessit, & accepta aliorum culpa incommoda correxit. Brutus neque prudenter subiisse postremam dimicationem, neque victus emendationem quæsiuisse videtur, sed omnem spem dimisisse, ne tantum quidem, quantum Pompeius, ausus vlterius fortunam tentare: cum tamen adhuc & in armis multum spei haberet, & mare totum classe obtineret. Quod autem maximum Bruto crimen obiicitur, quod ei manus intulerit, à quo & ipse salute donatus fuerat, & venia multi amicorum, qui in potestatem victoris venerant, à quo inter amicos receptus, multisque aliis prælatus fuisset: nihil tale de Dione, sed contrarium dici potest. Dum enim amicus & domesticus Dionysij fuit, in constituendis eum & seruandis rebus adiuuit: patria ab eo pulsus, coniugeque & opibus spoliatus, aperte bellum aduersus eum iustum legitimumque suscepit. Enimuero id primum in contrariam sententiam verti potest. Quod enim maxime laudi est, odium aduersus tyrannos, inimicitiæque contra malos, ea in Bruto integra sunt & sincera. nihil enim priuatim offensus

à Cæ-

à Cæsare, pro publica libertate aduersus eum discrimen subiit. Dio nisi iniuria affectus, nunquam erat Dionysio bellum facturus. idque Platonis epistolæ demonstrant, Dionem non defeciſſe à tyrannide, sed ab ea depulsum, Dionysium inde euertisse. Et Brutum quidem publica vtilitas & amicum Pompeio, & inimicum Cæsari fecit, vt qui iure amicitiam inimicitiamque definiret vno. Dio, dum esset cum Dionysio, multa in eius gratiam atque commodum egit: iratus deinde ob fidem sibi non habitam, bellum ei fecit. Itaque ne amici quidem omnes huic satis crediderunt, suspicantes eum effecto Dionysio ipsum dominationem inuasurum, molliorique nomine quam esset tyrannidis ciuibus impositurum de Bruto etiam hostes prædicauerunt, solum eum omnium qui in Cæsarem conspirassent id vnum sibi ab initio ad finem vsque propositum habuisse, vt Romanis antiquam reipub. constitutionem recuperaret. Et his etiam omissis, non comparari potest certamen aduersum Dionysium susceptum cum conatu euertendi Cæsaris. Dionysium enim nemo non contemnebat familiarium, qui in compotationes, lusiones, & rem muliebrem maiorem temporis partem consumeret. De Cæsare autem opprimendo cogitare, neque eius calliditatem, potentiam, fortunamque formidare, cuius ipsum nomen Parthorum Indorumque regibus somnos adimeret, incredibilis fuit animi magnitudinis, quæ nullo metu inflecti posset. Itaque Dioni, vt primum conspectus in Sicilia est, multa se hominum millia adiunxerunt aduersus Dionysium: Cæsaris gloria etiam mortui erexit amicos, nomenque eius hunc, qui id gerebat, ita extulit, vt puer omni ope destitutus, statim Romanorum primus existeret, eo tanquam amuleto aduersus Antonij inimicitiam atque potentiam vsus. Quod si quis dicat tyrannum à Dione magnis certaminibus eiectum, Cæsarem nudum & incautum à Bruto necatum: sciat hoc ipsum summæ prudentiæ fuisse opus, atque calliditatis, hominem tantis munitum copiis potuisse nudum custodiaque vacantem deprehendere. non enim subito, aut solus vel cum paucis, sed diu capto consilio eum adortus est, multis facinoris sociis, à quorum nemine deceptus est: nam aut delegit optimos, aut deligendo eos qui ipsi fidebant, bonos effecit. Dio autem vel malis sese credi-

*Difficultas.*

credidit, non recte de eis iudicans: vel ita vsus est eis, vt ex bonis malos redderet. quorum neutrum euenire prudenti debet. Plato etiam eum culpat, quod huiusmodi amicos adsciuerit sibi, à quibus occideretur. Denique Dionis cædem nemo statim vltus est. Brutum & hostis Antonius honorifica affecit sepultura, & Cæsar honores eius conseruauit. Fuit Mediolani, quæ est citerioris Galliæ vrbs, ærea Bruto posita statua. Hanc cum postea temporis Cæsar videret artificiose factam, imaginemque eius bene referentem, præteriit. paulo post subsistens, aduocatis ad se magistratibus vrbis, audientibus multis dixit, se deprehendisse eos contra pacta egisse, & hostem ipsius detinere secum. Inficiantibus (vt par erat) primum, quemque hostem diceret dubitantibus, ac se mutuo intuentibus: ad statuam conuersus, contracta fronte, An non, ait, is qui hic adstat, hostis noster est? cum magis etiam perterriti silerent, vultu in risum soluto colllaudauit Gallos istos, qui etiam aduersa fortuna vtentibus amicis beneuolentiam constanter retinerent: iussitque statuam quo erat loco relinqui.

*Statua Bruti à Cæsare seruata.*

## IN M. BRVTVM INTERPRETIS Annotationes.

*QVod initio statim affirmat Plutarchus, & postea Posidonio teste videtur confirmare, M. Brutum à Iunio Bruto qui primus eiectis Tarquiniis consul fuit Romæ, genus traxisse: id & Dionysius Halicarnasseus libro 5. pernegat autor grauissimus, & Dio lib. 44. scriptor Romanarũ rerum minime oscitans. Sed id viderint alij. Illud nobis annotandũ fuit, quo loco est in Græco statim tertio principij versu* ψυχρήλατα τῶν ξιφῶν, *vertisse Guarinum*, ensem fulmineum: *quam apposite nemo non videt. Cõtinent autem ea verba non illepidam comparationem. Quippe & gladij, quales nos exposuimus, facile nimiam obrigiditatẽ frangunter: & nimia huiusmodi ac prædura ingenia, fere sibi causa mali sunt, quomodo iste Iunius & liberis sese & vita priuauit,*

priuauit. mox ingeniũ vertit graue & humile, nõ animaduertens, πρᾶον τῷ ἐμβριθεῖ minime esse contrarium, sed quasi consequens (alias absurde contraria eidem tribueremus, quod ille fecit) & placidum seu pacatum significare, non temerarium aut inquietum. Sic infra in Cicerone de Terentia τὸ πρᾶον & ἄτολμον coniunguntur.

2 Seruilium Ahalam.] Seruilium, plerique antiquas inscriptiones secuti AHALAM scribũt, vulgo HALAM. Ego puto ALAM etiã rectissime scribi posse. idq; multo esse, quã HALAM, verius. Nam cognomen est à parte corporis, quæ axilla (quod & ipsum cognomen Seruiliorũ est) & cõcise ala dicitur. Ex Cicerone patet hoc. is in lib. ad Brutum, qui Orator inscribitur: Quomodo inquit, vester Axilla (loquitur de Seruilio Axilla: & cur vestrum vocet, ex hoc Plutarchi loco patet) ala factus est, nisi fuga literæ vastioris, &c. Ergo apparet H aspirationẽ inter duo AA interiectam quod ea syllaba esset longa, & ex concisione vocabuli orta, inq; pronunciando circumflecteretur: vnde fortasis Græci ἄλας sumpserunt. vt Latinius, hoc est, magis recepta Latinorum consuetudine nos ALAM quã AHALAM scripturos videatur. sed hæc scire, quam mutare tutius est. Quod Plutarc. porro scribit, Seruiliũ gladiũ sub axilla seu ala ad SP. Mœlium obtruncãdum detulisse, cogitationem iniicit, forte inde cognomen hoc ortum. Sed hoc est opinari. Historia est cum alibi, tũ apud Liu. lib. ab V.C. IIII. pro μάλλιον, scribe μαλίλιον. Guarinus ab Ahala in forũ tractum, nescio quid secutus, Mœlium vertit.

3 Sed hunc Brutum] Bruti dispẽsatoris, οἰκονόμου Βρούτου. intelligo, qui dispensator fuisset. neq; enim Bruti ad illũ priscum posse referri videtur, neq; etiã deberi: vt cunq; id interpretes ausi sint. Græca enim verba neq; mẽdosa videntur & ab eorum sententia abhorrent, nisi ᾗ ὃν exponas ἀντὶ ἀμπογόνου. Sed & Βρούτου, nõ erat Plutarc. sine pro nomine ἐκείνου,

*aut simili particula positurus, siquidem priscum illum voluisset intelligi.*

4 Romano quidem sermone. ] *Ad militarem hæc facundiam Guarinus non recte applicat.*

5 Fateamini me à vobis. ]ὁμολογεῖτε ἀδικεῖν me. *ita legitur in epistolis Bruti ab Aldo cum aliis impressis, rectius quam in nostro,* ὁμολογεῖται. *Ibidem epistola ad Samios citra interrogationẽ legitur. Tertia est ad Lycios. in fine scribitur* ἐλέσθαι, *quod etiam citra aliud exemplar patebat legendum. Res ipsæ ex sequentibus historiis patebunt.*

6 In Cyprũ Caninio. ] *In vita Catonis & huius ipsius rei narratione cõstanter Canidius legitur: haud facile dixerim, vtra in parte sit mendũ. nã vtrunq; est nomẽ Romanũ.*

7 Quippe cuius pater. ]*M. Brutũ. huius patrem, Lepidi sectatorem, à Pompeio interfectũ, & supra autor in huius vita, & tota illius belli historia docet, & Liu. epit. 90.*

8 Regi Galatiæ patrocinans. ] *Est in Græco,* τῷ τῶν λιβύων βασιλεῖ, *regi Africæ. quod si recte legeretur, esset nimirum de Iuba intelligendum. Sed ego Brutum apud Cæsarem pro hoc interceßisse ne suspicor quidem. Et video vtrũq; interpretẽ secutum Græca. Sed ego mendum suspicor, & de Deiotaro loqui Plutarchũ. Quod etsi eo durius videri alicui poterit, quia* λιβύων *vox neq; cum* Γαλατῶν, *neq; cũ* ἀρμενίων (*nã Armeniæ minoris regem Deiotarum fuisse, Hircius ait: Gallograciæ, quæ est Galatia, tetrarcham. sed & hos cõstat reges dici aliquando*) *quicquam affine habeat: tamen duobus nitor argumentis, an coniecturis? Vna est, quod pro Deiotaro interceßisse apud Cæsarem, Brutũ, ex prima Ciceronis ad Atticũ lib. 14. epistola apparet: altera, quod hoc dictum Cæsaris de Bruto, ibidem refertur. Iam Deiotarũ parte sui regni mulctatum fuisse, ex quadragesimo libr. Dionis, quin & ex Cicerone & aliis constat. De Iuba nihil tale legi puto vsquam. propria autem nomina absurdißime in Græcis*

*sæpe*

*sæpe corrupta esse, ita vt vestigia vix leuia superent, notius mihi est quam voluissem. Si tamen cui hæc non placent, ἁμάρτημα μνημονικὸν Plutarchi annotet.*

9 Et importunitati.] *Locus in Græco est subobscurus ac nequaquam à Guarino intellectus. Continet autem hanc sententiam, Nonnulli importunitate petentium amicorũ vincuntur, & se verecundiæ nomine excusant: quod scilicet puduerit eos amicis quidquam negare.* κωλῦσι δυσωπεῖδς: *vocant, vel appellant hanc suam ἴτλαν & concessionem, Verecundiam. At eam Brutus turpissimam magno viro iudicabat: neq; enim eum debere quiduis precibus suorum dare, sed interdum negare. est autem* δυσωπεῖδς, *verecundia alicuius moueri, & quasi non ferre vultum eius, ob repulsam indignantis. Sic in Coriol. de petitione consulatus de vulgo:* ἐδυσωποῦντο πὸ ἀρετῶ· *virtutis Coriolani verecundia animos eorum mouebat.*

10. Brutus hanc carunculam.] *In Cæsare hoc aliter refertur: nempe Cæsarem, qui imperandi causa Brutum nequaquam impium in se (à quo tot beneficijs affectus) fore putaret, dixisse,* ἀναμένει τοῦτο τὸ δέρμα βρῦτον, *hæc cutis expectat Brutum. Quanqam malim & ibi legi ita, vt cum hoc consentiret,* βρῦτῳ *recto, non quarto casu: quasi diceret, Brutum post se rerum potiturum, & expectaturũ mortem ipsius.*

11 C. Ligarius.] *Frater, opinor Q. Ligarij eius, quem à Tuberone accusatum Cicero defendit, nisi forte Quintus legendum sit. paulo pòst Statilius socius Bruti dicitur. malim enim legere Statilium quam* Στάλλιον, *Stallium. nisi forte aliquis alius fuit.*

12 Cinna vir non postremæ in ciuitate.] *in Græco est,* Κίννας ποιητικὸς ἀνὴρ. Πολιτικὸς *legendum esse putabam, id est in rebus versatus. Fuit enim is C. Heluius Cinna tribunus plebis, vt patet ex Dione lib. 44. extremo, ex Appiani*

*piani lib.2.Ciuil.ex Valerij Maximi lib.9.cap.9. Non sum nescius, Cinnã hunc à quibusdam summis viris pro eo poetæ accipi, qui Smyrnam poema condiderit, sitq; à Catullo laudatus: qui fortasßis hoc ipso loco ducti ita censuerunt. Sed, quia tam multi fuerunt Cinnæ, non temere nisi alia accedant argumenta, id affirmarim.*

13 Pleriq; hiſtrionibus.] *Guarinus indocte, Bacchi cultoribus. οἱ περὶ Διόνυσον τεχνίται vocantur hiſtriones. Vide Plutarchi Quæſt. Rom.*

14 Non tibi, inquit.] *Extant in hanc ſententiam etiãnum epiſtolæ Bruti ad Ciceronem.*

15 Andromacha Hectorem comitans.] *Totus hic locus, ex lib.6. Iliad. Homericæ deſumptus eſt.*

16 Sed me Latoides.] *Apollo, Latonæ filius. Verba ſunt apud Homerum lib. Iliadis 16. Patrocli ab Apolline & Hectore & Euphorbo cæſi. Valerius Maximus refert hoc lib.1. cap. de ominibus: ſed Apollinem non à Bruto, verum Cæſare & Antonio ſigno datum ait.*

17 Vicies ſeſtertiũm.] *Guarinus valde imperite quingenta millia æris. Mille æris eſſe idem quod minam, id eſt centum drachmas, facile poteſt demonſtrari. in Græco autem hîc eſt πεντήκοντα μυριάδας, quinquaginta myriades, nimirũ drachmarũ. At in vna myriade, 100. ſunt minæ. Ergo hæc ſumma efficiet, nõ quingentas minas. ſed quinq; minarũ millia, vel (quod idẽ eſt) milliũ æris quinq; millia: ſummã ſcilicet Guarinianæ decuplã. Latinius hoc dicitur vicies ſeſtertiũm: & ipſe in Antonio Plutarchus oſtendit, viginti quinq; (cuius duplũ hîc eſt) myriades, Latinè decies vocari.*

18 Qua de re alio loco.] *ὑπὲρ ὧν ἐν ἑτέροις μᾶλλον ἐρῶμεν. Guarinus*, hæc in cæteris animalibus dubia magis ſunt. *nimis quam imprudenter. Quod autem alio loco ſe hanc quæſtionem ait tractaſſe, id eſt in lib. Conuiualium quæſt. 6. cap. 8.*

19 P.Si-

19 P.Silicium.] *Sicilius Coronâs Dioni dicitur, lib. 46.*

20 Nestorem vsum Homerus.] *In rixa Achillis cum Agamemnone sedanda, lib. 1. Iliad.*

21 Nos, inquit, ita existimamus.] ἡμέτερος ὅτος εἶπεν, legendum est: non ὑμέτερος. Epicureorum enim sententia refertur, non Platonicorum. Cassium autem Epicureum fuisse, id quod hîc dicitur, etiam ex Ciceronis ad eum epistolis ipsiusq; rescriptis apparet, quæ sunt lib. 15. ad Familiares.

22 Apud Symbolum.] *Mons est apud Philippos Pangæo monti occurrens. Locorũ descriptio est satis perspicua apud Dionem, in huius historiæ narratione, lib. 47.*

23 Brutus contra Cæsarem.] Καὶ κατεστρατοπέδευσεν, ἀντώνιον βέλτιον, Κάσσιον δ' ἀντώνιος. Mendum est perspicuum: & historia docet pro ἀντώνιον esse ἀυτὸν legendum, vt ad Cæsarẽ referatur, cuius castris Brutus oppositus fuit. *hæc tamen Guarinus non sensit.*

24 Fuisse eum Cassium.] *Græca videntur nonnihil ambigua esse, & interpretes quidem ita acceperunt, quasi dies natalis non Messalæ esset, sed Cassij futura. id quod mihi secus videtur sane: & illud* εἰκὸν eo est obscurius, quod statim transitur ad accusatiuũ: neq; antecedentia verba Messala, sed Cassius fecerat: quo fit, vt ἀποδέδεικται τὸν Κάσσιον *exponam: quasi Cassius hæc ad Messalam locutus, eum salutauerit. &* ἔνδεκα κεκλημένον *accipiam, vt ad Cassium referatur, à Messala inuitatum. Si Cassij fuit natalis dies, perijt suo natali, sicut & Pompeius & Attalus: quæ in Camillo exempla Plutarchus referens, videtur ne hoc quidem negleturus fuisse, si ita sensisset.*

25 * Sed quam propter eum.] *Locus est mutilus. id quod asteriſco notare, quam incertum aliquid assuere, tutius duxi.*

26 Victis ostendit occasio.] ὁ καιρὸς. *sic enim legendum*

*dum puto, non ὁ καῖσαρ: quod falsum esse, sequentia demonstrant. Astipulatur etiam Amiotus.*

27 Brigas.] *De hoc vocabulo nonnihil Varinus ex Hesychio. Eustathius in primum Vlysseæ, ex Pausania refert, ita vocatos barbaros, videntur autem fuisse manumissi ad ferẽda arma & militandum serui: nisi quis lixas & calones intelligere malit.*

27 Non autor horum.] *Vltionem diuinitus imprecatur ei, qui causa præsentis mali & oppressæ libertatis esset. Appianus idem referens, de Antonio exponit, qui cum posset patriæ libertatem vnà cum Bruto (qui hoc ipsum sperans ei pepercerat) asserere, maluit se cum Cæsare coniungere, à quo deinde est pessundatus. Cæterum versiculus est ex Euripidis Medea, quæ Iasonis in caput execratur, à quo prodita erat.*

29 Valerius Maximus.] *Lib. 4. cap. 6.*

FINIS SECVNDI TOMI.

CATA-

# CATALOGVS AVTORVM, QVI IN HAC SECVNDA VITARVM PARTE CITANTVR.


A.

Aeschylus 375.451
Aesopus 289
Alexandri Magni epistolæ 458. 462.478.481.488.491.
Alexander Myndius 54
Alexandrides Delphicus 102
Anaximenes 185.186
Androclides 93
Antigenes 481
Anticlides ibid.
Antiochus Philosophus 209
Archelaus 165.166
Archilochus 58
Aristophanes 177.233.236
Aristoteles 89.171.231.450. 487.661.
Aristoxenus 447
Asinius Pollio 428.543
Autoclidis exegetica 252

B.

Bibulus Bruti priuignus 702

C.

C. Cæsar 425.426.527
Cæsar Augustus 561
Callisthenes 173.466.472
Canusius 527
Chares Isangelus 481
Chares 460.464.489.498 573
Cicero 271
Cleon Halicarnasseus 108.316
Clitarchus 481
Cornelius Nepos 222
Craterus Macedo 175
Critias 171.178

D.

Damachus 97
Dicæarchus 349
Dino 474
Dionysius Halicarnasseus 18. 22.
Dionysius Aereus 234
Dionysiodorus 272
Duris Samius 300.455.481. 564.573.

E.

Ephorus 104.108.174.670
Eratosthenes 447.470
Eupolis 173.233
Euripides 99.290.294.451. 487.627.

F.

Fenestella 146.263

G.

Gorgias Leontinus 171

H.

Hecateus Eretriensis 481
Hegesias Magnesius 447
Hermippus 481
Hieronymus Philosophus 18. 22.28.
Homerus 23.323.344.425.465. 467.468.
Horatius 219


Ion

I.

Ion poeta 167.170
Ister 481
Iubarex 324

L.

Laconici commentarij 370
Liuius 209.213.543.554

M.

Messala 713
Munatius 616
Musaus poeta 70

N.

Nausicrates rhetor 181
Nicolaus Philosophus 724

O.

Onesicrates 451
Onesicritus 455.481
C. Oppius 381

P.

Panatius 166
Pasiphontis dialogus 232.233
Phanodemus 205.212.173
Philippus Chalcidensis 481
Philippus delator 481
Philistus 230.247.255.451
Philochares 251
Philo Thebanus 481
Phylarchus 28
Philoxenus 451
Phrynichus 233
Pindarus 64.230
Piso 78
Plato 184.223.224.660
Polycritus 481
Polyeuctus Sphettius 565
Potamo Lesbius 493

R.

Rutilius 64.403

S.

Simonides 452.648
Sophocles 170.433.450.562
Soteon 493
Stesimbrotus 176
Strabo Philosophus 143.209
Sylla 61. 62. 68. 133. 134. 141. 145.

T.

Teleclides 233
Theophanes 403
Theophrastus 98. 240. 241. 327. 369.
Theopompus 98. 100. 112. 348. 364. 365.
Thucydides 276. 165. 230. 232. 247. 248. 256.
Thraseas 523. 524
Timæus 230. 247. 255. 652. 656. 668. 671.
Timagenes 412
Timon Phliasius 658

V.

Valerius Antias 723
P. Volumnius ibid.

X.

Xenophon 100

Z.

Zeno 565

INDEX

# INDEX RERVM ET VERBORVM IN HAC SECVNDA PARTE VITARVM PLVTARchi memorabilium, & fidelissimus & locupletissimus.

CONTINET HIC INDEX MAGIstratus, Leges, Oracula, Prodigia, Apophthegmata, Strategemata, Bella, Orationes, aliaq́; quæ generibus varia, cognitione iucunda, vsu denique in omnes vitæ partes sese diffundente longe vtilissima sunt.


A.

Abas fluuius 335
Acastus 152
Achillas 432. Cæsari insidias rendit 545
Achilles Aspetus 3
Achillis ambitio 396. felicitas 450.
Acrotati Spartani virtus 29
Acrurius mons 583
Actæones 318
Ada regina 462
Adepsus 143
Adiabenus 208
Adrianus dux Mithridatis 197. 198.
Aduersarum rerum vis 562
Æacides 3
Ædilitas 44.45
Ænarij insulæ 70
Æschylus à Sophocle victus 170
Æschines Athenis profugus Rhodum secedit 18
L. Afranius 424
Agathocles Siciliæ rex 14

AGESILAVS 341
Agesilai ambitio 346. amicitia 344. amor in ciues suos 353. amor in Megabaten puerum 349. amor liberûm 360. amores 351. Chria 361. claudicatio 342. colloquium cum Pharnabazo 349. continentia 351. cum Lysandro colloquiũ 346. cum Lysandro simultas 413. dicta 357. expeditio cõtra Thebanos 360. expeditio in Acarnaniã 357. in Ægyptũ 369. in Asiã 106. filia & vxor 355. genus 341. institutio 341.342. morbus 361. obedientia reuocati in Graciã 352. obitus 372. peccata 434. pertinacia 403 pugna ad Coroneam 354. Strategema 370. sentẽtia de Iustitia 358. sacrificium in Aulide 345. victoria de Tisaphernę 348
Agesilao classis ẽt subdita 348


agesi-

*ageſilaus contemptor rerum inanium* 356. *dux belli Aſiatici opera Lyſandri creatus* 344. *in regno acquirendo diuinũ & humanũ ius violauit* 434 *Lyſandri faſtum vt repreſſerit* 346. *Spartam Epaminondæ eripit* 367. *reuocatur in Græciam* 351. *Tiſaphernis perfidiam vlciſcitur* 347. *vt Ageſipolin collegam demeritus ſit* 356. *vt factiones Spartæ ſedauerit* 365. *vt iter fecerit in Græciam* 352. *vt rex factus* 343. *vulneratur* 354

*ageſipolis Spartæ rex* 356

*agnonides rhetor* 582.583

*alæa* 143

*albania* 400

*alcetas* 3.304

*alcibiades fax belli Siculi* 231. *pacificationem Græciæ impedit* 238

*alcibiadis bonum cõſilium ſpretum* 95

*alcimenes* 662

*alcmanes* 152

*alcmenæ monumentum* 111

*alcyoneus* 34

ALEXANDER MAGNVS 445. *Alexander ad Oceanum nauigare cõtendit* 497. *alexandriam condit* 465. *an Deo natus* 463. *an veneno ſublatus* 503. *Darium perſequitur* 468.479. *Gangem tranſire fruſtra conatur* 493. *Gazam capit* 465. *Homerum aſſidue legit* 450. *Nyſam oppugnat* 490. *oram maritimam ſubigit* 457. *Perſarum triginta pueros Macedonicis imbui morib. curat* 481. *Philotam occidit* 484. *item Parmenionẽ. ibid. item Clitum. ibid. Porum ſuperat* 491 *potandi certamen inſtituit* 498. *regnũ paternum accipit* 453. *Roxanẽ adamat* 482 *Siſimethræ petrã expugnat* 490. *Statiram Darij F. ducit* 498. *ſumit barbaricam veſtem* 480. *ſuorum luxũ carpit* 477. *Taxilem munificentia ſuperat* 491. *Thebas capit & excindit* 453. *Tyrũ expugnat* 463. *vulneratur* 400 494.

*Alexandri ab Ariſtotele abalienatio* 451. *armatura* 471. *audax factum* 464. *cladis in profectione Indiana* 496. *clementia in Darij familiã captiuam* 461. *clementia in Porum* 492. *continẽtia* 461. *copiæ* 455. *cum patre offenſæ* 451. *dictum* 477. *dictum in Parmenionem* 468. *formæ* 447. *in Aſiã expeditio* 455. *in Darium mortuum humanitas* 479. 480. *in Indiam expeditio* 489. *in ſuos ſtudiũ* 478. *largitio Perſica* 497. *liberalitas* 476. *liberalitas erga Phocionem. ibid. magnanimitas* 470. *modeſtia & grauitas* 448. *natalis dies* 447. *obitus* 502. *periculum ad Mallos Indiæ* 494. *periculum propter pædagogũ Lyſimachi*

*simachũ* 464. *præceptor Leonidas* 449. *profectio ad Ammonẽ* 466. *pugna cum Poro* 491. *studia philosophiæ* 450. *suaueolentia & eius causa* 447. *victoria ad Gangamela* 471. *victoria ad Granicum* 457. *victoria ad Issum* 460. *victoris liberalitas* 473. *victus ratio* 462

*Alexandri M. successores, reges quando appellati* 80

*ad Alexandrum an Amazones venerint* 481

*Alexander Antiochensis, Crassi præceptor* 262

*Alexander Polysperchontis F.* 595.

*Alexander Pyrrhi filius* 9

*Alexandria conditur* 465

*Alexia à Cæsare expugnatur* 531.

*Alexippus medicus* 478

*Aliartum* 110

*Amazones vbi habitent* 335

*Ambrones* 56

*Amisus fluuius* 213

*Amisus vrbs à Lucullo capta* 200.

*amicitia Romæ sancitur* 556

*Amphicratis rhetoris interitus* 203.

*Amyntas Darij dux* 452

*Anaxagoras primus de Lunæ obscuratione scripsit* 251. *eius philosophia* 96

*Anaxarchi dictum in Alexandrum* 467

*Anaxarchus* 451

*Anaxarchus Abderita Alexandrum consolatur* 486

*Androclides* 190

*Androcleon* 3

*Androcottus Indiæ rex* 493

*Andronicus Rhodius* 143

*Angelus* 3

*Amus fluuius* 539

*Anni correctio à Cæsare instituta* 550

*Annibal in Armenia vrbẽ Artaxata condit* 212

*Antæi sepulcrum* 324

*Antalcidæ dictum in Agesilaum vulneratũ* 361. *pax* 357. 358.

*Anticrates Laco, Epaminondæ interfector* 368

*Antigenes* 311. 498

*Antigonus Demetrij filius à Pyrrho Macedonia pellitur* 26.

*Antigoni iudicium de Pyrrho* 8. *humanitas cæso Pyrrho* 34.

*Antimachus poeta* 102

*Antiochea ad Daphnen* 201

*Antiochea Mygdonica* 213

*Antiochus Ascalonita* 221. 668.

*Antipater Tarsensis* 79

*Antipatri crudelitas* 580. *cum Aetolis fœdus* 484

*Antiphilus* 577

*Antistia Pompeij vxor* 377. *repudiatur* 381

*M. Antonius populum in Cæsaris interfectores incitat* 699

*C. Antonius à Bruto captus* 704. *interficitur* 705

*M. Antonij oratoris interitus* 77
*Apelles* 447
*Apellico Teius* 143
*Apheſion* 170
*Apollo Lycius* 33
*Apollo Phalereus* 623
*Apollo Thurius* 136
*Apollodorus* 544
*Apollocrates* 682
*Apollonia* 143
*Apollonides Stoicus* 636
*Apollonius Molonis F.* 514
*Appij Claudij oratio, qua pacem cum Pyrrho diſſuadet* 19
*Appius Clodius ad Tigranem legatus* 201
*Q. Arbelius* 149
*Archelaus à Mithridate deſciuit* 191
*Archelai Mithridatici ducis res geſtæ* 130. *cum Sylla colloquium* 140
*Archeſtratus* 583
*Archidami laus* 367
*de Arcadibus victoria* 466
*Archytas Pythagoreus* 659
*Aretæus* 668
*Arete uxor Dionis* 661
*Areus rex Sparta* 27
*Arginuſa* 92
*Argos urbs à Cleomene occupatur* 200
*Araxes fluuius* 399
*Argyraſpides* 311
*Ariamnis Arabis dolus in Craſſum* 277
*Ariarathes* 130. *rex Cappadocia* 302
*Ariminum* 419
*Arioviſtus Germanorum rex* 525
*Ariſtander Telmiſſeus* 534
*Ariſtander vates* 446. 472
*Ariſteas* 30
*Ariſtio tyrannus Athenis* 132
*Ariſtippus* 30
*Ariſto* 688
*Ariſto Corinthius* 253
*Ariſtobulus rex Iudæa* 404. 407
*Ariſtoclitus* 89
*Ariſtogito* 568. 569
*Ariſtomacha coniux Dionyſij prioris, & Dionis ſoror* 650
*Ariſtonus* 102
*Ariſtoteles inſidiarum in Alexandrum reus* 488. *præceptor Alexandri* 450
*Ariſtotelis libri Romam à Sylla deportati* 143 *ſtudium erga philoſophos* 450
*Arridæus frater Alexãdri* 452. 711
*Arſacida* 290
*Arſis fluuius* 379
*Artabazus Craſſum inſtigat* 276
*Arſanias fluuius* 212
*Artaxata urbs* *ibid.*
*Artemidorus* 196
*Artemidorus Cnidius, rhetor* 554
*Aruerni* 529
*Arybas* 3
*Arybba* 214
*Asbolumeni* 163 164
*Aſcalius* 323
*Aſcle-*

*Asclepiades* 576
*Asculus fluuius* 21
*Asia à Sylla vexata* 142
*Asinaria, festum* 255
*Asinius Pollio* 534.627
*Assus fluuius* 135
*Astyphilus* 179
*Ateius tribunus plebis* 273. *eius in Crassum dira* 274
*Atellius* 713
*Athena ab Arato liberata* 293. *capta à Lysandro* 99. *capta à Sylla* 130.133. *per Pausaniam pacata* 105
*Athenarum muri destructi* 100
*Athenienſium clades in Sicilia* 247.252 *calamitas, in Sicilia captorum* 256. *victoria ad Naxum* 566
*Athenis præſidium Macedonicum imponitur* 579
*de Athenienſibus dictum* 682
*de Athenis excindendis rogatio* 99
*athenodorus Philoſophus* 468.597
*athos mons* 500
*attalus* 451
*attalea urbs* 431
*augurium factum ante conditam Alexandriam* 466
*autoclides* 252
*autolycus* 100.204
*autonomi* 492
*auximum urbs* 379

B.

*Babylonis fertilitas* 473
*Bacchus ubi natus* 113
*Betis fluuius* 323
*Betica Hiſpania ibid.*
*Bagoas* 497
*Baliſſus amnis* 280
*Bardiæi* 76. *eorum libido & interitus* 78
*Barſina Alexandri Magni uxor* 461
*Batabaces* 55
*Belli cupidi qui* 333
*Belli ciuilis Cæſariani origo* 414.531
*Bellum Cimbricum & Teutonicum* 49. *ſociale ſiue Marſicum* 67. *Spartacium* 266. *Spartanorum cum Bœotijs* 190
*Berenice uxor Ptolemæi* 5
*Berenicis urbs* 7
*Beſſus Darij interfector* 479. *eius ſupplicium* 480
*Bibliotheca à Sylla Romam Athenis deportata* 143
*Bibulus conſul* 521
*Boiorix Cimbrorum rex* 61
*Bona, Dea* 518
*Bona, Dea feſta ibid.*
*Braſidas* 102.237

M. Brvtvs 687. *bello ciuili Pompeium ſequitur* 689. *Cæſari placatur* 690. *cum Caſſio in gratiam redit* 709. *cum ſocijs ſuis Roma cædis accuſatus* 705. *in Cæſarem excitatur* 553. *Lycios ſubigit* 707. *Roma excedit* 701. *Xanthum*

Vrbem obsidet 707. Xanthum reficit 708
Bruti apparatus bellicus 703. conspirationis in Cæsarē occasio 692. de Antonio Vox fatidica 707. Epistolarum genus 689. genus 687. in L. Pelliam seueritas reprehenditur à Cassio 710. interitus 722. lenitas 718. peccatum quoddam excusatur. ibid. pratura Vrbana 691. pugna altera in campis Philippicis 720. res gestæ in Asia 705. res in Græcia gestæ 703. spectrum 558. studia 688. Victoria aduersus Cæsarem in campis Philippicis 714. Bruto cur fauerit Cæsar 690
Bruto & socijs prouincia decreta 700. Bruto spectrum apparet 711
Bucephala Vrbs 493
Bucephalus equus 449. à barbaris captus recuperatur 480. eius obitus 492
Bulimia quid, & eius causæ 704.
Butes Persa 168

C.

Cabira 196. à Lucullo capta 198.
Cadmia à Spartanis occupatur 358.
Cadmia soror Neoptolemi 6
Cacias Ventus 330
Calanus 494
C. IVLIVS CAESAR 513. à piratis captus 513. Alexiam Vt expugnauerit 531. Arminum occupat 533. Belgas & Neruios domat 526. belli ciuilis initium facit 537. Britanniam ingreditur 528. & subigit ibidem. Calphurniam ducit 521. Catilinaria coniurationis suspectus 517. Colonias deducit 549. contra Scipionem & Catonem in Africam ducit 546. in Africa tria hostium castra capit 547. in senatu trucidatur 555. 698. Ionium mare traÿcit 537. leges agrarias promulgat 521. Marij propinquus 513. Marianam actionem reficit 516. militum suorum spiritus Vt aluerit 523. 524. Pharnacem Mithridatis F. Vincit 545. Pompeium & Crassum callide reconciliat 521. Pontificatum ambit 517. regni affectati suspectus 551. Rhenum ponte iungit 528. Syllam fugit 513. Victoria moderate Vsus 423. Victus ad Dyrrachium 539
Cæsaris accusationes 514. acta in consulatu 522. as alienum 516. actiones & postulata in senatu 414. anni correctio 550. Anticato 547. audax facinus 538. audacia in periculis obeundis 523. bellum contra Germanos 525. eadem quæ præcesserint prodigia 553. calliditatem primus Cicero deprehendit 515. celeritas in rebus conficiendis

dis 530. clades in Africa 546. clementia 549. conatus noui post bellum ciuile 550. coniunx Cornelia, Cinnæ filia 513. coniunx tertia Pompeia 516. consulatus primus 521.409. consulatus secundus, & dictatura 537. consulatus tertius, & altera dictatura 545. cum Pompeio & Crasso cõsilia 527. difficultates bello Alexandrino 545. exercitia 524. frugalitas. ibid. gesta in Gallia 522. gesta in Hispania 520. gratia apud populum 515. iniuria in tribb. pleb. 552. in Domitium clementia 536. largitiones 418. legati in Gallia violati 529. morbus 524 oratio qualis 515. principatus cupiditas 520. pugna memorabilis cum Gallis, ad Alexiam 531. pugna cum Neruijs periculosa 526. quæstura 515. rerum gestarum gloria 522. Roma potiti acta 536. techna, quibus Pompeium euertit 412. tribunatus militaris 516. triumphi 548. triumphus de Pompeio inuidiosus 548. victoria ad Pharsala 543. victoria de Heluetijs 628. victoria de Germanis 525. victoria de Pompeio iuuore 548. victoria in Africa de Scipione 547 vltio 557
Cæsari dictatura honorescq; decreti 549. Gallia in quinquennium decreta 521
de Cæsare querela 545. de Cæsare dictum Syllæ 513
in Cæsarem conspiratio 553. in Cæsaris funere tumultus 557 in Cæsarem iniuriæ cõsulum Romanorum 532. in Cæsarem conspirationis locus & tempus 696. post Cæsaris necem tumultus 699
L. Cæsar 637
L. Cæsar proscriptus 122. 123.
Cæsar Octauianus insomnio seruatus 715. Romã se confert 701.
Cæsaris Octauiani consulatus 705
Cæsario 545
Cæsarianorum penuria ad Dyrrachium 538. in bello Africano 546. militum virtus 523.
Calanus ad Alexandrum proficiscitur 455. seipsum cremauit 498
Calani imago regni 495
Callicrates 246
Callicratidas ad Argimisas vincitur 93. Spartanus Cyri auxilium frustrà implorat 92
Callicratidæ ingenium & facta 91
Callimedon Carabus 584
Callipedes 356
Callipus Athenienſis 658.665
Callipi exitus 152. in Dionem insidiæ 681
Callisthenes 152. Alexandrum consolatur 486

*Callisthenis libertas dicendi* 486
*de Callisthene dictum Aristotelis* 487
*in Callisthenem odia, eiusq; interitus* 486.487
*Callibius* 100
*Camulatus* 720
*Canathra quid* 355
*Caphis Phocensis* 131
*Capitolium conflagrat* 144
*Carbo rerum potitus* 378. *eius interitus* 381
*Cardia oppidum* 300
*Carmania* 496
*Carnutes* 529
*Carræ Urbs* 285
*Carthaginem à Cæsare colonia deducta* 549
*Casander ab Alexandro male tractatus* 501
*Cassius Bruto se iungit* 706
*Cassius, Crassi legatus bello Parthico* 355. *à clade Parthica in Syriam euadit* 286. *Rhodum capit* 707
*Cassij in Cæsarem odium* 692. *interitus* 716
*Cassius Scæua, Cæsarianus miles* 523
*Catilinæ coniuratio* 271
CATO VTICENSIS 592. *à Pompeio in honore habitus* 600. *à suis destitutus* 633. *Africam petens Scipioni se adiungit* 630. *amans fratris* 594. *Athenodorum Philosophum adsciscit* 597. *Atiliam ducit* 596. *Cæsaris consilia detegit* 626. *Catilinarias Ciceronis actiones cõfirmat* 606. *Deiotari dona spernit* 600. *consulatum frustra petit* 625. *Clodij tribunatum defendit* 618. *in carcerem duci iussus* 614. *in Cyprum amandatus. ibidem. leges agrarias impugnat* 613. *libros rationum amittit* 617. *Marciam Uxorem Hortensio tradit* 608. *Marciam recipit* 627. *Memmio resistit* 611. *Murenam ambitus postulat* 605. *Pompeij affinitatem respuit* 611. *Pompeij postulata infringit. ibid. Pompeio consulatum absque collega defert* 624. *Pompeio Uaticinatur* 620. *Pompeium notat* 622. *Praturam frustra petit* 619. *respublica Ut nocuerit* 563. *reprehenditur* 611. *sesipsum interficit* 639. *Trebonij legem oppugnat* 620. *tribunus plebis contra Metellum creatus* 605. *Ut fratris mortem tulerit* 598. *Uticam munit & defendit* 630
*Catonis acta bello ciuili* 627. *acta in Africa* 630. *actiones contra Metellum Nepotem* 608. *autoritas* 604. *casus ridiculus* 599. *constantia* 593. *contra ambitum acta* 621. *cum Munatio dissensio* 616. *cum Ptolemæo rege colloquium* 615. *dictum de coitione Cæsaris & Pompeij* 409. *exercitatio corporis* 595 *fides*

*fides in suos* 635. *obitus in pugna Philippica* 720. *F. Vita & mors* 640. *Flaminium & frugalitas* 594. *fortitudo rebus euersis* 631 *genus* 709. *ingenium & educatio* 592. *institutum* 603. *interitus* 547. *libros rationum amittit* 617. *magnanimitas* 636. *matrimonium* 596 *odium in tyrannos* 594. *oratio qualis* 595. *oratio Vticæ ad milites habita* 632. *peregrinatio* 598. *potatio* 595. *prætura* 621. *quæstura* 601. *res militiæ gestæ* 596. *secundæ nuptiæ* 607. *sorores impudicæ. ibid.* Vltima cœna 637

*Catoni honores habiti* 618

*Celænæ Vrbs* 307.308

*Censorini mors* 283

*Cenchreæ* 289

*Censores, M. Crassus & Lutatius Catulus* 271

*Ceraunij montes* 580

*Ceramos* 100

*Cercina insula* 74

*Cephisodorus* 574

*Cerua Sertorij* 325

*Cicero pacificationi studet inter Cæsarem & Pompeium* 419.533

*Ciceronis iudicium de Pompeij fuga* 421

*Ciceronis filij laus* 706

*Q. Cicero à Gallis oppugnatus, à Cæsare seruatur* 529

*Cimber quidam Marium necare non ausus* 72

*Cimbri* Victi & deleti *à Mario & Catulo* 62

*Cimbricum bellum* 50

*Cimbrorum & Teutonum in Italiam expeditio* 49

*Cimbrorum ferocia* 59

*Cimbrorum origo* 69.50

Cimon 163. *Athenas Vrbem munit & ornat* 175. *causam dicit* 175. *Cherronesum capit. ibid. Lacedæmonijs suppetias fert* 178. *Spartanorum studiosus* 177. *ostracismo eijcitur Vrbe* 178. *pacem inter Vrbes constituit* 179. *quibus rebus Lucullo superior* 225. *regionem ad Strymona fluuium occupat* 168. *reuocatur* 179. *Scyrum insulam capit* 169. *Thesei reliquias ex insula Scyro reportat. ibidem.* Vt se *ad Rempublicam contulerit* 167

*Cimon & Lysander quæ communia habuerint* 165

*Cimonis ab exilio reditus* 179. *columnæ ad Strymonem fluuium* 168. *cum rege Persarum pacificatio* 176. *forma* 167. *genus* 165. *ingenium* 166. *integritas & optimatum studium* 172. *liberalitas* 171. *monumenta* 181. *mors* 180. *Musica* 170. *puericia* 165. *res gestæ bello Medico* 167. *res in Asia bene gestæ* 173. *strategema in partitione prædæ* 170. *Victoria ad Eurymedonem*

*dontem* 174
*Cinna consul peierat* 129
*Cinnæ exitus* 378
*Cinna quidam nominis errore à populo occisus* 701
*Cissusa fons* 110
*Clades Leuctrica* 362
*Claudius Marcellus* 57
*Cleombrotus cum exercitu contra Thebanos missus ad Leuctra* 362
*Cleon Halicarnasseus* 108.354
*Cleon homo malus* 231. *Niciæ aduersarius* 235. *Pylum capit* *ibid.*
*Cleonis proteruitas* 236
*Cleonymus Spartanus bellum patriæ infert* 27. *Pyrrhum euocat* 111
*Cleopatra à Cæsare restituitur* 544.
*Cleophanes* 570
*Clitus Alexandrum seruat* 457
*Cliti cædes* 484. *& eam insequuta Alexandri pœnitentia* 485
*Clodij flagitia* 518. *tribunatus pleb.* 614
*Clodius à Spartaco profligatur* 267. *sacra Bonæ Deæ profanat* 519
*P. Clodius Fimbrianos milites corrumpit* 214
*Clodones* 446
*Colloquium Ageſilai & Pharnabazi* 350. *Ageſilai & Lyſandri* 346. 107. *Archelai & Sullæ* 140. *Bruti & Caſſij* 694.713.714. *Catonis & Ptolemæi regis* 615. *Eumenis & Antigoni* 309. *Luculli & Pompeij* 216.397
*Comam alere Lycurgus cur inſtituerit* 89
*Conon ad Ægos Potamos victus à Lyſandro* 96
*Conſules: Cæſar & Bibulus* 409.521. *Domitius & Meſſala* 415. *Lepidus & Catulus* 385. *Lucullus & M. Cotta* 187. *Pompeius & Craſſus* 389. 270. *Pompeius & Craſſus iterum* 273. 413. *Pompeius ſolus* 415
*Contentiones in ciuitate antiquæ* 344
*Coponius* 285
*Coracesium* 395
*Confinium* 535
*Corinthũ à Cæſare colonia deducta* 549
*Corneliæ, Pompeij uxoris, virtutes & ſtudia* 416. *queſtus ad fugitiuum maritum* 430.
*Cornutus à ſeruo ſeruatus* 77
*Coſis* 401
*Cotys R.* 348
*Cotta coſ. à Mithridate uincitur* 190
M. CRASSVS 260. *ab Artabazo confirmatur ad bellum* 276. *præmonetur ab eodem* 278. *bellum Parthicum ambit* 273. *Catilinaria coniurationis ſuſpectus* 271. *conſul cum Pompeio* 270. *conſul iterum cum Pompeio* 273. *cum Cæſare & Pompeio coniurat* 271.

*dux*

dux contra Spartacum mittitur 267. Mariũ fugit 262. quibus in rebus Nicia inferior 291. in Parthos copias ducit 279. & periculum Marianum euaserit 263. & se Sylla adiunxerit 264.
Crassi acta bello Parthico 274. apud Parthos interfecti nuncius 414. auaricia & ratio quaestus 260. cupido belli Parthici excusatur 293. diuitiæ 290. genus 260. in misertis animus 284. magnanimitas 292. militum fuga Carras 284. moderatio animi in æmulatione 265. Ouatio 270. res gestæ bello Mariano 264. seruorum cura 261. spelũca 263. studia 262. Victoriæ de Spartaco 269.
Crassi & Pompeij æmulatio 264. reconciliatio. 270.
in Crassum Andromachi perfidia 286. Deiotari dictum 274. dolus Ariamnis Arabis 277. Surenæ dolus 286. eiusdem alius dolus 287. Vibij Pacaci humanitas 262.
P. Crassus, M. filius 324. eius interitus 283.
C. Crastinus, Cæsarianus miles 427. eius fortitudo 542.
Crateri autoritas 304. interitus 306.
Crateſiclea 191.
Cratippus Peripateticus 430.
Cratippi cum Pompeio de prouidentia disputatio ibid.
Curio trib. pl. 418. Cæsaris causam agit ibid.
M. Curius consul Pyrrhum vincit 25
Cylarabis 32.
Cyneas Thessalus orator 17. legatus Romam missus 18. eius cum Pyrrho colloquium 16. de Romanis iudicium 19. 20.
Cyri maioris sepulchrum 498.
Cyri minoris in Lysandrum studia 94
Cyrnus fl. 480. 400. 401.

D.

Damagoras 186
damonis Charonensis historia 163.
darius vincitur ad Gangamela 471. ad Issum 552. darii copiæ & somnium 460. cum Treo colloquium 468. interitus 479. postulata 468. votum 469.
dascylitis palus 191
decimatio militum 268
deiotarus Rex 598
deiotari in Crassum dictũ 274
demades cum Phocione confertur 562
demadis dictum ibid. interitus 581. de demade dictum Antipatri ibid.
demanetus 452.
demarathus Corinthius 452. 475. 489.
demetrii Poliorcetæ lasciuia 166.
demetrius Põpeii libertus 599. eius fastus 404
demoleon 203
demonax 191

Demosthenes Athenienſium dux in Siciliam miſſus 248. Demosthenis temeritate clades accepta 249
diopethes 106
dercyllus 582
desertorum pœna apud Spartanos 363
diana Epheſina templum combuſtum 448
DICTA ſeu Apophthegmata: Ageſilai 352.357. Licinij de Craſſo 266. Luculli 208. Phocionis 569. Pompeij 384
diluuium 3
DIO 648. à Syracuſanis reuocatur 674. cum ſuis vrbe pulſus 672. deportatur 656. Dionyſium filium ad philoſophiam hortatur 654. in Siciliam expeditionem parat 662. necatur 683. Syracuſas recipit & liberat 666. Syracuſas ſecundo recuperat 676
Dionis clementia in inimicos 677. fortitudo & victoria 667. in dicendo libertas 651. in Græcia vita 658. liberalitas 680. vita 653
Dionis vxor adempta 660. in Dionem inſidiæ Soſidis 669. in Dionem Syracuſanorum ingratitudo 668
diodorus 324
Diogenis magnanimitas 455
Dionyſij prioris liberi 652. mors ibidem. nuptiæ 650. temeritas & ſolliciſtudo 653
Dionyſij iunioris epiſtola ad Dionem inſidioſa 668. mollities 652
Dionyſius iunior Dioni inſidiatur 666. Syracuſis aufugit 671
diphridas 353
dropithes Gates 343
Diuinationis obſeruatio duos Romanos duces alterum ſeruauit, alterum perdidit 74
dolopes 196
domitij interitus 383
domitius 535. conſulatum fruſtra petit 272.619
domitius Aenobarbus 426
domitius Caluinus 426.541
dorylaus 198
dorylaus dux Mithridaticus, cõtra Syllam miſſus 139
ducis exemplum 46. præſentia 196
dyme vrbs 395

## E.

Echecratides 574
edylius mons 136
eion vrbs 168
elpinice Cimonis ſoror impudica 166
empylus 688
epaminonda in Laconicam impreſsio 364. in Laconicam irruptio altera 367. mors 368. oratio Sparta 361
epaphroditus 150
epicuri ſecta & dogma 20

epistola Agesilai ad Hydrieum carem 351. Alexandri ad Aristotelem 450. Alexandri ad Leonydem pædagogum 465. Aristotelis ad Alexandrum 450. Bruti ad Ciceronem obsurgatoria 700.701. Bruti ad Patarenses 689. Bruti ad Pergamenos 688. Bruti ad Xanthios. ibid. Dionysii ad Dionem 668. C. Fabritij ad Pyrrhum 21. Lysandri ad Ephoros de captis Athenis 99
eualcus 31
eudemus Cyprius Philosophus 661
Evmenes 300. à suis captus Antigono traditur 315. ab Antigono obsidetur 310. Antigono elabitur 311. Antigonum vincit 312. Craterum & Neoptolemum superatos interimit 306. hostis iudicatus 307. victus ab Antigono 308. vincit Neoptolemum 304. vt regibus Macedoniæ acceptus fuerit 300
Eumeni Cappadocia obuenit 302
Eumenis cum Antigono colloquium 309. cum Hephæstione simultates 301. genus. ibid. mors & vltio 316. strategema 314. vxor 301
in Eumenem insidiæ suorum 314. militum amor 307
euphrates fl. 205
euphronius 155
Euripidis carminibus multi Athenienſium capti in Sicilia liberati 256
eurytionidæ 108.109
euryclis decretum in captos Athenienses 255
eurylochus Aegeus 478
eurymedon 246
eurypus fl. 191
euthippus 178

F.

Fabia Terentia 603
Fabius Rullus cur Maximus appellatus 384
Fabricius legatus ad Pyrrhum missus 20. insidias contra Pyrrhum factas ipsi detegit 21
fabricij magnanimitas 20
fannia 71.72
fauonius 419.619.427
M. Fauonius, Catonis imitator 709.710
faustus, Syllæ F. 406
fimbria Mithridatem obsidet 185
Flora meretrix, Pompeio familiaris 376
fortunata insulæ 323
fraudis securi qui 370

G.

Gabinius 393.410
gæsilus Spartanus 678
gallorum à Cæsare defectio 528.
auaritia 27
gangis Fl. latitudo 493
gaza vrbs 465
gedrosia 496
gelæ 401

gelo

gelo R. 6.
germania 49.
germanorum equitum Virtus in bello Parthico 282.
germanorum strages ingens à Cæsare accepta 632. eorundē à Cæsare 528
germanoscytha 49
gymnosophistæ 495
gymnosophistis Alexander decem quæstiones proponit. ibid.
glaucia rex 4.
glaucus 570.
gomphi oppidum 540
gongylus Corinthius 247. eius interitus ibid.
gordÿ currus 458
gordyenorum in Lucullum beneuolentia 210.211
gracorum strages ad cranonem 578.
granicum fl. 456.
granius Petro Cæsarianus miles 523.
gylippi victoria de Atheniensibus 248.252
gylippus auxilio Cæsarianis venit 246. furti conuictus Sparta eicitur 100. obsordes à Syracusanis contemtus 255
gyrtani 319

H.

Halicarnassus ab Alexandro capta 457
harpali ab Alexandro defectio 478
hecataus 302
heduorum à Romanis defectio 530
helenus, Pyrrhi filius 9
helico Cyzicenus 660
helicon 471
heluetii à Cæsare victi 525
hephæstionis mors & splendida sepultura 609
hephæstionis & craterī dissidium 500
heraclea 8.9
heraclida 108
heraclidas 668. 677. desciscit à Dione 678
heraclida infidelitas in Dionē 678. in Dionem iniuria. 668 exitus 598
herculis obitus fabulosus 502
herippides Spartanus 349
herma, Mercurii statua, Athenis euersa 241
hermagoras 406
hermocrates 650. Syracusanus dux 253.255
hermolai insidiæ in Alexandrū 488
hesychia Dea 242
hiarbas R. captus à Pompeio 383
hiempsal R. Numidiæ ibid.
hiempsalis in Marium infidelitas 74
hiero Nicianus 216
hipparchus Cholargensis 240
hipparinus 667.668
hippias 3
hippomachus alipta 649
homeri natales 318
de Homero, Alexandri iudicium 456
homines quomodo domandi 395

*hominum præstãtium Vitia vel naui quomodo habendi* 165
*hoplitas* 112
*hortensius Martiam Catonis Vxorẽ ducit* 608. *necatus ab Antonio ad tumulum fratris* 705
*hybla oppidum* 243
*hyccara oppidum* 244
*hydaspes fl.* 491
*hyperbolus ostracismo ciuitate pulsus* 240. *in Hyperbolo ostracismi pœna desiit ibid.*
*hyphæus mons* 144
*hypsæus* 416
*hypsicratea, pellex Mithridatis* 399
*hircania* 480

I.

*Iapygia* 15
*Iason* 165
*iberi* 401
*iberia ibid.*
*ignatius* 285
*ilium quoties & quomodo captum* 318
*impetus pugnantium non retundendus* 426
*indianorum trans Gangem copiæ contra Alexandrum* 493
*inora castellum* 399
*insulæ fortunatæ* 323
*iphicratis Victoria de Spartanis* 357
*isidas* 367
*isomantus* 112
*issorium* 364
*isthmia* 356
*iuba Numidiæ rex* 630
*iuba R. Historicus & eius maores* 324
*iugurtha interitus* 51
*iuliæ Cæsaris F. mors* 528. *in Põpeium maritum amor* 414
*iunius Brutus* 687
*iuppiter Areus* 6
*iusiurandum magnum apud Syracusanos quid.* 682

L.

*Lacratidas* 113
*Lauinus cos. contra Pyrrhum missus* 16. *a Pyrrho victus* 17
*laidis meretricis ortus* 244
*lamachus, belli Siculi dux* 243
*lamachi interitus* 246
*lampontus* 146
*lanassa Pyrrhi Vxor ad Demetrium deficit* 10
*larymna* 143
*lauron Vrbs* 331
*leges qui facile accipiant* 184
*leges populi* 401
*lex agraria* 64. 410
*lebadia* 135
*lentulus Batiatus* 266
*leo Byzantinus* 250
*leonidas* 449
*leonnatus* 302. 578
*leonnatus Macedo* 17
*leosthenes* 576
*leotychidas Agidis F.* 105. 106. *pro spurio habitus* 342
*lepidi cos. seditio & exitus* 386
*leptines* 654. 655
*liberalia* 548
*lichas Spartanus* 171
*licinia Vestalis* 260
*licinius* 266

C. Ligarius in Cæsarem ingratus 694
ligures 56
limnæus 494
limnus Macedo 498
liris fl. 71
lucretius Ofella 147
lucretij Ofellæ interitus 150
lucullia 203
M. LVCVLLVS 183. lucilli bibliotheca 221. consulatus & belli Mithridatici ambitio 187. contra Tigranē expeditio 204. cū Pompeio congressus 316. de Tigranæ victoriæ 206. dictum 208. eruditio 184. facundia 183. fortuna & mutata 214. fratres à Mēmio accusati 217. genus 183. in Amisenses miseratio 200. in Asianos æquitas 187. in ciues amor 190. in fratrem beneuolentia 184. in patrem pietas 183. laus 210. luxus 219. matrimonium 218. militum tumultus 213. militum contumacia 211. obitus & funus 222. philosophia 221. pugna cum Tigrane memorabilis 208. triumphus 217. victoria de Tigrane memorabilis 209. Lucullo insidiatur Olthacus 197. Lucullo Pompeius succedit 216
Lucullus Ægyptum ingreditur 185. à militibus deseritur 215. Amisum urbem capit 200. Asiam recreat 200. Cethegi operam prouinciam Ciliciam sortitur 188. Cyrenæorū remp. constituit 201. Euphratem traijcit 205. Fimbrianos milites corrigit 189. Mithridatem è manib. Fimbriæ euadere patitur 186. Mithridatis copias cædit ad Granicum 192. ad Rhyndacum. ibid. Mithridatē persequitur 194. Mitylenæos vincit 187. Nisibin urbem capit 213. nomismata cudendo præfectus 184. ocio & voluptatibus se dedit 218. Parthicum bellum molitur 211. Pompeio se opponit 222. quibus reb. Cimonem præstet 225. Sinopem capit 203. Sylla legatus bello Mithridatico 184. Tigranem iterum vincit 212. Tigranocerta obsidet 206. capit 210. & milites offenderit 214. Luculli somnus insidijs Olthaci eripit 197. in Lucullum tribb. pl. calumnia 214
lucullus, Ciceronis liber 221
lunæ defectus 470. 662
lupercalia 551 552
lutatius Catulus 516. 601
lycon Scarphensis 468
lycophron 235
Lycurgus cur aureum nomisma Spartanis interdixerit 101
lycurgus rhetor 650
lycus fl. 196
lygdamis 50
LYSANDER 88. ab Agesilao in Asia & habitus 107. 346 à Pharnabazo deceptus 304. à regijs familijs regnū transferre conatus 108. à Thebanis in-

nis interfectus 111. classis præfectus quæ cum Cyro egerit 90 classi iterũ præfectus 93. Dionysii tyranni donare cusat 89. Ephesũ exornat 90. Lampsacum capit 94. pecuniæ abstinens patriã ditat 89
Lysandri consilia à morte eius detecta 113. contra Thebanos expeditio 110. crudelitas 102. cum Agesilao colloquiũ & expostulatio 107. dictum 93 dicta quædam 105. effigies 88. filiarum nuptiæ 113. genius 89. gloria & fastus 102. in Milesios crudelitas ibid. interitus 111. malignitas & arrogantia 92. mors indigna 156. navalis victoria contra Alcibiadis legatos 91. paupertas 113. peccata 154. penuria 94. sepulcrum 111. versutia & perfidia 93. victoria de Atheniensibus ad Ægos potamos 95
Lysimachi techna in Pyrrhum 7
Lysimachus 29. Pyrrhum Macedonia eiecit 12
Lysimachus Alexandri pædagogus 449
Lysippus 447.457

M.

Machares 204
magistratus ambiendi Romanos 531
malli, gens Indiæ 494
mamertini qui dicantur 23
mandricidas 28
manilius 396
C. MARIVS 42. Ambrones & Teuthones profligat 58 capitur & Minturnensib. traditur 71. Catuli gloriã aufert 63. Censurã cur nõ ambierit 66. Cinna se coniungit 74. consul & dux aduersus Iugurthã creatus 47 consulatũ VI. & adeptus 63 Glaucia & Saturnino se adiungit 64. Græcarum literarum contẽtor 43. in Italiam redit 74. in Rep. qualis 63. Metellum circumuenit 64. Mithridaticum bellum ambit 68. pila mutat 60. & milities laboribus duruerit 51
marij ad Mithridatem vox 66. consulatus primus 47. consulatus alter præter leges 50. consulatus tertius 52. consulatus quartus 62. consulatus quintus 59. consulatus septimus 78. cum Sylla odia 67. errores & pericula 69. delirium 79. facies 43 genus & patria 43. gesta bello iugurthino 46. in bello sociali segnities 67. in Metellum iniuria 47. iustitia 52. militia prima 43. perfidia in senatũ & socios suos 65 prætura & ambitus iudicio 45. repulsa in Sinuessa Ædilitate 45. strategema 53. tolerantia 46. trepidatio & mors 78 triumphus de Cimbris 63. triumphus de Iugurtha 50. vxor 45
de Mario, Scipionis testimonium 44. Mariana cædes 76
C. Marij

*C.Marij iunioris fuga* 69. *interitus* 80
*Marius Sertorij legatus* 336
*martha fatidica mulier* 54
*maurusia* 322
*maximi apud Romanos appellati qui* 384
*macaus* 471
*medea venenum* 473
*megabacchus* 282
*megabacchi mors* 283
*megabates* 349. *ab Agesilao adamatus ibid.*
*megacles* 666. *Pyrrhi habitu indutus sternitur in pugna* 17
*megara* 3
*melanthius* 574
*melas fl.* 139
*menda* 294
*Meninx insulæ* 73
*menon Thessalus* 3
*mensis intercalaris, qui & mercedonius* 550
*Meryllus* 580
*messulæ libertas* 722
*messena à Thebanis instauratur* 366
*metella, Syllæ uxor, moritur* 151
*metelli constantia* 64. *difficultates bello Sertoriano* 326. *exilium* 65. *in Syllã παῤῥησία* 148
*Metellus Nepos* 604. *contra Metellum Nepotem actiones* 680
*Metellus Pius* 262. *per se inuictus, per legatos clades aliquot accepit* 331. *perfidia Maritis circumuentus* 64
*meton Astrologus* 242
*meto Tarentinus* 13
*metrobius* 121
*metrobius histrio* 151
*metrodorus Scepsius à Mithridate interficitur* 203
*micio* 577
*mieza* 450
*miletus ab Alexandro subacta* 457
*miltas Thessalus uates* 661
*mimallones* 446
*minerua Itonia* 354
*minoa oppidum* 664
*mithridates a T.grane recipitur* 202. *Cottam uincit* 190. *nocturna pugna à Pompeio uictus* 399. *Cyzicum obsidet* 215
*mithridatis apparatus in Lucullum* 189. *clades ad Granicũ* 193. *clades ad Rhyndacũ* 192. *de Luculli legatis uictoria* 215. *fuga ex Bithynia* 194. *in suos crudelitas* 198. *mors* 405. *pellices* 402. *secreta litera* 402. *sororum & uxorum interitus* 198. *successus* 129. *uictoria equestris* 196
*Mithridatem obsidet Fimbria* 185.
*Mithridates Artobarzanis filius* 72
*mithrobarzanes* 206
*mitylene* 406
*molossus* 574
*molus amnis* 138
*moneta Spartæ qualiter signata* 100

*monima,*

*monima, Mithridatis vxor, virtus & interitus* 199
*monophthalmi* 319
*morbo pediculari qui extincti* 152
*mulieris Thebanæ virtus* 454
*mulierum Spartanarum fortitudo* 28
*munda oppidum* 548
*murena ambitus à Catone postulatus* 605. *legatus Luculli* 201
*mygdonia* 213
*myrtilus* 6

N.

*Naphtha bituminis genus, & eius mirabiles effectus* 473
*Naucrates orator* 707
*neander* 3
*nectanabis Aegyptiorex* 369
*neleus Scepsius* 143
*neoptolemi insidiæ in Pyrrhum deteguntur* 6
*neoptolemus* 3
*neoptolemus vincitur ab Eumene* 304
*neruij à Cæsare domantur* 526
*nicanor* 315.582
*niceratus* 102
*NICIAS* 230. *dux belli in Siciliam missus* 242. *supplex fit Gylippo* 254. *vt in Rep. Versatus* 231
*nicia æquales* 231. *cum Alcibiade de ostracismo certamen* 240. *cunctatio reprehenditur* 244. *deliberatio de relinquenda Sicilia* 250. *ingenium* 231. *liberalitas* 232. *obitus* 256. *pacificatio cum Græcis* 237. *pacificationem Alcibiades irritã facit* 238. *res gestæ ante expeditionem Siculam* 235. *Strategema* 244. *superstitio* 232. *timiditas* 233. 242. *victoria de Syracusanis* 244
*nicocreon* 468
*niconidas* 192
*nicopolis vrbs* 148
*niphates mons* 470
*nisæa insula* 235
*nisibis vrbs* 213
*nobilitas generis virtute inferior* 154
*noctua Nomismatis signum* 100
*de Nominibus Romanorum* 42
*nomisma Luculleum* 184
*norbanus* 711
*norbanus cos.* 144
*numerius* 421
*nymphæa* 7
*nymphæum* 143
*nypsius Syracusas capit* 673
*nyssa Mithridatis soror* 198

O.

*Obeliscus quid* 101
*Obulus quid.* *ibid.*
*octauij cos. segnities & interitus* 74
*octauij, Crassi legati, interitus* 288
*oculo altero ex præstantissimis ducibus qui caruerint* 320
*olorus rex Thraciæ* 165
*olthacus Lucullo insidiatur* 196 197
*olympiadis draco* 446
*omen Bruto aduersũ* 711. *Crasso oblatum ante cladem Parthicam*

thicam 275. Luculło oblatum 205
onesicritus Philosophus qualis 495. ad Gymnosophistas mittitur. ibid.
onatus Aurelius 270
opheltas 163
oplacus Frentanus 17
oraculum Alexandro datum 455.458. Alexandro in Aegypto datum 467. Athenien sibus de capta Sicilia 241. de Scipionibus Africa victorib. 546. Lysandro 112. Spartanis de claudo rege cauendo 343
oratio Appij Caci, qua pacem cum Pyrrho dissuadet 19. Catonis Vtica habita ad milites 632. Crassi ad milites, pugna Parthica 284. Dionis ad milites Peloponnesios Leontij 674
orpheistatua sudat 455
orodes rex 277
orodis exitus 209
oromasdes 469
osca vrbs 328
ostenta facta Alexandro ante obitum 500. Alexandro ante expeditionem Indicam 489. Bruto aduersa 719. Dioni 662.682. Mario 72. Pyrrho 32. Sylla factum 144. Crasso aduersa ante cladem Parthicam 276. Cæsari 541. Cassio infausta ante cladem Philippicã 714. Cizycenis obsessis, vacca ad sacrificium sese sistit 192. Cimoni facta 179. Pompeio ante pugnam Pharsalicam 425
ostracismus quale supplicium 240
ostracismo qui primus & vltimus punitus sit 240
oxus fl. 489

P.

Pandosia 16
Panopea 135
pantauchus à Pyrrho victus 8
parmenionis culpa 472. interitus 483
parthorum agilitas in bellis 281. cum Crasso conflictus & victoria 280. legatio ad Crassum 275
pasicrates Solensis 468
pasis amnis 401
pasitygris fl. 312
passaron 6
patara vrbs 708
pausaniæ exilium 112
pausaniæ Spartæ R. flagitia 168
pax Antalcidica 358
pax Græcorum, à pugna Mantinea 368
pedalion 203
peditius 429
perdicca 503
perdicca interitus 307
perdicca Eumenes se adiungit 303
peripoltas 163
perpenna se Sertorio adiungit 328. victus necatur 338
perpenna in Sertorium coniuratio 336
perseuerantia vi efficacior 329
perseus 165
perra, vrbs Arabiæ 485. 403. 405
peucestas 494

*pexodotus* 452
*phœbidæ facinus* 358
*phædo Platonis* 638
*phaeton* 3
*phænarete* 6
*pherecydes* 152
*pharmacusa insula* 513
*pharnaces à Cæsare victus* 545
*pharsalica pugna* 426
*pharus insula* 465
*phaselis* 173
*phayllus athleta* 473
*pherecles* 108
*pherendates* 173
*philippi regis felicitas* 447
*philippius à Pausania interfectus* 452
*philippus Monoculus* 446
*philippus Acarnã medicus* 459
*philistus* 655
*philisti interitus* 670
*philo Academicus* 221
*philocles Atheniensium dux trucidatus* 97.98
*philoxenus* 461
*philotas cur ab Alexandro necatus* 482
*phliarus* 112
*plhogeus* 203
PHOCION 562. *ad Antipatrum legatus* 578. *Alexandrum Athenien sib. placat* 573. *Atticam Lamiaco bello defendit* 577. *Byzantium seruat* 571 *Chabria studiosus* 566. *dona spernit* 581. *Euboeam liberat* 569. *Harpali munera contemnit* 575. *Megarenses seruat* 571. *pacem cum Antipatro facit* 579. *pacem cum Philippo suadet* 581. *proditionis accusatur* 583. *pecuniam spernit* 573. *rei capitalis damnatur* 584. *vt Boni nomen inuenerit* 568. *vt Remp. gesserit* 566
*phocionis aliquot præclara dicta* 567. *dictum* 565. *filius* 574. *genus* 564. *mors & sepultura* 585. *mores* 564. *oratio qualis* 565. *patientia* 585. *victoria ad Euboeam insulam* 589. *victoria de Micione Macedone* 578. *vxores* 574
*phocus, Phocionis filius* 574. 586
*photinus eunuchus* 430. *Cæsari insidias tendit* 545. *eius exitus* 545
*phraates rex Parthorum* 400
*phyllij virtus* 29
*physice Atheniensibus inuisa* 251
*pila mutat Marius* 60
*pindarus, Cassij libertus* 716
*pindarus fluuius* 460
*pisandri interitus* 353
*pisidæ* 458
*puyusa* 265
*plato moriturus fortunam suã prædicat* 79
*platonis aduentus primus in Siciliam* 650. *aduentus in Siciliam secundus* 655. *aduentus in Siciliam tertius* 659. *dictum* 43. *sententia* 102. *Philosophia* 640
*plemmirium oppidum pagina* 248

*pluuia cur post magna prælia immodica decidant* 58
*pollis Lacedæmonius* 651
*polycratis periuria* 93
*polygonus pictor* 166
*polysperchon* 698
*polysperchontis insidiæ in Phocionem* 582
*polyxenius* 661
*pomaxathres M. Crassum interficit* 289.290
POMPEIVS MAGNVS 375
*ad Sertorianum bellum mittitur* 387. *Aemiliam Syllæ F. ducit* 381. *Albanos vincit* 400. *Athenas venit* 394. *Antistiam ducit.* 377. *Antistiā dimittit* 381. *bellum Mithridaticum suscipit* 396. *Brutū occidit* 386. *Catonis affinitatem frustra petit* 407. *censetur* 390. *Ciceronis reditum promouet* 411. *Clodio addictus* 409. *contra piratas mittitur* 392. *dux contra Cæsarē creatur* 419. *consul II.* 413 *consul solus* 415. *contra Sertorium missus* 330. *Corneliā ducit* 416. *Crasso recōciliatur* 391. *Iberos vincit* 402. *in Africam contra Domitiū mittitur* 382. *indicia vt exercuerit* 416. *Iuliam ducit* 410. *Luculli actiones rescindere conatur* 408. *Magnus salutatus à Sylla* 384. *Muciam coniugem dimittit* 406. *Metello victoriam Creticā præripere conatur* 397. *Mithridatem persequitur* 400. *nocturna pugna mithridatem vincit* 399. *peculatus accusatus causam dicit* 378. *Perpennam prælio vincit* 369. *populo se subtrahit* 391. *rei frumentariæ præfectus* 411. *Romā cedit* 420. *Spartacios delet* 389. *spectacula Romæ edit* 413. *Syllæ gener* 380. *Syriam & Iudæam subigit* 403. *vt ad Syllam se contulerit* 378. *vt bellum piraticum confecerit* 394
*Pompeÿ aduentus in Aegyptū* 432. *aquanimitas* 377. *ambitio* 395. *amor populi* 389. *apparatus & copiæ in Cæsarē* 422. *calamitas à fuga Pharsalica* 429. *consuetudo cum Flora meretrice* 376 *consulatus cum Crasso* 389. *cum Lucullo congressus & colloquium* 397. *dictum de Syllæ potentia decrescēte* 384. *exitus tragicus & miser* 433. *sepultura* 434. *frugalitas* 376. *fuga & trepidatio sub bellum ciuile* 535. *fuga in pugna Pharsalica* 428. *iactantia* 414. *clemētia* 436. *inhumanitas in Q. Valerium* 381. *in patrem pietas* 377. *morbus* 417. *mores & vultus* 375. *pater ibid. peccatum* 403. *peccatū in acie Pharsalica* 426. *prudentia* 338. 389. *reditus Romam* 407. *reprehēsio* 437. *res contra Sertorium gestæ* 387. *res gestæ bello Syllano* 379. *simulatio* 397. *triūphus primus*

*primus* 384. *triumphus alter* 300. *triumphus tertius* 402. Victoria de bello Mithridatico 400. 401. Victoria de Cæsare, & eius consilia 423 Victoria de Domitio in Africa 383. Victoria in bello Syllano 379. de Pompeij ex Vrbe fuga, scriptorũ iudicia 421
*Pompeio* honores à Sylla habiti 379. *Pompeio* Tigranes fit supplex 400
*Pompeium* Vexat Clodius 411. *in Pompeiũ* amor militũ 383
*pompeianorum* fiducia & importunitas 424. Vanitas 428
*pomponius* à Mithridate captus 196
*popedius Silo* 593
*popilius Lenas* 690. 697
*poristatura* 492
*portia Bruti* Vxoris fortitudo 695
*portia Catonis F.* exitus 604. 723. *in* maritũ affectus 702
*porus India rex* 492
*posidonius* 406
*praxagoras* 417
*prodigia* ante cadẽ Cæsaris 553. Atheniẽsibus facta ante bellum Siculum 241. Duo Vultures exercitum Marij secuti 54. Hasta ignita in cœlo visa, inter se pugnantes. ibid. Lapis de cœlo lapsus 96
*prodigij* interpretatio 131
*prodigium* ante Alexandri in Asiam expeditionem 455. Lucullo contra Marium educente 190
*prouerbium*: Cimmeria tenebra & fabula 50. Fœnum in cornu habet 266. Iacta esto alea 420. Muli Marsani 51. Sacrifica Gratiis 43
*psammonis* dictum memorabile 467
*psyche Marphaditis* Vxor, & ex Vocis ambiguitate iocus 640
*ptolemæi, Pyrrhi* filij, mors 31
*ptolemæus Coraunus* à Gallis cæsus 22
*ptolemæus, F. Pyrrhi* 7
*Pugna*: ad Asculum inter Pyrrhum & Romanos 21. ad Coroneam inter Spartanos & Thebanos 354. ad Granicũ 456. ad Ipsum 5. ad Issum 460. ad Philippos 714. Pharsalica 649. 426. 541. naualis ad Naxum 566. Romanorũ cum Cimbris 56
*pyratæ* à Pompeio domiti 395. eorum potentia & multitudo 391
Pyrrhvs 3. *Alexandro Magno* similis 8. *Antigonã* Ptolemæi filiam ducit 5. Argos euocatur 30. Argos intrat, ibique perit 32. a Tarentinis contra Romanos euocatur 13. a Tarentinis receptus quæ egerit 15. Athenas ingreditur 12. a Demetrio Vincitur 10. barbarum quendam propria manu sternit 25. Demetrio se coniungit 5. è liene laborantibus Vt mederi solitus 5. in Epirum redit 5. in Italiam reuersus à Curio Vincitur 25.

in Siciliam expeditionē mouet 23. Italia pulsus Antigonum Macedonia pellit 26. Macedonia partem sibi adiungit 7. Macedonia regno Demetrio delecto potitur 11. Macedoniam cum Lysimacho partitur 11. Macedonia iterum à Lysimacho exuitur 12. Neoptolemum interficit 6. puer mirabiliter seruatur 4. quietis impatiens 13. regno suo excidit 5. Spartam frustra oppugnat 30. tyrannus factus Siculis excidit 24
pyrrhi bonitas 9. dentes 5. de Romanis altera victoria, sed cruenta 22. de Sicilia Vaticinium 24. expeditio in Italiam 15. experientia militaris 8. filij 9. forma 4. genus 3. in Macedoniam impressio 9. in Spartanos expeditio 27. interitus 34. naufragium 15. plures vxores 9. P. Ptolemæi mors 31. res in Sicilia gesta contra Carthaginenses 23. victoria de Pantaucho 8. victoria de Romanis 18. virtus 17

Q.

Quæstiones decem Gymnosophistis propositæ. 495

R.

Regni cupiditas 12
regni Epirotici origo 3
religionis obseruatio 294
rhadamanthi sepulcrum 111
rhenus fl. 527
ræfaces 172.456
roma capta à Sylla 6
romanorum militia corrupta 131
roscius comœdus 151
roxane, Mithridatis soror 198
roxanes 482
rubicon amnis 419.526.534.
rufinus 120

S.

Saba 494
saculio 718
sacula seu ætates mundi 126
scapha 203
sardes Alexandro se dedunt 457.
saturnini consilia turbulenta 65
satyrus captus 143
scandia 294
scapte Hyle 165
scillustes insula 496
sciraphidas Spartanus 101
scetusa 425
scytalæ Laconica explicatio 103
seductio Cinnana Romæ 74
sempronius Longus cos. 403
septimius, in Pompeium ingratus 431
sequani 530
SERTORIVS 318. à Lusitanis in Hispaniam vocatur 324. alterum oculum amittit 320. barbaros Romana disciplina imbuit 327. ceruam amissam vt receperit 332. Characitanos æstu expugnat 329. Cinnæ se adiungit 320. ex Hispania fugit 322. Lagobritas

*britas obsidione liberat* 327. *Lauronem præsente Pompeio capit* 331. *obsides violat* 336. *et Castulonem ceperit* 320. *et suorum temeritatē repressérit.* 329
*Sertorij amor patriæ & matris* 334. *cerua* 323. *cum Mithridate actio* 335. *de Pompeio victoria ad Sucronem* 332. *exitus* 388. *fuga in Hispaniam* 322. *ingenium* 324. *in Hispania successus & victoriæ* 326. *interitus* 337. *magnanimitas* 334. *moderatio victoriæ* 321. *natales* 319. *res gestæ contra Ascalium R. & Pacciacum* 324. *Strategema* 319. *tyrocinia* 319. *Virtutes. ibid. de Sertorio, Metelli iudicium* 334
*Seruorum Cornuti cuiusdam in dominum suum fides* 76
*Seruilia Catonis soror* 690
*Seruilius Ahala* 688
*Sestus insula* 98
*Sicambri* 528
*Sillaces* 277
*Similitudines casuum & euentuum* 3
*Sinnaca* 287
*Sinope* 203
*Sirus fl.* 16
*Sochares* 168
*Socratis dæmon, Sicula cladis præmonitor* 242
*Solis deliquium* 660
*Solos Vrbs à Pompeio instaurata* 395
*Somnia: Cæsaris obscœnum* 534. *Calpurniæ, Cæsaris Vxoris* 553. *Darij* 458. *Luculli* 240. *Mithridatis* 398. *Peticij cuiusdā de Pompeio* 429. *Philippi Macedonis* 437. *Pōpeij* 425. *Pyrrhi* 11.29
*Sophene* 205
*Sophocles* 243
*Sophoclis & Aeschyli certamen* 170
*Sorex Mimus* 151
*Sparta à Pyrrho obsessa* 27
*Spartæ Vires collapsæ* 366
*Spartaci patria & ingenium* 266
*Spartacii à Pompeio deleti* 389
*Spartaciorum victoriæ* 267
*Spartani cur ab oppugnatione Vrbium abstineant* 155
*Spartanorum bellum cum Bœotiis* 309. *clades ab Iphicrate accepta* 357. *clades ad Leuctra* 362. *magnanimitas à clade Leuctrica* 363
*Sparto* 354
*Spectrum Alexandro oblatum* 501. *Bruto* 558. 711. *Dioni* 682
*de Spectris disputatio Casij* 711. *sententia Plutarchi* 649
*Speusippus* 658
*Sphodrias Piræi expugnationē tentat* 351. *et iudicio sit elapsus* 359
*Spinther, consul* 411
*Spithridates* 107. 349. 456. *ab Agesilao deficit* 349

*Sp. Malius* 688
*Stagira, patria Aristotelis* 450
*Stasicrates artifex* 500
*Statilius* 736
*Statilij exitus* 641.723
*Statira Mithridatis soror* 199
*eius interitus ibid.*
*Statua Phocionis* 586
*de Stellis subito emicantib. narratio* 97
*Sthenis statuarius* 204
*Sthenidis liberè dictum* 382
*Strategema Agesilai* 370. *Cæsaris* 542. *Eumenis* 314. *Niciæ* 244. *Sertorij* 319
*Stratonice, Mithridatis pellex* 402.
*Strato Rhetor, Bruti amicus* 867. *Cæsari recõciliatus* 722
*Stroibus* 487
*Suaueolentiæ causa* 447
*Sueui* 528
*Sulpitij trib. interitus* 129. *temeritas, & pro Mario actio* 68. *improbitas* 127
*Surena* 278. *legatus Orodis regis Parthorum. ibid. eius exitus* 290. *in Crassum dolus* 286. *ridiculus triumphus in contumeliam Romanorum* 289.
*Susis captæ opes* 473
*Synalus* 664
*Syphax, Herculis filius* 324
*Syracusæ à Dione receptæ & liberatæ* 666.679. *à Nicia obsessæ & muro circumuentæ* 245. *à Nypsio captæ* 673
*Syracusanorum victoria de Athenensibus* 252
*Syrmus rex* 453
L. CORNELIVS SYLLA 120. *Asiam vexat* 142. *Athenas vt ceperit* 130. *Catulo se adiungit* 122. *cognomen Felicis assumit* 150. *dictatorem seipsum constituit* 149. *epulũ populo præbet* 151. *Iugurtha capto, Mariæ gloriæ officit* 48 *Norbanum vincit* 144. *Romam capit* 69.128. *sex millia militum Romanorum trucidari iubet* 147. *Valeriam ducit* 151
*Syllanæ tyrannidis administri multantur* 602
*Syllæ crudelitas, capta vrbe* 148 149. *crudelitas in Præneſtinos* 149. *cum Mithridate colloquium & pacificatio* 142. *cum Pompeio affinitas* 149. *dicacitas* 121. *dictũ* 385. *facultates* 120. *forma* 121. *in Italiam reditus* 144. *in milites ſeueritas* 135. *maiores* 120. *mors & funus* 152.153. *pacificatio cũ Archelao* 140. *peccata* 154. *prodigalitas* 155. *proſcriptiones* 148. *pugna aduerſus Marium iuniorẽ* 145. *pugna aduerſus Teleſinum & Lamponium* 146. *res geſtæ in Africa* 122. *res geſtæ in bello Cimbrico. ibid. ſeueritas in legatos Mithridatis* 141. *ſigillum* 49. *triumphus* 149. *victoria ad Chæroneam de Archelao* 138. *& eius ſumma. ibid. victoria ad Orchomenum* 140

T.


*Tachus* 369
*Tænarus mons* 580
*Talasio, acclamatio nuptialis, & eius origo* 378
*Talaura* 199
*Tanais fl.* 481
*Tarentini Pyrrhum contra Romanos euocant* 13
*Taurus mons* 205
*Taxiles rex India* 207.496
*Taxiles munificentia ab Alexandro superatus* 491
*Taxilles, Mithridatis dux* 133
*Telesinus* 146
*Tẽchteri Germania populi* 527
*Terramotus Laconicus* 177
*Teutonum strages & internecio, à Mario* 58
*Theagenes* 454
*Thaidis facinus* 475
*Thallus* 570
*Thapsacum Orbs* 547
*Tharrytas* 3
*Theba ab Alexandro capta & diruta* 453
*Thebani pace exclusi* 362
*Thebanorum decretum de recipiendis exulibus Athenensibus* 110. *victoria ad Leuctra* 362.
*Themiscyra Orbs* 195
*Theodorus Atheus* 586
*Theodotus Chius* 432
*Theodoti Chij, Pompeij interfectoris, supplicium* 434.709
*Theomnestus* 703
*Theophanes Lesbius* 406.431
*Theopompi dictum* 98
*Theopompus Cnidius* 538
*Theramenes Agnon* 231
*Thermodon fl.* 195.401
*Theseos reliquiæ Athenas reportatæ* 196
*Thessalus* 468
*Thestæ Dionysij filiæ virtus* 661
*Teutamus* 311
*Thæno* 24
*Threscia* 446
*Thucydides* 230
*Thucydidis historiæ præstantia ibidem.*
*Thudippus* 585
*Thurium* 137
*Thyræa* 235
*Tidius Sextius* 422
*Tigenna Orbs* 324
*Tigranes rex in potestatem Pompeij venit* 399
*Tigranis clades ad Tigranocerta* 249. *clades ad Artaxata, à Lucullo accepta* 210. *copiæ* 206. *fastus* 202.205
*Tigranes iunior à Pompeio in triumpho ductus* 408
*Tigranocerta Orbs* 206. *capta à Lucullo* 210
*Tigurini à Cæsare cõcisi* 524
*Tilphosia* 139
*Timæa, Agidis uxor, de Alcibia de suspecta* 105
*Timæi historici ineptia* 230
*Timoclea Thebana virtus* 370. 371.
*Timocrates* 661
*Timonides Leucadius.* *ibid.*
*Timothei dictum* 351
*Tisaphernis perfidia* 347. *interitus* 348
*Tithorea Orbs* 134

*Tithraustes* 173
*Titinnius* 708. *eius interitus* 717.
*Tolmidas* 354
*Triumphus Marij de Iugurtha* 50. *Marij & Catuli de Cimbris & Teutonibus* 63. *Pompeij* 385. *Sullæ* 150
*Triumuiratus Augusti, Antonij & Lepidi* 705. *Pompeij, Cæsaris & Crassi* 265
*Trophonium oraculum* 136
*Tubero Stoicus* 219
*Tullius Cimber* 555
*Turpilius falso proditionis damnatus* 47
*Tyrannio Grãmaticus* 143.275
*Tyrus ab Alexandro expugnata* 463

V.

*Vagises* 275
*Valerius Coruinus* 64
*Valerius cur Maximus appellatus* 384
*Q. Valerius* 381
*Valerius Potitus* 236
*Varguntеus* 285
*P. Varinius* 265
*Vercingetorix fit Cæsari supplex* 531.
*Vibius Patiacus* 262
*Victoria Cimonis ad Eurimedontem* 174. *Victoria Marij de Teutonibus* 58. *de Cimbris* 62
*Virtutis & fortunæ vis.* ibid.
*Vitas scribendi ratio* 437
*Volumnij Mimi interitus* 718
*Vspetes, Germaniæ populi* 527
*Vtica à Catone seruatur* 632

X.

*Xanthiæ mulieris cuiusdã tragicus exitus* 708
*Xenocrates* 578
*Xenophon Agesilai padagogus* 424.
*Xerxis statua ab Alexandro quomodo habita* 355

Z.

*Zarbienus rex* 211
*Zela vrbs* 545
*Zeugma* 276
*Zopyrus* 31

# INDEX RERVM ET VOCABVLORVM, QVÆ IN ANNOTATIONIBVS INTERPRETIS ALLEGANTUR & explicantur; ad ordinem Latini Alphabeti in collocandis Græcis vocabulis digestus.

A.

*Æsopi apologus* 300
ἀδελφὶς 645
ἀδικεῖν δημοσίᾳ 226
*Agesilai claudicatio* 372
ἄγημα quid 317

ἀγοραῖοι

ἀγοραῖοι 160
ἀκροαματικὰ & ἐξωτερικὰ quid differant 508
Alexander Polyhistor 296
Alexandri genealogia 505
ἀλυβάζειν 87
Ambrones 84
ἀνάθημα 113
Aphyte vrbs 118
ἀποβάτης 588
Appius Claudius cur cæcus 39
Archiposia in conuiuijs, talis sortiri solita 642.643
Aretinus reprehenditur 41
Aridæus 505
Arrogantia quid 685
Arybbas 504
ἀυθάδεια 684.685
Axilla vnde factum 727

B.

Bacchiadæ 114
βολαῖος 226
Brasidas Spartanus 113
Brigæ serui 731

C.

Cæsaris locus 444
Calepinus castigatur 500
Caput vno digito scabere, quid 559.
Caranus 504
Cardia vrbs 317
Catonis genealogia 641
Ceramus, Ceramicus 117
Charidemus 587
χωλὸς, χωλότης 372
χωρίται 160
Ciceronis locus 442.444
Cium vrbs 588
Corradus Plutarcho iniquus 297.
Curules magistratus, vnde dicti 81
Cylarabis 42

D.

Denarij decem vnum aureum florenum faciunt 86
Deucalionis diluuium 36
δεύτερα λέγειν 119
διβόλια 85
δημαγωγεῖν 38
Dionysii locus 589
Drachmæ valor 647
Drachma 117
Duria fl. 587
δυσωπεῖσθαι 729

E.

Ἐπαυλίζεσθαι 300
ἐπιπολάζειν 507
ἐπιπόρπαμα 511
ἐπιτίθεσθαι 643
ἐσχατιὰ 119.120
ἑτερεία 115
ἡβητήριον 441
ἡλιοτρόπιον 686
ἦθος 228

F.

Flori locus 39
Florus castigatur 84
Fures Lauerniones vnde dicti 159.

G.

Gergitum vrbs 588

Grynæus

*Grynaus reprehenditur* 374
*Guarinus reprehenditur* 81.83. 85.118.295.

H.

*Horatij locus* 512.643
*Hyperbolus* 259

I.

Ἰχώς 511
*Imperatoris nomen quibus tribuatur* 298
*Ipsus, Phrygiæ vrbs* 37
*Iugerum* 41
*Iustinianus reprehenditur* 227

K.

Κακοήθημα 441
κάμαξ 120
κάναθρον 374
καπδεῖν 227
κέλης 590
κλημαπικοὶ 160
κλοιὸς 259
κλώδωνες, κλωγμὸς 506
κοάλεμος 181
κοίτη 591
κύφων 259
κώθων Lacedæmonijs quid 38

L.

*Lamiacum bellum* 590
*Lapi oscitantia* 587
*Lauerna dea* 159
*Lectum* 227
*Lexicum corrigitur* 228
*Lexicorum oscitantia* 340
λικνίτης 507
λίκνον 506
*Liuij locus* 589
*Liuius emendatur* *ibid.*
λοβὸς 373
λόχος, λοχαγὸς 438
λυσιῳδὸς 162

M.

*Magistratum inire quid* 646
*Mamertini vnde dicti* 39.40
*Maricas comœdia* 258
*Meninx insula* 87
μενοείχης 586
*Metellus vnde Nepos appellatus* 80
*Myoparones* 227
*Mille aris, idem quod mina seu centum drachmæ* 730
μονάρχης, μόναρχος, μοναρχεῖν. 558

N.

Νάρθηξ, ναρθήκιον 509
*Neodamodes* 373
*Nisæa. Nisæi equi* 37. *nomenclator* 643
*Nymphæum* 508

O.

Ὄβολος, ὀβολὸς 117
ὁπολοθήκη 160

Π.

Πάγος 510
Παλεύειν 162
*Paralus nauis* 116
παραβάτης 588.589
παράγειν, *ducere* 162
παραναδύεσθ 506
*Pausaniæ locus* 114.118
πείσιννα 374
*Philosophia prima & secunda* 508.

*Pityusæ insulæ* 340
*Plutarchus emendatur* 82. 85. 116. 258. 448. 728. 729. 731
*Pœcile porta* 181
*Polysperchon* 37
προαποφαίνεσθαι εἰς πρᾶγμα 85.
προσαγωνισταὶ 119
πρόσθετος, προσθήκη 228
ψυχρήλατα τῶν ξιφῶν 728
*Ptolemæus castigatur* 296
*Ptolemæus Ceraunus* 39
*Pyrrhi R. genealogia* 35
πυλαϊκὴ ὀχλαγωγία 41
*Pylæ vrbs* 118

Q.

*Quinda castellum* 318

R.

Ραδιουργία 644
*Rhapsodi qui* 507
*Rota tormentum* 260
ῥυθμὸς 438

S.

*Seruilius Ahala* 727
*Siris fl.* 39
*Sodalitia Romæ sublata & restituta* 115
*Stena, fauces* 40
*Stephanus notatur* 159
*Stephani locus* 117
στέγαστρον 296
στρατηγὸς 229
στρόγγυλον 685
*Syllæ genus & cognomentum* 157.
σύνθημα 37
συνοικεῖν 295

T.

*Talenti ad myriadem proportio* 560
τάφρος quid 687
τέλματα 300
τέλος 228
θάψινον 591
*Thapsus* ibid.
θησαυρὸς 113
θὶν, ἡ. θῖνες 299
*Thimus piscis* 226
*Triumphandi ius* 440
*Tudertinus reprehenditur.* ibi.
*Tuder vrbs* 296
τυμπανίζεσθαι 686

V.

*Valerij locus* 84
*Valerij locus illustratur* 645. 646

X.

*Xenarchus* 257

Z.

*Zeugma vrbs* 299

FINIS.

IMPRESSVM
FRANCOFVRTI
ad Mœnum, apud Ioannem
Feyrabendium.



M. D. LXXXXII.

BIBLIOTEKA KÓRNICKA PAN 2



Dez. 1973

300,-
09 12 92
10.11.93



